EST. [illegible]
TABLA [illegible]
Nº [illegible]
DERECHO


Leonicenus

BIBLIOT. UNIV.
EST. 53
TABLA 1
Nº 39
DERECHO

64
.46.

NICOLAI LEONI-
CENI VICENTINI, PHILOSOPHI
& Medici clariſſimi, opuſcula: quorum ca
talogum uerſa pagina indicabit.

Per D. Andream Leennium Medicum, à multis quibus ſcatebant uitijs, repurgata, atque annotatiunculis illuſtrata.



Cum gratia & priuilegio Cæſareo.

B A S I L E AE
M. D. XXXII

LIBRORVM HOC OPERE CONTENTORVM ELENCHVS.

De Plinij & plurium aliorum Medicorum in medicina erroribus, libri quatuor. fol. 1

De tribus doctrinis ordinatis, ſecũdum Galeni ſententiam liber unus. 62

De uirtute formatiua, liber unus. 83

De dipſade, & pluribus alijs ſerpentibus, liber unus. 93

De Tiro ſeu uipera, liber unus. 108

De morbo Gallico, ſiue Neapolitano, liber unus. 111

Contra ſuarũ translationũ obtrectatores Apologia. 126

MEDICI ROMANI, Nicolai Leoniceni diſcipuli, Antiſophiſta. 146

Soy de la Libreria del Colegio de la Concepcion de Alcalá.

INDEX EORVM QVAE PRAECIPVA IN HISCE LEONICENI LIBRIS HABENTVR.

ACcidētia ſanis, ſymptomata ægris propria 152.A.154.D
Aconitū duplex,lupis & pardis nocuum. 12.D
Actuarius medicus græcus. 58.A
Adarce,ſalſugo harūdinibus adhærens.4.A.16.C
Aegilops. 19.C.D 23.B. & 27.B
Aera quid ſit.10.C.19.A.B. 23.B.41.B
Albaras quid. 115.B.C
Albotim. 116.C
Albugo. 52.D
Alcibium & Echis. 20.D
Alcinous philoſophus Platonicus. 65.D
Alexipharmacū quid ſit. 103.D
Aliabas fidus Galeni interpres. 175.C
Allium theriaca ruſticorum. 103.A
Alluatim, hulcera crurū. 116.C
Ammi quid. 98.B
Ammoatis ſerpens. 96.B
Amphisbena ſerpens. 94.A
Amaracus herba,quæ & ſampſychus dicit̄. 8.A
Andromachus Neronis medicus. 103.A
Andrius ſerpens. 100.A
Animæ quędam proprietates. 152.C.D.A.153.B
Antidotus. 102.C
Antidotorū tres ſpecies. 102.C.103.C
Anthrax morbus. 117.B
Aparine herba. 25.D.
Apiū ſylueſtre & raninum. (40.B 31.A
Aquarū diluuium. 124.B
Arachis ſerpēs malign⁹. 99.C
Arcij genus unum. 9.D
Argemon. 52.C
Ariſtoteles grande miraculum. 37.B
Ariſtotelis locus explicatur. 84.D
Ariſtotelis locus reſtituitur. 107.D
Armel ruta ſylueſtris,uel cicuta. 11.C
Armene ſerpens. 97.B.C
Arteria trachea. 35.A
Arteriarum motus uſus. (132.A
Aſafati. 115.D
Aſili morſus. 99.A
Aſinus Indicus unicornis. 36.D
Aſpalathus. 7.D
Aſpidū tres ſpecies. 98.C
Athenæi de Galeno iudicium. 147.A
Atriplex. 32.C
Auerrois,Ariſtotelis expoſitor. 68.D
Auicēnæ errores in Theriaces deſcriptione.6.D
Auicennæ librorum ordo. 78.A
Auicēnæ errores de ixia. 57.B.C
Auicēnæ doctrina chaos quoddam. 47.C
Auicennæ & Alberti de ſerpentibus multi errores. 100.D 106.A
Auicēna morbos natura diſtātes cōfundit. 118.D
Auicennæ modus citādi ueteres autores. 97.B
Auricula muris. 9.B
Auſter non omnis calidus. 133.B

B

BAllotis. 2.B
Bartholomæi Montagnanæ errores. 109.B
Baſiliſcus. 96.D
Baſiliſci morſus medicina. 96.D
Βατράχιον herba. 31.B
Betonica herba. 3.A
Bezaar,gręce Alexipharmacon. 103.D
Bilis uariæ ſpecies. 140.B
Bilis nigræ humor perniciem hominis indicat. 140.C
Blundus Forliuienſis hiſtoricus. 124.B
Braſſica marina. 58.C
Bruſcus. 10.A
Bubonis duæ ſpēs. 117.D
Buboniū inguinaria herba.117.C
Bugloſſa. 59.D
Bugloſſum magnū. 60.A

C

CAchile herba. 114.C
Cali quid. 114.C
Calor innatus ſimilis calori ſtellarū. 86.A
Caluitium. 37.C
Canū rabioſorū morſus non oībus nocet. 107.A
Carbo morbus. 141.A
Cardina herba. 56.D
Carlina herba unde.56.D
Carpeſium. 10.B
Carpi errores in peritoneo. 128.D
Caſſia fiſtula. 54.B
Cataphora duplex.165.D
Catoblepa. 96.D
Cauſarum diuiſio. 157.D
Celſi errata. 133.D
Cenchridis morſus. 99.B
Centaurium maius. 15.D
Centunculus. 8.C

BIBLIOTECA DERECHO

Ceraſtes ſerpens. 97.D
Camædaphne frutex. 9.
D. 18.B
Chamælea.56.C (5.C
Chamæleæ foliorũ uſus.
Chamæleon in omes co=
lores ſe mutat præter in
rubrũ & cãdidum.56.D
Chamemelõ herba, quæ
& parthenium. 3.B
Χερσαῖος ſerpens 98.C
Cicerbita aſpera. 60.C.D
Cicerchia ſiue cicercula.
Cichorium. 3.C (61.A
Cicuta. 12.C.13.A
Cinnabaris. 11.A.22.A
Ciſſampelos herba. 123.A
Ciſſi & ciſthi mẽtio. 16.D
17.A.B.D
Cœliacus morbus. 31.C
Colli partes. 42.C
Conciliatoris error. 67.A
Cõiũcta cauſa quæ. 157.D
Conuoluulũ herba. 21.B.
Corneola. 29.B
Coronopi uaria noĩa.32.A
Coryza duplex. 166.C
Cotula herba. 3.B
Crocodilus terreſtris &
fluuiatilis. 107.B
Cubebe. 10.C
Cyclamini radix aduerſa
prægnantibus. 3.C
Cyminum Indum. 98.B

D

DEiectio nigra cur
peſſima. 145.A
Demõſtratiõis uſus.68.A
Diagnoſtica ars. 72.A
Dioclis medicus. 81.D
Δῖος multas habet ſignifi=
cationes. 137.B
Dipſas. 93.D
Dipſadis deſcriptio.108.C
Diſſimilares partes. 85.D
Diuiſionis artificiũ. 17.B
Diuiſionũ modi plures.
65.D
Doctrinarũ quatuor offi
cia. 64.D
Doctrinarũ cur quatuor
tantũ ſint methodi.65.A
Doctrinę nomine qd in=
telligatur. 72.B
Dorſi diuiſio in quatuor
partes. 167.D

E

ECHios herba,quæ &
alcibium. 5.C
Electuariũ de Sebeſten
celebre. 54.D
Elephãtiaſis morbus. 112.
B.D. 113.B
Empiricorum doctrina.
76.D
Empetrũ, quod & ſarxi=
phages dicitur. 3.A
Eryſipela. 118.A.B.119.A
Εὔλιον. 130.A.B
Experiẽtia ratiõis expers
fortuna eget. 96.D

F

FAliuiſus. 99.B
Fames ac peſtilentia
comes inũdatiõis.124.C
Fauces. 41.D
Fauus ſpecies tineę.116.A
Febribus in quibus ſan=
guis mittendus. 118.B
Fel nigrum. 142.C
Ferandus chirurgus inſi
gnis. 108.D
Fœtus quõ formet̃. 83.D
Frictionis uirtus. 67.C

G

GAlli crus. 32.A
Gallicus morbus.
Gallici morbi cu= (125.B
ratio. 125.D
Gallicus morbus deſcri=
bitur. 112.A
Genitura. 92.A
Gẽtilis aĩa Auicẽnę.105.A
Glaſtũ cuiuſmodi ſit. 5.A
Gluten albotim. 116.C
Gramen aculeatum. 32.B
Guttur tripliciter accipi=
tur. 43.A

H

HEdera in Cypro nõ
naſcitur. 4.D
Hæmorrhous. 100.B.C
Heliotropiũ, & duo eius
genera. 3.D.20.D
Helxine. 21.B
Hepatica uera quæ ſit.
114.C
Heraclium papaueris ge
nus. 2.D
Hermodactyli cõfectio.
Hermolaus Pli= (31.B
nij defenſor. 13.C.D
Hermolai Barbari imma
tura mors. 22.B
Herpes formica come=
dens. 119.A
Herpetis ueſicoſi medica
men. 118.D
Hippocrates nihil ocio=
ſum habet. 137.C
Hippocrates quandoq;
tropis uſus. 163.B
Hirundinacea. 98.C
Hydrus. 100.B
Hydri iecur. 110.D
Hypociſtis. 4.D

I

IEiunum inteſtinũ un=
de dictum. 51.D
Ignis duplex. 86.A
Ignis Perſicus. 118.A
Impetigo. 113.D.115.B
Indicũ quid ſit apud Dio
ſcoridem & Plin. 5.A.B
Inteſtinũ duodenũ. 48.B
Intybũ herba, quæ & he=
liotropium. 3.C
Inuidiæ mores. 126.C
Iſatis herba. 5.C
Iſatis ſatiua. 20.B
Iſophagus & ſtomachus
idem. 35.A
Iuiubæ. 54.D
Ixia uenenum. 56.A

Ixiaſa uenenum. 12.D

K

Κιοσὸς & κιαθός. 1.B

L

LAdanum uel ledon 4.C.14.D
Lana quō cōburat̃. 120.D
Lapis Armenus. 11.D
Laſine herba. 21.B
Lauer odoratum. 21.C
Laurẽtiani errores. 128.C 143.A.B.C.D
Lazuli lapis. 11.D
Lemnia terra quæ. 4.A
Lemnium ſigillum. 4.A. 11.B.21.D
Lepra quid. 112.C.115.B.C
Lepra cancer totius corporis. 112.B
Leucographida lapis, q & Morochthus. 2.C
Librorū qui Lumina inſcribuntur obſcuritas. 109.C
Lichen. 113.C.D.115.B
Liguſtri flores. 9.A
Luna eſt minor terra. 2.A. 29.A
Luteum herba infectiua. (29.D
Lutū ſapiẽtiæ. 106.B
Lyſimachiū herba. 29.B
Lyſimachij foliorum ſuccus dyſentericis ꝓdeſt. 29.D

M

MAnna. 55.A
Manna thuris. 55.A
Maraſſus eſt uipera. 94.B
Marcellus Florentinus. (168.B
Marrubiū. 32.C
Marſi in Italia. 95.D
Medicus in omni arte ſit exercitatus. 148.D
Medicorū diligẽtia. 67.C
Medici ratiocinatio in morbis dijudicandis. 67.C
Medicamentorū duplex compoſitio. 78.B
Medicinę definitio, ſecūdum Herophilū. 149.C
Melāncholiæ ſpecies. 139.B
Melanurus. 96.B
Memucle. 100.C
Memite herba uitia oculorum tollit. 30.A
Meſareon unde. 48.A
Meſenterion unde dictū. (48.A
Methodus quid ſignificet. 76.A
Michaël Epheſius. 87.D
Miliaris ſerpens. 99.A
Milos. 16.B
Mixa fructus. 54.D
Mneſitheus medic⁹. 81.D
Mōtagnana medicus celebris. 11.D
Mulieres uerno tempore cur plurimum abortiunt. 132.C
Mulieres frigorū tolerantiores ꝙ̄ uiri. 132.D
Mulieres & pueri caluitij immunes. 36.D.37.A
Mūdini error in motu deglutionis. 46.A.B
Muſculus quid ſit. 39.C
Myrmecium. 100.C.121.B

N

NApellū herba. 12.C
Nard⁹ celtica. 10.D
Naturæ definitio. 74.C
Natura multis modis dicitur. 90.D
Natura nihil ocioſū producit. 87.C
Nil ſiue Nilegi herba. 5.D

O

OBiectionibus Patauinis reſpōdet Leonicenus. 145.A
Oculorum uenæ ad cerebrum & ſtomachū pertingunt. 38.A
Oris partes. 42.C
Orminon herba. 2.B
Oxymyrſine. 10.A

PAndectarij error in herba lichene. 114.B
Papauer cornutum. 30.A
Papulæ. 115.A
Parietaria herba, quæ & muralium. 3.B.114.A
Parthenium. 3.B
Pediculus uulturis. 100.C
Pedis coruini compoſitio ex Paulo Aeg. 31.C
Pelops Leoniceni præceptor. 140.C
Pentaphyllon herba. 3.D
Percorallium compoſitio ad podagras. 31.D
Perſonatia. 9.D.20.C
Pes coruinus herba. 30.B
Petroſelinum Macedonicum. 7.A (B
Phalangiū myrmeciū. 33.
Pharynx quid ſit proprie 41.C.35.A
Phlegmatis uarij colores 164.D
Phu radix odorata. 10.B
Piſces capiẽdi aſtutia. 3.B
Piſces nō ſine neruis, cōtra Plinium. 41.A
Pigmæi brutis animalib. adnumerantur. 107.B
Pityuſa. 58.A
Plātæ duplici ratiōe ſtrangulantur. 24.D
Plinij error in animalib. & metallis. 23.A
Plinij eloquentia. 37.D
Plinij error de elephātis. 38.D
Plin. error in auena. 26.D
Plinij locus de Crocodilo reſtituitur. 107.C
Polium & Tripolium miſcuit Plinius. 2.C.D
Pliſtonicus medicus. 81.D
Polij uſus. 2.D
Portanarius. 48.B
Preſter ſerpens. 96.C
Priorum & poſteriorum

Ariſtot.inſcriptionis ratio. 62.C
Procatartica cauſa qd ſit. 157.D
Proclus Euclidis expoſitor & mathematicus excellentiſſimus. 67.A
Pruna, ignis Perſicus, anthrax, & carbo, quales les morbi. 117.B
Preſter ſerpens. 96.C
Pſora quid. 115.C
Pſydracia quid. 116.A
Pſylli in Libya. 108.A
Pylorus. 49.C

Q

QVercinæ ſerpētes. 93.D

R

RAphanus agreſtis. 15.C
Ratio multis modis accipitur. 149.D
Renū medicamen. 114.D
Reſolutio. 63.D
Reſolutorij uocabuli ratio. 63.D
Reſolutiuæ doctrinę Galeni exemplum. 68.C
Reſolutionis ſpecies tres 66.A
Reuponticum. 6.D
Rupōticū, idem quod Reubarbarum. 6.D
Ruſcus. 10.A

S

SAl Conſtantinopolitanus. 55.D
Sal theriacum. 102.A
Saliunca herba. 10.D
Sambucus. 32.D
Sanguis draconis. 11.A
Sanguinaria herba, quæ & capriola. 32.B
Sanitatis definitio. 152.A
Satyriaſis morbus Gallicus. 113.A
Scammonium tenue. 8.D
Σχῖνος. 15.B
Sciniſes. 116.B
Scordion herba. 8.B
Scorodon agrion. 8.B
Scurtio ſerpens. 109.D
Scytale ſerpens. 94.A.& 100.D
Sebra. 58.A
Securina herba. 25.D
Semen quid. 92.A
Senſuum iudiciū certiſſimum. 16.D
Sepiarū aſtutia. 160.A
Serpētes alati in Arabia. 94.B
Serpigo. 114.A
Serpyllū unde dictum. 100.A
Sideritis herba. 11.B
Sius herba. 10.D
Sius calculū frangit. 21.D
Sij duo genera. 21.C
Silaus. 10.D
Siliqua dulcis. 54.C
Simonis Genuēſis error in Abdomine. 127.D
Similariū generatio non eadem. 85.D
Siſeculus ſerpens, quem Græci amphiſelenen uocant. 100.D
Sirtalis ſerpens. 98.A
Soldana herba. 58.C. 114.C
Speciem, generis nomen aliquando ſortiri pluribus philoſophorum rationibus probat. 142.B
Speculatio à fine uerſus principiū tendit, actio uero contrà. 74.B
Spondylorū diuiſio. 163.B 64.C
Spongiola. 11.C. 163.B
Spontini motus. 88.D
Spuens ſerpens. 98.C
Stachys herba. 2.B
Strumarum medicamen. 106.B 17.D
Suffruticū multa genera.
Symptomata & accidētia quomō differant. 152.A

T

TArātula uel Rutela. 33.B.
Tarātulæ ictus, cuius operationis. 33.C
Teramnon et ateramnon legumen. 26.B
Theriaces miſtura. 7.B.C
Theriaca Andromachi. 78.B
Tirus ſerpens. 109.A.B.C
Tiri caro. 110.A
Thorax. 168.C
Thryalis herba. 16.B
Toxeumata ſunt miſſilia ueneno tincta. 12.C
Toxicon. 12.C
Trochiſci theriaci. 103.B
Turbit eſt Tripoliū. 57.D 58.C.D

V

VEnenum ueneni remediū eſt. 110.D
Venenum terræ quod dicunt Campani. 3.B
Venetorū inſigne collegium Medicorū. 109.D
Vernilago. 15.D
Verrucæ. 121.B
Vertebrarum in corpore numerus. 72.D
Vipera. 40.B. 93.D. 95.A 96.C. 109.A
Vipera Libyca. 95.B
Viperarum caro. 95.D
Virtus à corpore quomodo ſeparabilis, ſecundū Ariſtotelem. 87.B
Vitriolum, herba. 114.A
Volubilis, herba. 122.D
Vſue, herba. 114.C

Z

ZEmas. 113.D
Zucharum. 55.A
Zurmar quale cantamē. 107.A

INDICIS FINIS.

ANGELVS POLITIANVS
NICOLAO LEONICENO S. D.

DICTATA illa tua Nicolaë, quibus Auicennę refellis inſcitiam, doceſq́; Medicos iuniores quanta in caligine rerũ uerſent̃, neſcio plus ne mihi uoluptatis, an doloris attulerint. Nam & gauiſus mirifice ſum res eas, quibus hominum uita ſaluſq́; cõtinetur, ab eo potiſſimum uiro æditas eſſe in lucem, quem quidem ego ſemper ingenij diſciplinarumq́; merito, plurimi fecerim. Et indolui rurſus generis humani uicem, quod in ſe graſſari tandiu impune triſtem hanc ignorantiam patiatur, atq; ab his interdũ uitę ſpem precio emat, unde mors certiſſima proficiſcatur. Quis enim nõ uideat plus eſſe à Medico, quàm à morbo periculi, ſiquidem & morbus alius pro alio curetur, & alia pro alijs remedia afferantur? Quod ſi te priſca illa Nicolaë tuliſſet ætas, in qua pro meritis præmia reddebantur, ne deorum quidem honoribus caruiſſes: niſi forte maius eſſe credimus unũ aut alterum, quod Aeſculapius fecit, à morte, quàm omneis pariter homines, quod ipſe facis, à mortis etiã periculo eripere. Quare perge obſecro qua inſtituiſti uia, ſcilicet ut una opera & immortalem tibi gloriã parias, & omnibus uere hactenus mortalibus ægris uitam ſalutemq́; concilies. Quod autem Plinium quoq; redarguis noſtrum, quaſi Ciſthon pro hedera acceperit, in hoc ego, ut libere agam & amice, longe à te diſſentio. Nec autem uerebor eius uiri patrociniũ ſuſcipere audacter, qui fuerit de uita & literis tam præclare meritus, præſertim aduerſus te, hoc eſt aduerſus eminentẽ philoſophũ, cui nihil ueritate ipſa debeat eſſe antiquius. De ueſtris enim ſunt illa ſcholis: Amicus Socrates, amicior ueritas, & item amici ambo, plus tamen habendum eſt honoris ueritati. Plinius igitur, ut quidẽ tu ais, perinde atq; Auicẽna ciſthon ab hedera non diſtinguit, errore, ſiquidẽ ita ſit, maximo: quando ciſthos ab hedera plurimum & figura & colore & uiribus differat. Addiſq́;, mirandum de Plinio magis quàm de Auicenna, quoniã græcæ linguæ peritus, ſecernere à ciſſo, hoc eſt ab hedera, ciſthon debuerat. Argumentũ affers quamobrem alteram ab altera non ſeparet, quod in libro Naturalis hiſtoriæ decimoſexto, hederam diuidat in marem ac fœminam, floremq́; utriuſq; ſimilem dicat eſſe roſæ ſylueſtri. Tum idem libro quarto & uigeſimo, ciſthon quoq; illam ſub qua naſcitur hypociſtis, in marem diuidat & fœminã: mariq́; roſaceũ, fœminæ album tribuat florem. Poſtremo quod etiam ciſthi huius feciſſe inter hederas mentionẽ ſe dicat. Quocirca ſic uidêris poſſe colligere: Quum Plinius libro quarto & uigeſimo mentionẽ ſe de ciſtho inter hederas feciſſe doceat, cuius tamen uocabulum nuſquã ſuperius inter hederas citetur, facilis coniectura eſt, ciſthon ab eo hederæ nomine comprehenſam, præſertim qui ſic hederam, quemadmodum & ciſthon in marem fœminamq́; partiatur, & in hederis florem deſcribat ciſthi. Iam quoniam quid tibi uideatur expoſui, quid ego contrà opiner ediſſeram. Nego uſquam à Plinio inter hederas ciſthi mẽtionem factam præterquam libro quarto & uigeſimo, ubi illam præclare diſtinxit ab hedera. Nam quod tibi ſumis quaſi Plinij teſtimonium, alibi eum de ciſtho inter hederas locutũ, hoc ego neutiquam concedo. Mihi enim ubi hoc ait, in quarto & uigeſimo ſcilicet libro, diſſerere de ciſtho aduſq; illam tantũ clauſulam uidet̃, quæ ſic eſt apud ipſum: Sub his maxime naſcitur hypociſtis. Poſt id autem ſtatim interpungitur, ac de integro ſic uerba incipiunt: Quam inter hederas diximus: ciſſos erythranos ab ijſdem appellatur ſimilis hederæ. Nec autem uereor (quæ tua eſt in literis elegantia) quin figuram agnoſcas, cuiuſmodi apud Ouidium eſt:

Quam legis à rapta Briſeide litera uenit. Et iterum:
Quam, niſi tu dederis, caritura eſt ipſa, ſalutem

Pro deo apud ueteres habitus qui de rebus humanis bene meritus & ingens bonũ cõtuliſſet Hinc tot prodiere deorũ nomina, quot beneficia.

Lib. 10. cap. 37

Cap. 43

Mittit Amazonio Creſſa puella uiro.

Quod ſi illud, quã, referre ad id malis quod antegreditur, cogeris ad hypociſtida potius (hæc enim ſtatim prior) quàm ad ciſthon referre. Deq; hypociſtide tacet omnino ſuperius, hoc eſt, libro decimoſexto inter hederas, quum de Erithrano tamen loquatur. Quid, quod nec ciſthon alibi uſquã nominat inter hederas, nec maris fœmineq; diſcrimen tam ciſthi proprium, quàm omnium planè arborũ, uirgultorũq; uidetur, quod nec idem Plinius diſſimulat? Quid, quod flos quoq; diuerſus perhibetur, in hedera quidẽ maris & fœminę cõcolor, in ciſtho autem planè diſcolor? Nam quod hederaceum ſylueſtri roſæ comparat, non tam colorem inſinuari quàm lanuginem puto, qualis intra roſas eſt: unde etiã hederæ florem χνοώδη Theophraſtus appellauerit. Satis igitur, ut arbitror, apparet, nihil eſſe quod nos fateri cogat Pliniũ libro decimoſexto, Ciſthon inter hederas retuliſſe: qui tamen idem libro quarto & uigeſimo, ſic hederæ ciſthon, quemadmodum & chamæciſſon adnexuit: nõ quod ciſthon hederãq; eſſe idem crediderit, ſed quod eam Græci uicino (ſic enim inquit) uocabulo appellent. Quare ne quenquam ſimilitudo uocabuli falleret, ibi potiſſimum diſtinctionem adhibuit, ubi confuſionis occaſio naſcebatur. Nec eo contentus, etiam ciſthi proprietates prorſus ab hedera diuerſas, adiecit. Nuſquam enim hederam ſic ante deſcripſerat, ut aut maiorem thymo aut ocimi folijs, aut poſtremo albo eſſe flore docuerit. Quamobrem quis iam dubitet, ſecundum Plinium pronunciari oportere, quem ne ſuſpicio quidem ulla iſtius erroris attingat? Illud obiter mirari me fateor, quid ita tibi in mentem uenerit, Ledon herbam, ſeu tu Ladan mauis, unde & Ladanum uocetur, latinam uocem arbitrari prorſus: quaſi non & Dioſcorides, & alij ueteres Gręci paſſim ut patria uernaculaq; utantur tam Leda hercule, q̃ & Ladano. Hæc habui mi Nicolaë, quæ tibi pro Plinio, uerá ne an falſa neſcio, ſed mihi tamen ueriſimilia, obijcerem. Quæ ſi tibi doctiſſimo homini probabuntur, lætabor equidem latinum autorem non in eadem eſſe alea qua barbari: Sin minus, expecto iam quid ad hæc noſtra qualiacunq; reſpondeas. Etenim cum grauiſſima ſit apud eruditiſſimũ quenq; Plinij autoritas, aut non tentanda fuit, aut aliquanto fortius, quàm certe adhuc feciſſe uideris, conuellenda. Vale. Florentiæ, die III Ianuarij. M. CCCC. XCI.

A # NICOLAI LEONICENI

VICENTINI DE PLINII ET ALIORVM in medicina erroribus, ad doctiſſimum uirum Angelum Politianum, Liber primus.

GAVDEO plurimũ, Angele uir doctiſſime, ſtudium meum in refellenda inſcitia barbarorum, qui de medicina ſcripſerunt, abs te nunquã ſatis laudato uiro probari. Non enim ego id de te ſentio, quod forte pleriq; qui in ea hæreſi ſunt, hominem eloquentem nõ poſſe de alijs diſciplinis iudicare, quaſi earum peritia carere ſit neceſſariũ ei, qui bonarum literarũ ac politioris humanitatis ſtudijs fuerit imbutus. Noui ego tuum perſpicaciſſimũ ingenium, noui feruens iam inde à pueritia ſtudium, non minus ad philoſophiæ doctrinam, quàm ad oratoriam atq; poëticam capeſſendam: in quibus omnibus tantum profeciſti, ut tua te patria inclyta Florentia, omnium liberalium artium utatur præceptore. Nec ſanè mirandum te unum eſſe perpaucorũ, qui ætate noſtra eloquentiam cum ſapientia iunxerunt: quũ in eiuſdem ſapientiæ ſtudio habeas ducem ac comitem diuino uirum ingenio Ioannem Picum Mirandulam noſtrũ, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione uerſaris: ac præterea tibi omnia ad ingenue philoſophandũ adiumenta ſuppeditet fauor ac gratia Laurentij Medicis, maximi hac tempeſtate ſtudiorum patroni, qui miſſis per uniuerſum terrarum orbem nuncijs, in omni diſciplinarum genere libros ſumma ope conquirit, nulli ſumptui parcit, quò tibi ac reliquis præclaris ingenijs bonarum artium ſtudia æmulantibus inſtrumenta abundantiſſima paret. Audiui te referente, uocem illam præclaram ex Laurentij ore prodijſſe, optare tanta ſibi abs te ac Pico noſtro ad libros emendos præſtari incitamenta, ut tandem deficientibus ſumptibus totam ſupellectilem oppignerare cogatur. Quum igitur omnia & animi & fortunæ bona in te cumulatiſſima ſint, nihil eſt quod Angelo Politiano pro me contra barbaros pronunciante, quempiam deinceps timere debeam, qui illorum patrocinium ſit ſuſcepturus. Quod autem ut iure à me barbaros reprehendi iudicaſti, ita non approbas, quod Plinium de uita ac literis optime meritum, intra eandem cum barbaris aleam poſuerim, cuius tanta ſit apud peritiſſimum quenque autoritas, ut aut eam tentare non debuerim: aut ſi omnino cõuellendam duxeram, fortius id à me fieri, quàm adhuc feciſſe uidear, oportuerit. Si me forte hiſce uerbis (ut qui mecum amice omnia potes) temeritatis atque impudentiæ tacite accuſas, qui tantæ exiſtimationis uirum per calumniam, quodammodo reprehendere quæſiuerim, habeo iam excuſationẽ mihi ex tua epiſtola paratam: fateris enim uera eſſe quæ in ſcholis noſtris lectitantur: Amicus Plato, Amica ueritas: ſed quum ambo ſint amici, pium eſſe ueritatẽ in honore præferre. Quum igitur ego ita ſentirem, Plinium non minus quàm cæteros in hæderæ deſcriptione alterius plantæ, quæ apud Græcos κισθὸς appellatur, nominis uicinitate deceptum, quoniam hædera à Græcis κισσὸς dicatur, indicia nõ ſine errore miſcuiſſe, nolui quantum in me erat, pati ueritatem ipſam in obſcuro iacere. Quod autem fortius atq; euidentius hunc à me errorem indicari oportuiſſe cenſes, ſcito nõ fuiſſe tunc animi mei propoſitũ, Plinij uelle autoritatem peſſundare. Nam cum illa dictabam,

Perpaucorũ, id eſt cui nõ adeò multi reperiantur æquales.

B *Laurentij Medicis laus & affectio.*

Platonis dictũ in Sympoſio. et item in libro de Repub. decimo

C præcipua erat mihi contentio cum barbaris: atque ideo quũ de hædera ſermo haberetur, cuius naturam non ſatis Auicennæ cognitam fuiſſe probare contendebam, obiter ac ueluti quodam in tranſcurſu Plinium quoq; in aliorum mentione nominaui, quem tamen non dixi unà cum Auicenna, ac reliquis erraſſe, ſed uideri in eodem cum alijs errore uerſari. Vide quanto modeſtius de Plinio quàm de alijs tunc ſim locutus, quos non uideri eodem errore deuiare, ſed planè aberrare aſſeueraui. Quod ſi is mihi animus tunc fuiſſet, aut nunc etiam eſſet, Plinij errata in lucem patefacere, potuiſſem & tunc, & nunc quoque poſſem integrum de eiſdem implere uolumẽ. Pauca tamen è multis hoc in loco cenſui aperienda, ut intelligas me non temerario iudicio, ſed certiſſimis rationibus adductum, ut exiſtimarem Plinium ita in hæderæ deſcriptione, quemadmodum in multis alijs ad medicinam pertinentibus aberraſſe. Illud uero mihi primùm tecum conueniat, tam apud Græcos quàm apud Latinos, atque etiam barbaros, Dioſcoridem eſſe ſummum autorem, atque præcipuum, cui in herbarum ac fruticum deſcriptionibus fides ſit adhibenda. Nam & Plinius ipſe non hunc minus quàm Theophraſtum in hac parte ſecutus uidetur, ut qui utranque linguam & græcam & latinam nouerit, ſententias integras Dioſcoridis quaſi uerbũ ex uerbo à Plinio translatas agnoſcat. Galenus præterea homo cum in omnium liberalium artium, tum in medicinæ præſertim diſciplina præcipuus, in ſuo de ſimplicibus medicaminibus libro, ſe à deſcribendis herbarum imaginibus ſuperſediſſe fatetur, quoniam abunde in hoc ſtudio fuerat à Dioſcoride ſatisfactum. Nec Serapio Arabs herbas deſcribere aggreſſus, alijs eas notis indicauit quàm Dioſcorides, quamuis & ipſe non rectè in omnibus imitando Dioſcoridem, libros ſuos innumeris impleuit erroribus, quos niſi ſperarem aliquando in lucem fore detegendos ſtudio ac diligentia D inclyti præſulis Hermolai Barbari patriarchæ Aquileienſis, uiri omnium diſciplinarum peritiſſimi, libentius ſanè aliquando notarẽ, quàm hoſce Plinij in præſentiarum ſim recitaturus, tum quia magis me iuuat contra homines barbaros quàm latinos agere, tum quia maius humano generi ex Serapionis inſcitia quàm ex Plinio periculum imminet: ſiquidem ætate noſtra omnes ferè medici in ſimplicium medicaminum cognitione Serapionem ſequuntur: Plinium autem nec legendũ quidem exiſtimant, quod eum in numero grammaticorum, uel oratorum, nõ autem philoſophorum aut medicorum habendum iudicent. Ego uero etſi non inficias eo, Plinium omnium doctrinarum ſtudia excoluiſſe, multa tamen de quibus in ſuis De naturali hiſtoria libris conſcripſit, non ſatis illi comperta atque explorata fuiſſe crediderim. Ex quo illud ſecutum eſt, ut quum non ea ſcriberet quæ ipſe nouiſſet, ſed quæ potius à diuerſis autoribus uarie ſcripta collegiſſet, ſæpius diuerſa pro eiſdem, atque eadem pro diuerſis retuliſſe uideatur: quam quidem rem me tibi homini doctiſſimo facile probaturum ſpero, ſi paululum ſepoſito affectu non tanquam Plinij patronus, ſed potius iudex, hæc quæ in Plinio notaturi ſumus errata diligentius perpendere, atque examinare uolueris. Nolo tamen hoc in loco ea quæ uel ad Aſtronomiam, aut reliquas philoſophiæ attinent partes, à Plinio tractata, ad examen rationis adducere: plura enim mihi taxanda occurrerent, quàm præſenti inſtituto conueniat.

Serapio num is ſit cuius meminit Cornel. Celſus, eruditioribus coniectandum relinquo.

Plinij error Aſtronomicus, aſſeuerantis lunam terra maiorem eſſe. II

EOrum igitur eſt illud unum, uel maximum, quod in ſecundo ſui de naturali hiſtoria uoluminis libro lunam terra maiorem ſcripto prodere nõ dubitauit, quam tamen Ptolemæus & plures alij aſtronomi inſignes, mathematicis rationibus

bus

A bus (quibus nullæ poſſunt eſſe firmiores) multo minorem terra eſſe probaue- *Lunam terra*
runt. Quod etiam ex his quæ Plinius ipſe in eodem loco conſcripſit, facile poſſit *eſſe minorē.*
oſtendi. Nam ſi umbra terræ in quam incidens luna obſcuratur, uel æqualis eſt,
uel excedit lunæ magnitudinem: alioquin enim non poſſet tota umbræ tenebris
abſcondi. Eandem autem umbram à terra miſſam, quum ſol cui ſe obijciens terra
umbram iacit, magnitudinē terræ exuperet, neceſſe eſt, quod & Plinius ipſe ibi-
dem confirmat, in uerticem extenuari, ac figuram metæ ſeu turbinis inuerſi acci-
pere: hac ratione colligitur latitudinis umbræ lunam obtenebrantis diametrum
multo minorem fieri terræ diametro. Quod ſi umbræ latitudo minor eſt latitudi-
ne terræ, eadem aūt umbræ latitudo uel lunæ latitudinem adæquat, uel etiam ſu-
perat, ſequitur neceſſariò lunam terra eſſe minorē. Quod uero Plinius ſuæ aſſer-
tionis profert argumentum, fieri ſcilicet non poſſe, ut totus ſol intercedente luna
terris adimatur, ſi maior ſit terra quàm luna: adeò debile exiſtit, ut quicunque uel
aſtronomicas uel perſpectiuas delibauerit rationes, idem facile poſſit infringere.
Neque enim quum ſol deficit, totus lunæ interuentu adimitur terris, ſed pro ua-
rietate terrarum ſitus alicubi deficit totus, alicubi pars una tantummodo, alicubi
nec deficit quidem. Quibuſdam aūt terris deficere totum, quamuis luna ſit minor
terra nihil prohibet, quum ratio perſpectiua probet corpora inæqualia, cuiuſmo-
di ſunt ſolis & lunæ, propter inæqualē à terra diſtantiā æqualia apparere. Quo fit,
ut quū ſe tantā nobis luna repræſentet propter uicinitatē, quantus ſol longe à no-
bis remotior uidetur, mirandū non ſit eum aliquando totum lunæ interuentu in
aliquo terræ flexu hominū cōſpectibus adimi. Sed hæc ad matheſim pertinentia
omittamus, atq; ad ea ueniamus, ex quorū occaſione diſputatio noſtra ſumpſit ini
B tium, de herbis, de fruticibus, rebuſq; alijs terreſtribus ad medicinæ uſum accom
modatis agamus. Videamus nunquid Plinius in hiſce omnibus cum Dioſcoride
Galeno ac Paulo, cæteriſ'ue præſtantibus medicis, atq; cum ipſa rerum magiſtra
experientia conſentiat: an ut dici ſolet, quandoque bonus dormitet Homerus.

Error Plinij in medicinali materia, deſcribendis fruticibus, & herbis ex nominum ſimi litudine decepti, dicentiſq; multas herbas folium praſſi, id eſt porri, quas Græci autores non porri, ſed praſſij, id eſt marrubij folio pinxerunt. II

PRimum ab ijs exordiamur, in quibus uicinitas nominis, quemadmodum in
ciſtho & ciſſo, eidem Plinio errandi præbuit occaſionem. Illud uero me iu-
uat, quod ad te ſcribo: quem noui non magis oratorum ac philoſophorum quàm
etiam medicorū noſtrorum fuiſſe in libris aſſiduum. Hoc enim mihi futurum eſt
ad breuitatem aptius, quum Dioſcoridis Galeni Pauliue dicta ad probanda quæ
aſſero, non omnia ſcribere ſit neceſſarium, quæ tu aut quicunq; alius Angelo Po
litiano eruditione ſimilis, ſuis quælibet locis apud eos autores quorum teſtimo-
nia citauero, facilime poſſit inuenire. Satis enim mihi ſit, ne ſim prolixus, uerba
ipſa, ſi quis legere uoluerit, ubi quærere oporteat, & autorem, & uoluminis or-
dinem aperuiſſe. Multas herbas ac frutices folijs marrubio ſimilibus ſcribūt Dio
ſcorides, Galenus ac Paulus, quas omnes Plinius non praſſio, id eſt marrubio,
ſed praſſo, id eſt porro folia tradit habere ſimilia. Sic orminon libro uigeſimoſe- *Cap.23. circa*
cundo dixit ſemen habere cymino ſimile, cætera porro. Sic balloten (quæ alio no *finem.*
mine marrubium nigrum à ſimilitudine foliorum appellatur) Plinius libro uige- *Cap.8*
ſimoſeptimo ſcripſit alia nuncupatione porrum nigrum à Græcis uocari, ac fo-
lijs quàm porri maioribus conſtare. Sic ſtachyn porri habere ſimilitudinem lon-
gioribus folijs pluribuſq;, libro uigeſimoquarto notauit. *Cap.15*

C *Error Plinij putantis Leucographida eſſe herbam, quæ tamen eſt ſpecies lapidis.* III

Cap.11 IDem Plinius libro uigeſimoſeptimo de leuce, leucoleuce, aliarūq; herbarū generibus tractās, nominis ſimilitudine ac dictionis figura deceptus, eiſdē leucographida quoque annumerauit, uiſusq; eſt proculdubio leucographida herbam putaſſe, quam tamen Dioſcorides, Galenus & Paulus genus lapidis (quod alio uocabulo Morochthus nuncupatur) eſſe teſtantur. Et ne quis forte pro Plinio obijciat, herbam etiam eſſe quæ eodem nomine cum lapide cenſeatur: eaſdem uires proprietatesq; leucographidi Plinius adſcripſit, quas in eiuſdem nominis lapide
Cap.11 Dioſcorides, Galenus ac Paulus pariter retulerūt. Scribit præterea Plinius de leucographide qualiſnam eſſet, ab autoribus ſcriptum non reperiſſe, quum tamen
Cap.100 Dioſcorides & quid ea ſit, & qualis, ſuo quinto de Simplicibus medicaminibus libro ſatis notificauerit.

Error Plinij de flore tripolij miraculum flori polij adſcribentis. IIII

Cap.7 OB eandem nominis uicinitatem polium pro tripolio, & uiciſſim tripolium pro polio Plinius accepit. Nam libro uigeſimoprimo, duo polij genera de-
Lib.3.cap.116 ſcribit, quemadmodū & Dioſcorides: alterum campeſtre, alterum ſylueſtre, folijs
Lib.21.cap.7 utrunq; canis hominis ſimilibus. At quod miraculū in polio affert, eiuſdem folia mane candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpici: hoc de tripolij flo-
Lib.4.ca.126 re à Dioſcoride ſcribitur. Polium uero atque tripoliū non modò locorum diuerſitate, in quibus utrunq; gignitur, ſed figura inſuper, atque colore, ac proprietatibus etiam inter ſe plurimum differunt. Polium ſiquidem utriuſq; generis partim in campis, partim in montibus naſcitur: Tripolium uero in maritimis tantum lo-
D cis quæ unda maris allidit. Polium habet, ut diximus, folia canis hominis ſimilia, unde & illi apud Græcos nomen tripolium: folijs iſatidis conſtat, quemadmodū de utroq; ſcribit Dioſcorides, & Plinius ipſe libro uigeſimoſexto cōfirmat. Nam
Cap.7 quod apud Plinium legitur de tripolio, folio ſatis groſſiore, palmo alto, error eſt
Plinij locus reſtituitur ex Dioſcoride. codicis. Ita enim legi oportet: Tripoliū in maritimis naſcitur ſaxis ubi allidit unda, neq; in mari neq; in ſolo, folio iſatidis craſſiore, palmeo caule, in mucrone diuiſo. Hæc em̄ omnia uerba ferè ex uerbo Plinius ex Dioſcoride tranſtulit. Quod uero poſtea idem Plinius ſubiungit, hanc herbam eandem uideri quibuſdā, quæ polium, miror ipſum quoq; illorum errorem ſequi potius atq; imitari, quàm improbare, atq; abijcere uoluiſſe, quum quod de tripolij flore miraculum legitur, polij folijs aſſignauerit. Sed paruum hoc futurum erat in uita periculum, ſi non
Lib.26.cap.7 etiam polij uires uiciſſim tripolio adſcripſiſſet: ſcribit enim tripolij radicem dari hepaticis in farre coctam: quod quidem tripolij remedium apud nullum grauioris autoritatis medicum legitur. Polium autem non hepatis tantum, ſed omnium planè uiſcerum uitijs auxiliari, autor eſt Galenus in octauo de ſimplicibus medicaminibus libro.

Error Plinij folium papaueris Heraclij, non ſtruthio herbæ ſicuti Dioſcorides, ſed paſſeri potius ſimile facientis. V

Cap.61 SCribit Dioſcorides libro quarto, quoddam papaueris genus quod ab aliquibus Heraclium appellatur, habere folium tenue ſimile ſtruthio herbæ ita uocatæ: quia uero ſtruthion apud Græcos ſignificat etiam paſſerem, deceptus nominis æquiuocatione Plinius, hanc ſimilitudinem ad auem potius retulit, quàm ad
Cap.19 herbām. Ita enim de heraclio libro uigeſimo ſcribit: Alterum eſt in ſylueſtribus heraclium, folijs ſi procul intuearis, ſpeciem paſſerum repræſentātibus. Sed qui

A fidem ex re ipſa habere non poſſit, aliquanto ſané probabilius exiſtimet, herbam herbæ potius, quàm auibus folium habere perſimile.

Plinij error empetro herbæ uim purgatoriam habenti, alterius empetri quæ ſarxiphages nominatur aßignantis. VI

EMpetrum ubi naſcatur, & quas habeat uires in trahenda bile ac pituita ſcribit Plinius libro uigeſimoſeptimo, eodẽ quo Dioſcorides modo: alias tamen eiſdem ſubiungit facultates, quod urinã ciet, & calculos frangit, quæ à nullo alio autore de hoc empetro traduntur. Quin contrà Galenus empetrum, quod etiã praſoides appellat̃, ſolis purgationibus ſexto libro utile eſſe teſtatur. At quos in altero empetro, quod etiã ſarxiphages dicitur, Plinius legerat effectus, à Græcis autoribus ac præſertim Dioſcoride traditos, huic empetro à ſarxiphage diuerſa, q̃d uim purgatoriam habet, nominis æquiuocatione deceptus, adſcripſit. Cap.19

Error Plinij, folium herbæ britanicæ, alteri ſcilicet betonicæ adſcribentis. VII

BEtonicã à Romanis dictam, à Græcis ceſtrũ pingit Plinius folio lapatij, Dioſcorides autem (cui magis aſtipulatur ſenſus) folio quercus. Alterã uero betonicam, quæ alio nomine britanica appellatur, folia lapatij habere idem Dioſcorides tradit, ut uериſimile ſit Plinium alteram pinxiſſe pro altera. Lib.26.cap.11 Lib.4.cap.2

Error Plinij, parthenium herbam, quæ alio nomine muralium dicitur, cum parthenio altera, quæ uocatur etiam chamæmelon, confundentis. VIII

PArthenium ſcribit Plinius lib.xxi. apud Celſum uocari perditiũ & muraliũ: deinde ſubiungit eaſdem parthenio (quod muralium appellatur) uires, quas Dioſcorides alteri parthenio adſcribit (quod chamæmelon alio nomine dicitur) B quoniã parum folijs & flore ab herba chamæmelo differat: hanc autem partheniũ chamæmelo ſimilem herbã nõnulli ex recentioribus medicis cotulam appellant. Sed hæc parthenium non uocatur à Celſo perditium atq; muralium, ſed altera potius, quæ helxine à Græcis, & ſimul perditium, ac parthenium quoq; nũcupatur, à Latinis autem parietaria & muraliũ dicitur, quia paſſim in parietibus ſeu muris naſcatur: noſtro quoq; æuo uulgò una litera dempta pro parietaria, paritariam appellant. Hanc eandem herbam, ſiue muralium ſiue parietaria dicatur, cõnumerat Celſus libro ſuo de medicina tertio, inter ea quæ uim habent reprimendi ſimul ac refrigerandi, quæ ſané facultas ei parthenio, quæ perditium & parietaria appellatur, nõ autem alteri, quæ etiam chamæmelon dicitur, ab omnibus feré medicinæ autoribus aſcribitur: hæc enim ſunt de eadem Dioſcoridis uerba: Habent folia refrigerandi atq; aſtringendi facultatem, nec de ea aliter Paulus atq; Galenus tradiderunt. Ipſe pariter Plinius libro uigeſimoſecundo eandem & partheniũ, & perditium quoq; nominari confirmat. Cap.50 Celſus lib.3 Lib.3.ca.147

Error Plinij, ariſtolochiæ proprietates radici cyclamini aßignantis. IX

PLinium etiã non tantũ nominũ, ſed rerum quoq; ipſarũ ſimilitudo aliquando decepit: Nam cyclamini radicem, quæ rapum terræ propter rotunditatẽ dicit̃, ariſtolochiæ rotũdæ, quæ & ipſa à radicis rotũditate nomẽ accepit, radicẽ eſſe exiſtimaſſe uidetur. Nam lib.xxv. quo in loco ariſtolochiã quatuor diſtinguit generibus, eius quæ rotunda dicitur radicem ſcribit à piſcatoribus Campaniæ uenenũ terræ uocari, ac coram ſe contuſam immixta calce atq; in mari ſparſam, cõtinuoq; aduolaſſe piſces mira cupiditate, ſtatimq; exanimatos fluitaſſe. Hoc idem ut à uiris grauiſſimis accepi, noſtro fit æuo ab eiſdem piſcatoribus, non ariſtolochiæ rotundæ, ſed cyclamini potius radice, piſces alliciendi atque exanimandi cauſa. Ipſe

C quoq; Plinius eoſdem effectus nõ ariſtolochiæ rotundæ, ſed cuiuſdam cyclamini radici lib.xxv.tribuit. Aut igitur fatendũ eſt, duas eſſe radices, quæ eoſdem præſtent effectus, quarũ tamen alterã eſſe ariſtolochiæ rotundæ radicẽ, neq; ab aliquo autore ſcriptum reperitur, neq; experientia comprobatũ. Aut illud dicendũ erit, cyclaminum quæ radicem habet rotundam, quartũ eſſe ariſtolochiæ genus, quo nihil dici poſſet rerũ naturæ repugnantius: ſiquidem inde apud græcos ariſtolochiæ nomen, ut Dioſcorides, ac Plinius ipſe teſtatur, quoniam ſit optima prægnantibus. Radix uero cyclamini adeò eſt aduerſa prægnantibus, ut ſi eam mulier grauida tranſcenderit, abortum faciat, ueluti Dioſcorides pluresq; alij medici inſignes retulerunt, ac Plinius ipſe quoq; confirmat.

Plinius lib.25. cap.8 · *Dioſcor.lib.3. cap.5*

Error Plinij, intybi ſpeciem cichorium à medicis nominatã, cum heliotropij generibus confundentis. X

Lib.4.cap.183 & 184

QVamuis plures ſint herbæ, quæ circũaguntur cum ſole, Dioſcorides tamen duo facit heliotropij genera: alterũ folijs ocymi, flore albo, ſubruffo, recuruo, ut ſcorpionis cauda poſſit uideri, unde & illi ſcorpiuri apud Græcos nomen: alterũ non abſimile folijs iuxta paludes naſcens. Plinius uero lib.xxij. quũ & ipſe duo genera heliotropij deſcribat, in eiſdem cõprehendere uidet̃ illam intybi ſpeciem, quæ à medicis græco nomine cichoriũ appellat̃: ita enim eodẽ libro de heliotropio ſcribit: Heliotropij miraculũ ſæpe diximus cum ſole ſe circũagentis, etiã nubilo die: tãtus ſyderis amor eſt: noctu ueluti deſiderio cõtrahit cæruleũ florẽ. Genera eius duo, tricoccũ, & helioſtrophiũ. Hoc altius (quanq; utrũq; ſemipedalem altitudinem nõ excedat) ab ima radice ramoſum. Semen in folliculo meſſibus colligitur. Naſcitur non niſi pingui ſolo, cultoq; maxime: tricoccũ ubiq;. Si decoquatur, inuenio in cibis placere. Quidnam aliud erit heliotropij genus, cuius flos cæruleus exiſtat, et nõ niſi pingui cultoq; ſolo naſcatur, quodq; ſi decoquat̃ in cibis, placeat, præter eam quam diximus intybi ſpeciem? hanc tamen Dioſcorides quũ de ſeride tractaret, ueluti unã eiuſdem ſeridis ſpeciẽ notificandã duxit, ac proprietates longe ab heliotropij uiribus diuerſas aſſignauit. Quare mirandũ eſt quo pacto Plinius hoc loco ubi intybũ deſignare uidetur, eaſdẽ tamen uires poteſtateſq; ſubſcribat, quas in utroq; heliotropij genere tradidit Dioſcorides. Auget etiam illud magis admirationẽ, quod idem Plinius intyborũ remedia, ac præſertim illius quod cichorium à Græcis dicitur, cuius flos cæruleus cum ſole circumuertitur, priore in libro ſcilicet uigeſimoprimo ſuo loco notauerat, plurimũ ab ijs quæ de utroq; heliotropio traduntur differentia.

Cap.21 · D · *Cap.15*

Error Plinij, herbam fragra ferentem cum pentaphyllo miſcentis. XI

SImili errore Plinius pentaphyllon, atq; herbã fragra ferentẽ pro eadem accepit, ac pentaphylli notas ſimul ac uires eidẽ herbæ, præter pentaphylli nomen cenſuit aſcribẽdas: ſic eñ lib.xxv. de pentaphyllo retulit: Pentaphyllũ nulli ignotum eſt, quũ fragra quoq; gignendo cõmendet̃. Exiſtimarẽ tamen in re tam nota eſſe codicis potius q̃ Plinij errorẽ, ac pro pentaphyllo trifoliũ legi oportere: quoniam ea herba quæ fragra gignendo cõmendatur, & quæ nulli ignota eſt, nõ quinis, ſed trinis conſtat folijs, niſi poſtea Plinius alia nomina græca ſubiungeret, atque alia afferret indicia, quæ non ſunt alterius herbæ, quàm pentaphylli propria.

Cap.9

Error Plinij, adarcen, quæ ſalſugo eſt harundinibus adhærens, inter ſpecies harundinum connumerantis. XII

Cap.36

ADarcen Plinius inter ſpecies harundinũ lib.xvi. connumerat, ubi ita ſcribit: Eſt & in Italia naſcens adarce nomine, paluſtris ex cortice tantũ ſub ipſa coma:

A ma: utiliſſima dentibus. Adarcen uero Dioſcorides, Galenus & Paulus, nõ harũdinis ſpeciem, ſed potius ſalſuginem quandam in exiccatis paludibus harundinibus adhærentem eſſe ſcripſerunt. Dioſcor. lib. 5. cap. 91

Error Plinij, lemniam rubricã à lemnia ſphragide ſeu terra ſigillata non diſtinguentis. XIII

PLinius lib. xxxv. inter cæteros colores natiuos lemniam quoq; rubricã connumerat, cui inter alia rubricæ genera palma à ueteribus dabatur. Hanc præterea multũ ab antiquis celebratã cum inſula in qua naſcit̃, refert, nec niſi ſigillatam uenundari ſolitam: unde & ſphragidos illi nomen fuerit apud Græcos. Hac præterea miniũ ſubliniri adulterariq;, remq; in medicina preclarã eſſe teſtatur: omnes enim huic lemniæ rubricæ facultates ſubſcribit, quas priſci medici in terra ſigillata tradiderunt. Videtur itaq; Plinius lemniam rubricã, & lemniũ ſphragida ſiue terram ſigillatã eandem eſſe exiſtimaſſe. At Galenus, tum aliarũ rerum quæ ſunt in medicinæ uſu, tum huius præſertim terræ ſigillatæ diligentiſſimus inueſtigator, ut qui quẽadmodũ de ſe ſcribit, longis itineribus ad Lemnũ inſulã nauigauerit, ob nullam aliam cauſam, niſi ut lemniã ſphragida, & quomodo naſceret̃, & qualiſnam eſſet oculis ipſis contemplaret̃: aliud eſſe rubricã lemniã, aliud lemniã ſphragida in ſuo de theriaca ad Piſonẽ lib. apertiſſime oſtendit: ita enim in eodem libro de lemnia ſphragide ſiue terra ſigillata ſcribit: Præſtat aũt eam nõ appellare rubricã, ſed terrã: eſt eñ quædã rubrica, quæ in inſula Lemno naſcit̃, qua ad alios utimur effectus, diuerſos ab his ad quos terra ſigillata adhibet̃. In nono aũt ſui de ſimplicibus medicaminibus libro idem Galenus terrã lemniam tribus diſtinguit Cap. 6 generibus: Primũ eſt eius quæ ſacra dicebat̃, quam neminẽ præterquã Dianæ ſa- *quæ dicta terra ſi[gil]lata.*
B cerdotem attrectare fas erat, cui etiam eiuſdẽ deæ ſignatura imprimebat̃, atq; ob id lemniũ ſigillum uocabatur. Secundũ eius quæ eſt uere rubrica qua fabri lignarij utebantur. Tertiũ illius quæ uires habet abſtergentes, atq; ob id erat in uſu fullonum præcipua. Si itaq; in re, quã adeò curioſe inueſtigauit Galenus, eidem magis quàm Plinio credere oportet, non recte Plinius quæ de terra ſigillata à ueteribus medicis tradita fuerant, eadem lemniæ quoq; rubricæ, quæ inter colores ponitur, ac non fuit tantæ celebritatis, ut non niſi ſigillata uenderet̃, neq; eoſdem habet quos lemnium ſigillum in medicina uſus, cenſuit adſcribẽda. Et hæc quidem omnia probant Plinium ea quæ omnino inuicem diſtant, aliquando rei, ſæpius uero nominis ſimilitudine deceptum, eadem eſſe exiſtimaſſe.

Error Plinij, ciſthon, id eſt herbã ladaniferam, cum ciſſo, id eſt hædera confundentis. XIIII

DE ciſſo uero ac ciſtho, quanquã nõ per uolumen, ſed per priuatã epiſtolam, ut qui nolim mihi cum homine mihi amiciſſimo, quem colo & obſeruo, publicas eſſe de ſtudijs contentiones, tuis quas mihi pro Plinio obieciſti rationibus, reſpondere ſtatuerã: hic tamen locus exigit, ut pluribus etiã argumentis quàm in dictatis feceram, oſtendam Plinium alteram ab altera neſciuiſſe diſtinguere. Plinius libro decimoſeptimo deſcribens omnia hæderarum genera, prima in marem ac fœminam diuidit, ac utriuſq; florem ſimilem ait roſæ ſylueſtri, colore floris in mare ad purpuram accedente: ex quo illud intelligi uoluit, fœminæ florem magis albeſcere. Hæc autem maris ac fœminæ differentia, floriſq; in figura ſimilitudo, in colore diuerſitas, neque à Theophraſto, neque à Dioſcoride, neque ab alio grauioris autoritatis uiro in hædera, ſed in ciſtho planè deſcribitur. Veriſimile igitur eſt, Plinium nominis uicinitate deceptum, eo in loco quæ de duobus ciſthi generibus traduntur, hæderis tribuiſſe. Idem Plinius libro duodecimo, ubi de ladano tractans, quo pacto ab hircorũ barbis depectatur inſinuat, ita ſcripſit: Cap. 34. et lib. 24. cap. 10 Cap. 17

C Sed hæderæ flore derоſo,paſtibus matutinis,quũ eſt rorulenta Cypros: Deinde
nebula ſole diſcuſſa in puluerẽ madentibus uillis adhærere,atq; ita ladanũ depe-
cti.Poteſt ne lucidius oſtendi Plinium pro ciſtho ciſſon, id eſt hæderã accepiſſe?
nam quis unquã retulit præter Pliniũ, qui ciſſon, id eſt hæderã,pro ciſtho poſuit,
pingue illud quod à lada herba,quæ etiã ciſthos dicitur, ladanũ nuncupatur,bar-
bis hircorũ hæderã uel hæderæ florem depaſcentium adhæreſcere? Hoc enim de
ciſtho ſiue lada,quod & ladani nomen indicat, ab eadem herba deriuatũ, non aũt
de ciſſo ſiue hædera,Dioſcorides, Galenus,Paulus, & quicunq; de ladani genitu
ra ſcripſerunt,uno conſenſu retulerunt. Quin Plinius ipſe eodem in loco ita ſcri-
bit:Sunt qui in Cypro herbã ex qua id fiat, ladam appellant, etenim illi ladanũ uo
cant huius pingue inſidens. Ac poſtea lib.uigeſimoſexto,de eadem herba ac lada
Cap.8 no nõ aliter ſcripſit,quàm ſuprà cõmemorati uiri:hæc enim ſunt eius uerba:Lada
appellatur herba,ex qua ladanũ fit in Cypro,caprarũ barbis adhæreſcens.Eſt igi
tur ciſthos uel lada ſiue ledon,non aũt ciſſos,id eſt hædera, cuius flore depaſto la-
Cap.17 danum hircorũ barbis adhæreſcit,quod Plinius ipſe hoc in loco lib.ſcilicet xxvi.
planè confirmat:quamuis lib.xij.uiſus ſit dubitaſſe, utrũ eſſet hædera uel lada,ex
qua in Cypro ladanũ fieret.Cuius dubitationis originẽ inde manaſſe crediderim,
quod aliquando ex ciſtho,aliquando ex lada (quoniã utroq; nomine eadem her-
ba indicat̃) ladanũ colligi apud diuerſos autores legiſſet.Ipſe tamẽ modus quẽ Pli
nius inſinuat,q̃ pacto ladanũ hircorũ barbis adhæreſcat, facile oſtendit fruticẽ uel
herbã,cui pingue illud inſideat,humilẽ eſſe ac per terrã ſe ſpargentẽ,nõ quemad-
Lib.12.cap.17 modum hædera per arbores ſe ab humo attollentẽ,cum ita ſcribat: Deinde nebu
la ſole diſcuſſa in puluerẽ madentibus uillis adhæreſcere. Neq; enim barbæ hirco
D rum hæderã depaſcentiũ,quæ ut nõnullis placet, ideo hædera dicitur, quia ædita
petat,nebula in puluerẽ ſole diſcuſſa maderẽt,niſi nõ ciſſum ſiue hæderã,ſed cha-
mæciſſum potius,hoc eſt hæderã humi repentẽ depaſcant̃. Atqui quo pacto hoc
etiã in Cypri inſula fieri poſſit,in qua ſi Theophraſto grauiſſimo autori credimus,
nec hædera quidẽ naſcat̃? ſiquidẽ Cypros inſula ſit ad Aſiã pertinẽs, ut omẽs co-
ſmographi cõſentiunt,nec Plinius ipſe diſſentit,qui etiã fruſtra ab Harpalo hæde
Lib.16.cap.34 ram in Aſia ſatam affirmat. Vtrũ uero ſuis temporibus in eodẽ cœli tractu proue-
niret nõ aſſerere auſus,id tantũ ſcripſit:Hædera iam dicit̃ in Aſia naſci:unde luce
clarius apparet,Pliniũ in eundẽ errorẽ incidiſſe, in quẽ lapſus eſt Auicẽna, quum
in ſuo de ſimplicibus medicaminibus libro,herbã ex qua fit ladanũ, hæderæ ſpe-
ciem ſignificauit. In xxiiij.libro Plinius, quũ poſt factam de hæderis mentionẽ de
duobus quoq; ciſthi generibus ſcribit, ea uerba ſubiungit:Sub his maxime naſci-
tur hypociſtis.Ex quibus uidetur innuere,ſub his quidem ciſthi generibus maxi-
me naſci hypociſtidẽ:ſub hæderis aũt naſci etiã aliquando , licet nõ adeò frequen-
ter.Neq; enim eo in loco aut alibi,Plinius de alijs ciſthi generibus aliquid dixerat,
ut id maxime ad eorũ potius quàm ad hæderarũ cõparationẽ poſſet referri . Poſ-
Lib.26.ca.34 ſum ergo ſic colligere:Hædera apud Pliniũ diuidit̃ in marem ac fœminã:utriuſq;
flos ſimilis roſæ ſylueſtri deſcribit̃ eodem autore : in inſula Cypro, hæderæ flore
deterſo, ladanũ hircorum barbis adhæreſcit:ſub hæderis quoq; hypociſtidẽ naſci
aliquãdo ſignificat̃. Hæc autem omnia à nullo autore,excepto Plinio, de hæderis
ſcribunt̃,aut ſenſu ipſo ſiue experientia cõprobant̃:ſed de duobus ciſthi generi-
bus planè tradunt̃, atq; uſu ipſo ita eſſe cognoſcunt̃. Hæc igit̃ euidentiſſima ſunt
argumenta,Pliniũ eodẽ cum cæteris errore deuiaſſe,qui ciſthon à ciſſo,hoc eſt ab
hædera neſciuere ſecernere. Atq; his quidẽ,ut ego arbitror,rationibus motus eſt
autor libri,qui Cornucopiæ inſcribit̃,uir ut apparet in herbarũ inueſtigatione nõ
indiligens,neque omnino earũ imperitus,ut de hæderis tractans ſcribat ciſthon à
quibuſdã

A quibuſdam inter hæderarũ genera cõnumerari. Hoc enim in Plinio eſt ita manifeſtum, ut de eo nulla dubitatio haberi poſſit. Sed quoniã ut in prouerbio dicitur, ſi cæcus cæcũ ducat, ambo in foueã cadunt, exiſtimauit idem uir alioquin græcarum doctiſs. literarũ, ciſthon eſſe arbuſculã quandã à lada differentẽ, atq; ab illa ciſthum, ab hac ladanum, id eſt pingue, q̃d utriuſq; plantæ folijs inſideat, appellari, quũ tamen Dioſcorides, Galenus & Paulus eandem eſſe teſtentur ciſthon & ladam ſiue ledon, à qua id genus odoris quod ladanũ dicitur, nomen acceperit.

Error Plinij, putantis glaſtum herbam infectiuã, eſſe ab iſatide differentem. XV

NEq; uero in eo tantũ Plinius erraſſe uidet̃, quoniã ut ſuprà oſtendimus, res omnino diuerſas pro eiſdem accepit, ſed ob id etiam quod eaſdem ob nominum uarietatem putauit eſſe diuerſas: quanq; & eas quæ eodem nomine nuncupantur, uarijs in locis tam uarie deſcripſerit, ut q̃uis eædem eſſent, ipſum tamen differentes exiſtimaſſe iure quiſpiã poſſit arbitrari. Glaſti ſimilis herbæ plantagini ſucco ſcribit Plin. lib. xxij. infici ueſtes, idq; ei herbæ nomen eſſe apud Gallos: Cap. 1. noſtro quoq; æuo paucis mutatis literis guadum appellatur: at conſtat hanc eandem herbã à Græcis iſatidem uocari. Nam Dioſcorides ſcribit, iſatidis ſucco uti infectores lanarũ, eandemq; herbam habere foliũ plantagini ſimile, atq; à Romanis glutam uel glaſtum nuncupari. At Plinius lib. xx. iſatidem tertiũ genus facit Cap. 7. lactucæ ſponte naſcẽtis, quarto ſimili lapatho ſylueſtri dicit uti infectores lanarũ: Quod etiã ipſum à Græcis iſatidẽ dici idem Plinius eo in loco facile indicat, quoniam eoſdem effectus quarto generi tribuit, quos Dioſcor. iſatidi aſſignat. Quũ igitur Plinius nullam eodẽ in loco admonitionẽ adiecerit, eandem eſſe hanc iſatidem à Græcis uocatã, quam lib. xxij. à Gallis glaſtũ appellari docuerat, uidetur

B profectò ignoraſſe quã herbã Græci Iſatidis nuncupatione ſignificarent: alioqui ſicuti eaſdem uires in quarto genere lactucæ ſponte naſcentis ſcripſerat, quas in iſatide Dioſcorides, ita eidem folia plantaginis ſicuti in glaſto fecerat, deſignaſſet. Quid quod etiã (niſi menda ſit codicis) quæ à Græcis dicatur iſatis, radiculã à Latinis uocari, ac folijs oleæ conſtare ſcribitur eiuſdem Plinij libro xx. ac poſtmodum eandem radiculam non iſatim, ſed ſtruthion potius ab eiſdem Græcis appellari, eiuſdemq; ramos tingentibus præparari, lib. xxiiij. inſinuat̃. Quænam igitur Cap. 11. hæc erit nominum ac rerum ipſarũ confuſio, ſi eadem herba aliquando glaſti, aliquando radiculæ, aliquando iſatis, aliquando ſtruthij nomine in Plinio legatur, et nunc oleæ, nunc plantaginis, nunc uero lapathi folio deſcribatur? Non ab re itaq; uenerandus antiſtes Petrus Barotius epiſcopus Patauinus, quemadmodũ in omnium bonarũ artiũ diſciplina eminentiſſimus, ita in hac quoq; medicinæ parte, neq; ipſis medicis inferior, herbarũ notitiã noſtris temporibus penè impoſſibilem arbitratur: quoniã priſca earũ nomina ſunt nobis ignota. In nulla uero tam manifeſta indicia ab antiquis tradita habemus, quin totidem ex aduerſo in contrariam poſſint adferri ſententiã: ſiue hæc aut tradendi, aut diſcendi herbarũ ſcientiã difficultas inde habeat originẽ, quod uarijs anni temporibus herbæ faciẽ cum ætate cõmutent, ſiue quod earũ colores atq; figuras nõ tam facile ſit homini deſcribere, quàm naturæ pingere atq; formare. Hinc illa autorũ in eiſdem notificandis diſſenſio: hinc illa nominũ ambiguitas, ut ferè maior pars medicorũ neſciat quid ſtruthij quod Arabes condiſi appellant, quid eupatorij, quid centaureæ maioris, quid alſines, quid oxymyrſines uocabulis antiqui autores ſignificare uoluerint: Qui uero ſeſe ſcire opinantur, illi etiã in maiori errore uerſentur. Nam quũ ſeculũ noſtrũ ab Hippocrate, Dioſcoride, Galeno, atq; omi uetere medicina ad garrulas quaſdam atq; ſophiſticas diſputationes declinauerit, multa nos latent: quæ ſi ueterũ libros ita legendos cenſeremus, ſicuti Calculatores, Iacobos, Conciliatores, Pluſq;

C cõmentatores, reliquoſq; huiuſcemodi autores, in quibus plurimũ oſtentationis minimũ utilitatis, nõ ignoraremus. Neq; enim impendio arduũ eſſet, ſi nõ omnia ſaltem earũ pleraq; cognoſcere, quæ adeò familiaria ſunt ut nõ modo ad medicinam, ſed ad alios quoq; uſus aliquãdo adhibeanť, quemadmodũ de oxymryſine atq; arctio ſumus indicaturi. Nam quum hæc atq; alia ſimilia nomina plurimũ ſint ab illis, quibus hodie in eiſdem rebus ſignificandis utimur differentia, plerũq; accidit, ut quũ eadem in ueterũ libris lectitanť, aut medicamina peregrina, aut à cõmuni uſu remotiſſima eſſe putentur, quũ tamen nemo ſit qui illa in horto ſuo nõ habeat, ac nõ eiſdem frequentiſſime utatur, non ſine omni tamen periculo, quũ quis eis aliter utitur, q̃ priſci medicinæ autores ſtatuerunt. Siquidem quid ipſi de huiuſmodi rebus ſenſerint, coniectare nõ poſſumus, quarum nomina apud eoſdem uſitata ignorentur: tum uero maxime (ut diximus) aberratur, quum quiſpiã ſe noſſe exiſtimat quid aliquo nomine ab antiquis indicetur, quod tamen ſub alia ab eiſdem nuncupatione comprehenditur.

Diſcordia autorum Arabum in deſcriptione eupatorij. XVI

QVemadmodũ in eupatorio, centaurea maiore, argemonio, ac pleriſq; alijs plantis cõtingit, pro quibus diuerſæ ab ijs, quas eiſdem uocabulis antiqui deſignarũt, quotidie à noſtræ ætatis medicis recipiuntur: quibus tamen nõ adeò Plinius quàm Arabes autores, qui & ipſi alius aliter de eadem re tradiderunt, errandi occaſionẽ præſtiterũt. Auicenna ſcribit eupatoriũ habere folia canabis, florem nenufaris. Meſue idem eupatoriũ folijs centaureæ minoris floribus ſubcitrinis, longitudinis paucæ conſtare. Serapio folijs pentaphylli aut canabis, florem autem nõ explicat. Fortunatũ eſſe oporteat qui diuinare uoluerit, quiſnam horũ

Auicenna ſimplicium medicaminũ libro, capite 244.

D ueriora retulerit: ac quod medicus ille precabatur, qui medicinã ſorti cõmiſerat, Dij ſua cuiq; remedia quibus illa extraherentur ſecundarent, itidem à nobis orandum, ut bona fortuna in uerum incidamus autorem.

Error Auicennæ ac Serapionis, in herba Iſatide, quam Nileg Arabice nominarunt. XVII

BEne tamen ſe res habet, quod ea de qua paulò ante loquebamur, iſatis nõ eſt, ſicuti eupatoriũ in medicina frequens: neq; enim de ea minus, q̃ apud Pliniũ legitur, uaria à noſtris traduntur qui Arabes autores ſequunť, quibuſq; maxima ætate noſtra fides adhibetur in exponendis uocabulis, medicamina quæ in libris ueterũ medicorũ leguntur, ſignificantibus hanc à Græcis iſatidem herbã appellatam, Arabes Nil atq; nilegi appellant, licet hoc Simon Genuenſis, & autor Pandectarũ, & Conciliator in expoſitionibus Dioſcoridis, ignoraſſe uideantur: Nam Simon iſatidem nunc ſine h aſpiratione, nunc cũ h aſpiratione ſcribit, & aliquãdo oſatim, aliquando iſatidem uocat: ſiquidem in litera I, refert Dioſcoridis de iſatide uerba, neq; ut in alijs quorum certiorem habet ſcientiã admonet, iſatidem eandem eſſe, quæ Nil ſiue nilegi ab Auicen. atq; Serapione appellatur, quin Nil herbam arabice dictam, neſme græce, nõ autẽ iſatidem uocari aſſeuerat. Atqui facile erat aduertere, q̃d ea quæ de iſatide ſatiua & ſyluestri à Dioſcoride ſcribuntur, eadem ferè omnia de Nil ſiue nilegi à Serapione atq; Auicenna traduntur, quanq; & hi ambo autores hanc herbam ipſam quæ à Græcis iſatis diceretur, nõ ſatis nouiſſe uideanť, alioquin non ita uarij atq; ancipites in eadem referenda fuiſſent. Serapio quidem Nigel ſuam, quam pro iſatide poſuit, quãuis ex ſententia Dioſcoridis eandem deſcribat, affert tamen & aliorũ autorum ſententias, quorũ aliqui nileg habere florem coriandri dixerunt, aliqui folio phaſeolorũ conſtare: quas quidem opiniones facile improbare potuiſſet, ſi herbam ipſam non tam ex aliorum ſcriptis, quàm ex ſe ipſo cognitam atq; perſpectam habuiſſet.

A *Error Simonis Genuenſis in ſucco herbæ qua panni tinguntur: Et quid ſit Indicum ſecundum Dioſcoridem & Plinium.* XVIII

IDem Serapio plantam quæ Habnil, id eſt granum indicum gignit, ſcribit eſſe ſimilem plantæ Lelib, id eſt inuoluolo ſiue uolubili, ut uocabulis utar apud medicos noſtros uſitatis, ac ramis præterea folijsq; uiridibus, flore in cuiuſque folij radice purpureo conſtare, pluraq; alia eiuſdem plantæ addit indicia, quæ plane oſtendunt eam eſſe omnino ab iſatide differentem. Hinc ortus eſt Simonis error, qui de Nil in litera N ita ſcripſit: Nil arabice eſt indicum, quo panni tinguntur, & eſt ſuccus plantæ ſimilis uolubili: ſemen eius inter laxatiua ponitur. In quibus uerbis, ſi Simon illud indicum innuat, de quo Dioſcorides, Galenus & Paulus tradiderunt, multiplex eſt mendacium. Neque enim indicum eſt herbæ ſuccus: uerum ut ſcribit Dioſcorides libro quinto, & Plinius quoque idem retulit libro trigeſimoſeptimo, indicum eſt duorum generum: alterum quod fit harundinum indicarum ſpumæ adhæreſcente limo: alterum ex purpuræ ſpuma in purpurarijs officinis cortinis innatante. Si uero ita indicum accipiat, ut nos uulgò uocare conſueuimus ſuccum quendam herbæ, quæ à Græcis iſatis, à noſtris guadum, ut antea docuimus uocitatur, quod indicum dixerit herbæ ſuccum, non ſanè à uero diſſentit. At quod ea herba ex qua is ſuccus exprimitur, qui indicum appellatur, ſit inuoluolo ſimilis, tam eſt in propatulo falſum, ut improbatione non egeat. Idem Simon in litera H refert ex ſententia Theodori Priſciani, iſatim eſſe Rubeam tinctorum. Poſtmodũ in litera O dicit, oſatim, ut Macer ſcribit, eſſe gratam tinctoribus herbam: quæ dicta tam uaria non paruam fidem faciunt ignoraſſe Simonem, quid apud Græcos iſatis, & quid apud Arabes Nil ſignificaret: B quanquam in hoc poſtremo Simoni ſit ignoſcendum, nam & Arabes ipſi de eadem Nil ſibi non conſtant, quemadmodum ex ſcriptis Serapionis probauimus. Auicenna quoq; quamuis uires potius ac proprietates plantarũ enarrare quàm earum effigies indicare ſtuduerit, quum tamen ipſe quoq; de eadem iſatide tribus in locis ſub Nil uocabulo ſcribat, meritò ſuſpicionẽ affert, ſe etiam titubaſſe atq; ancipitem fuiſſe quidnam eſſet iſatis, nam in litera N eadem de Nil ſcribit, quæ de iſatide Dioſcorides, quoniã eodem modo diuidit in ſatiuam, atq; ſylueſtrem, atq; eaſdem ferè uires ac proprietates herbæ Nil tribuit, quas iſatidi Dioſcorides. Sed rurſus idem Auicenna in litera G ita ſcribit: Guaſmeim eſt foliũ Nil. Et quædam alia ſubinfert, quæ in litera N de eodem folio declarauerat: unũ tantũmodo addit, quod capillos inficit: Nõ tamen in his neq; à ſeipſo, neq; à Dioſcoride multũ Auicenna diſſentit, ob id tantũ reprehendendus, quod fruſtra de eadem re in diuerſis literis ſcribat. At in eadem litera G plurimũ à Dioſcoride ac ueritate ipſa uidetur diſcrepare, de grano enim Nil ita ſcribit: Granum Nil eſt cartamũ Indum: deinde multas proprietates ſubinfert, quæ nihil ad iſatidem pertinẽt, pro qua Nil ſiue nigel idem Auicẽna in N litera retulerat. Meſue quoq; hunc errorem animaduertens, ubi de cartamo ſcribit, dicit quoſdam falſo putaſſe cartamũ eſſe granum Nil.

Cap. 61
Cap. 10
Cap. 297

Error Pandectarij in herba Iſatide, quam putauit eſſe radiculam. XIX

NEc minor eſt apud autorem Pandectarũ in eiſdem rebus nominibusq; colluuio, nam & ipſe falſo ſcripſit, quod arabice Nigel dicitur, Neſme à Græcis appellari, à Latinis autem Indicum. Et quamuis herbæ Nil ſiue indico omnes facultates ſubſcripſiſſet, quas Dioſcorides atq; Galenus & Paulus iſatidi tribuunt, idem tamen alio in loco uidelicet in litera B ſcribit oſatidem uel potius iſatidem & Borith græce, arabice autem Agiſdo, latine ſaponariam uel herbam fullonum Cap. 11

C omnibus hiſce nominibus eandem herbam nuncupari. Ex quibus uerbis uidetur innuere iſatim, quam ipſe uitioſe oſatim appellat, eſſe radiculam illam, cuius
Cap.7 adeò ſuccum in purgandis lanis Plinius libro uigeſimo extollit, niſi quod poſtmodum proprietates ſubſcribit, quæ non ſunt radiculæ ſeu herbæ fullonum, ſed iſatidis potius, id eſt herbæ tinctorum propriæ. Quantum uero huic autori Pandectarum credere debeamus, uno eiuſdem uiri ignorantiæ argumento recitato patebit. Docet Dioſcorides ex folijs chamæleæ cum duabus partibus abſinthij addito melle uel aqua fieri catapotia, id eſt pilulas. Hic autem bonus uir quicunque fuerit, qui libros omnia mendacia cõtinentes compoſuit, neſciens catapotia apud antiquos ſignificare eas quas nos uulgò pilulas appellamus, dixit docere Dioſcoridem fieri trochiſcos admixto abſinthio duplici menſura, & una parte chamæleæ, & cataputiæ: quaſi apud Dioſcoridem hoc uerbum Catapotia non pilulas, ſed plantam potius, quæ uulgò cataputia dicitur, ſignificaret. Sed ne dum aliorũ potius quàm Plinij errata perſequimur, uſq; ad faſtidium uolumen excreſcat, ad propoſiti noſtri inſtitutum reuertamur.

Error Plinij in Echi & Alcibio, quas duas eſſe herbas putauit, cum tamen ſit eadem. XX

ECHios alterũ genus deſcribit Plinius, eodem quo Dioſcorides modo, lanugine ſpinoſa, & capitulis uiperis ſimilibus: hanc eandem refert Dioſcorides libro quarto ab aliquibus Alcibium uocari. Plinius tamen libro uigeſimoſepti-
Cap. 9 mo quaſi de alia re uerba faciens quàm de echi, quam libro uigeſimoquinto con-
Lib.27.cap.5 tra ſerpentes bibi ex uino & aceto docuerat, ita ſcribit: Alcibium qualis eſſet her-
D ba apud autores non reperi: ſed radicem eius ac folia trita ad ſerpentis morſus im-
Cap.27 poni & bibi iubent. Sic Dioſcorides libro quarto, echios radicem ac folia è uino potari iubet contra eoſdem ſerpentes. Eſſe uero eandem alcibiũ & echiũ, illud nõ tenue eſt argumentum, quod neq; Dioſcorides, neq; Paulus de alcibio ſeorſum ſcripſerunt, ſed de echi tantummodo, quam alio uocabulo alcibium ſiue alcibia-
Verba Nicandri ſunt eodem loco apud Marcellum ſcripta. dion dici pariter retulerũt. Nicãder etiã in Theriacis ſuis, id eſt in eo libro, in quo remedia ſcribit contra animalia uenenata, eandem herbam alcibium & echin utroq; nomine nũcupat, atq; eiuſdem libri expoſitor: Alcibium quidem ab inuentore, uel ut Demetrius inquit, ab Alcibio quodã qui primus ex eadem herba remedium ſenſit: Echium autem, quoniam contra uiperarum ictus utiliter bibitur, ſcribit appellatam.

Error medicorum recentiorum exiſtimantium ſerpentem tirum quem nominant, cuius carnes in compoſitione theriacali ſumuntur, eſſe ſerpentem peregrinum, qui tamen innaſcitur Italiæ, latine uipera, uulgò autem maraſſus ſeu Scurzo nominatus. XXI

SEd quoniam de theriacis facta eſt mentio, non poſſum me tẽperare quin hoc in loco medicorum noſtrorum errorem pateſaciam, qui nobile illud antido-
Theriaca. tum, quod theriaca uocatur, non ἀπὸ τῶν θηρίων, id eſt feris, contra quorum uenena exhibetur, aut quæ in eiuſdem compoſitione miſcentur (non ſunt autem
Tirus ſerpens. aliæ quàm uiperæ) ſed à quodam ſerpente qui proprio nomine Tirus nuncupetur, quemq; omnino huic antidoto addere oporteat, nomen traxiſſe opinantur: eundem autem ſerpentem ex Aegypto uſq; petunt, & qui fidem facere uolunt ſe omnia diligentiſſime conquiſiuiſſe, quæ ad theriaces compoſitionem ſint neceſſaria, unà cum alijs quæ eidem miſturæ adiunguntur, publice ueſcendũ exponunt,

A nunt: ſed neq; ſerpentem illum norũt, quem huius antidoti inuentores, theriacæ addi iuſſerunt, neq; pleraq; alia, quæ in eadem compoſitione iunguntur. Neq; enim tiri nomen in libris Arabum aliud ſignificat, q̃ eam ſerpentis ſpeciem quã Græci echidnam, nos uiperã appellamus. Videntur ſiquidem Arabes quod nomen eſt generis, apud Græcos tribuiſſe ſpeciei: nam uipera θηρίον, id eſt feræ ſpecies eſt. Arabes autem uiperã pro Therio thiron (corrupto uocabulo) nominãt. Et qui à Galeno & Paulo trochiſci ſiue paſtilli theriaci nuncupantur, quoniam in ipſis theria, id eſt uiperæ quæ è genere ferarũ ſunt commiſcentur, ab Auicenna in deſcriptione theriaces Andromachi, trochiſci tiri appellãtur. Nihil uero aliud in libris Arabum ſignificare tiron quàm uiperã uel eo potiſſimũ argumento probatur, quod quæcunq; Serapio de tiri carne cõſcripſit, & quonam modo pro uſu medicinæ paretur, & quoſnam præſtet effectus, hæc om̃ia à Dioſcoride, Galeno, ac Paulo de uipera ſerpente ſcribuntur, quorum etiam autorum Dioſcoridis præſertim atq; Galeni, idem Serapio in huius ſerpẽtis uſu affert teſtimonia: atqui neq; tirus neque aliud pro tiro ſerpentis nomen præter echidnam, id eſt uiperam, uſquam in Galeno aut Dioſcoride legitur. Conſtantinus autem qui medicinam in Arabum libris edidicit, ſigna morſus tiri, atq; ad eundem remedia, non alia quàm Dioſcorides in echidna, id eſt uipera, retulit. Scribit Plinius libro nono, piſo carentium duo tantum animal generare, Delphinum & uiperam. Hoc idem de tiro legitur in libris Ariſtotelis de animalibus ex arabica in linguam latinam tranſlatis. Pudet me opinionem tam uanam, quæ ſeipſam refellit, pluribus argumentis improbare: neque ſatis mirari poſſum multos ætate noſtra medicos celeberrimos hæc uaria in diuerſis linguis interpretamenta parum diligenter intuentes, B quum aliquando tirum, aliquando uiperam in medicorum libris lectitarent, non nominum tantum, ſed animalium quoq; diuerſitatem eſſe exiſtimantes, alios credidiſſe trochiſcos è uipera, alios è tiro, tirumq; eſſe peregrinum ſerpentem, quem ad theriaces compoſitionem ex Syria uſq; quærere oporteret. Vtinam tiri, id eſt uiperæ, quæ uulgò à quibuſdam Maraſſi, à quibuſdam Scorzones appellãtur, in Italia non naſcerentur, neq; enim dolendum eſſet nos eo carere ſerpente, quo & ſi aliquando ad hominum ſalutem uti poſſimus, ſæpius tamen eſt ſuo ueneno noxius quàm remedio ſalutaris.

Lib. 5 · *Cap. 14* · *Tirus uipera & Maraſſus idem.*

Error Auicennæ atq; Gentilis eius expoſitoris, putantium tirum eſſe ſerpentem diuerſum à uipera. XXII

HVius tamen erroris præcipuus, ut mihi uidet, autor fuit Auicenna: qui quũ uarias theriaces compoſitiones ſcribat, eoſdem trochiſcos qui in eadem theriaca miſcentur, aliquando trochiſcos è uiperis, aliquando trochiſcos tiri nominat. Atqui idem trochiſci in quibus uiperæ ponuntur, non alia ratione trochiſci theriaci à Græcis appellantur, niſi quoniam theria, id eſt uiperæ quæ ex ferorum animalium genere ſunt, eiſdem trochiſcis adiunguntur: durat tamen hæc ut diximus perſuaſio apud noſtros, tirum ſerpentem alium eſſe à uiperis, qui quoniam apud Aegyptios tantummodo reperiatur, non aliunde quàm ex Memphi optimam ad nos theriacam apportari arbitrantur. Gentilis etiam maximæ æuo noſtro autoritatis medicus, in expoſitionibus ſuis in quintum Auicennæ librum, uiperas ex quibus docet Auicenna fieri trochiſcos, exiſtimat, non eſſe id ſerpentis genus, de quo Nicander, ut Galenus etiam teſtatur, elegantiſſimo carmine græco in hanc ſententiam ſcribit, quam nos ut potuimus in latinã uertimus linguam:

Gentilis.

Vipera ſæua caput letali dente mariti

C Mordicus abſcindit,ſed nata è ſemine proles,
Viſcera dilaniat matris,lucemq́ requirit.
Sic patris interitum ſub primo ulciſcitur ortu.

Hæc autem ſunt Gentilis,loco quem diximus,uerba. Vt apparet uipera ſumitur pro cõmunibus ſerpentibus,nõ pro illis quæ caput maſculi in ſpecie ſua præſcindunt quando coit cum ea,unde filij facientes matris uindictam eas ſcindunt. Sed quod hoc ipſum ſerpentis genus de quo ſcribit Nicander, ac non cõmunes ſerpentes, ut opinat̃ Gentilis,in theriaca miſcere oporteat, docet Galenus in ſuo de theriaca ad Piſonem lib. in quo de uipera,quæ ponitur in theriaca, ita ex Nicandi ſententia refert: Hoc aũt animal,quod uipera dicitur,habet præ omnibus alijs caput ad perniciem idoneum,ferunt enim ipſam ore aperto ſemen maris excipere,quo deinde ſuſcepto,eiuſdem caput abſcindit: talis eſt uiperarũ exitialis complexus: demum ex ſemine geniti catuli quodã naturæ inſtinctu,uterũ matris abrodunt,atque erumpunt in lucem,mortem patris uindicantes. Hæc uero etſi non ſcribant̃ ab Auicenna de uiperis,multa tamen alia de eiſdem exponit,quæ etiam Galenus in eo quem diximus de theriaca ad Piſonem lib. de echidnis,id eſt uiperis refert: nam ea quam notat Auicenna inter marem ac fœminã ex numero dentium differentia, in eodem lib. ſcribitur à Galeno inter echin & echidnam, id eſt inter uiperã marem ac fœminã,adeò ut nulla dubitatio relinquatur, Auicennã nõ cõmunes quoſdam, ſed proprij generis ſerpentes,quemadmodũ & Galenum in compoſitione theriaces miſceri uoluiſſe,licet eoſdem ſerpentes aliquando Tiros, aliquando uiperas nominans,plurimis errandi dederit occaſionem.

D *Errores plures in compoſitione theriaces, præter Auicennam & Gentilem.* XXIII

SEd & alij non pauci præter hunc de tiro & uipera in Auicenna atq; eius expoſitore Gentile legunt̃ errores,in eiuſdẽ theriaces deſcriptione: nam quũ idem Auicenna primã Andromachi cõpoſitionem maxime probet,adeò ut nihil ei aut addendũ aut ſubtrahendum aut omnino immutandũ exiſtimet,eandem tamen in multis à uera Andromachi deſcriptione differentẽ quinto ſui uoluminis libro notauit. Bis enim in eadem centauream repetit,& pentaphyllon prætermittit, quod tamen ab Andromacho inſeritur. Centaureã uero pro pentaphyllo eſſe ab Auicenna ſcriptam,facile eſt animaduertere. Paulus enim quẽ maxime ſecutus fuiſſe uidetur Auicenna, quum Andromachi compoſitionem recitat, in quadam eiuſdem particula ita ſcribit:Smyrnes,croci,zinziberis,rupontici,pentaphylli, calamenti,praſij,petroſelyni,ſtichados,& reliqua:eundem ordinem imitans Auicenna ita notauit:Myrrhæ, croci, zinziberis,reubarbari,centaureæ,calamenti montani, praſij, petroſelini, ſtichados. Quî lucidius poſſit oſtendi centauream pro pentaphyllo poſitam:quũ præſertim eandem centauream in eadem theriaces deſcriptione ponat Auicenna, atque in hac totius compoſitionis particula, omnia quadrent in Paulo & Auicenna,præter centaureã,pro qua pentaphyllon in Paulo atq; Andromacho legit̃. Quod etiam animaduertit Gentilis: qui quum uideret centauream bis in Auicennæ deſcriptione poſitam,& prætermiſſum pentaphyllon,non temere centaureã pro pentaphyllo ſcriptam iudicauit. Quod uero pro rupontico Auicenna reubarbarum ſcribit, eadem qua Andromachus Paulusq́ menſura,non eſt admodũ admiratione dignum. Quam enim radicem Græci rupontícum uocant,eandem Arabes reubarbarũ. Eſt uero longe diuerſa ab ea quã nos uulgò reuponticũ appellamus, quæ non ut prior, in his quæ ſupra Pontum regionibus naſcitur (unde etiam nomen ſortita uidetur) ſed & in Italia, & in pluribus

A ribus alijs prouenit locis, hanc tamen noſtri tẽporis medici pro reubarbaro, id eſt ea radice quæ à græcis ruponticum appellatur, geminato pondere ad eoſdem adhibent uſus. Quod ſi interrogentur ubi apud Dioſcoridem, aut Galenũ, aut etiam Serapionem atq; Auicennam de hac eadem radice, quæ eſt tantum colore reubarbaro ſimilis, figura uero atq; natura ac ſolo in quo naſcitur plurimum differens, aliquid legerint, tam reſpondere quid ſciuerint, quàm de re ab omnibus penè ætate noſtra ignorata, quam tamen nos aliquando ſumus indicaturi: hic enim nõ omnia docere, ſed plures tantummodo errores aperire, atq; homines admonere ſtatuimus, ne tam temere atq; inconſulte eis medicaminibus utantur, quorũ quum nullam ex probatiſſimis autoribus habeant ſcientiam, neq; ueram etiam atq; ſecuram tenere poſſint experientiã. Miror tamen Gentilem nihil de hac uarietate nominũ in Andromacho atq; Auicenna dubitaſſe, quum tamen idem Gentilis in his ipſis Andromachi atq; Auicennæ deſcriptionibus comparãdis, tam diligens haberi uoluerit, ut notandum cenſuerit, Macedonicum ab Andromacho in theriaces deſcriptione poſitũ, ab Auicenna autẽ prætermiſſum. Viſus eſt enim exiſtimaſſe Gentilis, id quod plures ne dicam omnes etiã æuo noſtro medici opinãtur, petroſelinon eſſe id herbæ genus, quod paſſim naſcitur in hortis, ac uulgò etiam petroſelinon nuncupatur: ſic etiam Macedonicum eam apij ſpeciem, quam aliqui uulgò macerones appellant, putaſſe idem Gentilis apparet; qua in re facile oſtendit uulgarem ſe potius quandam habuiſſe herbarum notitiam, quàm eam quam Dioſcoridus atque Galenus ac reliqui ueteres medicinæ autores ſuis in libris poſteris reliquerunt. Eſt enim petroſelinon, ut tertio lib. ſcribit Dioſcorides, ſemen ſimile ammi, quod non ubiq; prouenit, ſed in Macedonia in montium gignitur præcipitijs: *Macedonicum.* *Cap. 71*

B unde & à loco, & à patria in qua naſcitur petroſelinon Macedonicum dicitur. Galenus quoque de hoc eodem in ſuo de theriaca ad Pamphilianum libro ita ſcribit: Omnes igitur affirmarunt Irim eſſe optimam, quæ in Illyria naſcitur, petroſelinon autem Macedonicũ, aſphaltum uero Iudaicum. Nihil igitur Auicenna ex rebus quæ in theriaces cõpoſitione miſcentur, hac quidem ratione prætermiſit, quoniam petroſelino Macedonicũ non adiecit, ſed patriam tantum in qua naſceretur omiſit. Illud uero difficilioris eſt in Auicẽna excuſationis, quomodo ſagapenon in ſua deſcriptione tacuerit, quod tamen cum alijs ab Andromacho iũgitur. Atqui ipſe Auicenna quum uariari menſuras medicaminum in diuerſis deſcriptionibus inſinuat, eandem uarietatẽ non minus in ſagapeno, ſiue ut ipſe ſcribit ſerapino, quàm in caſtoreo accidiſſe confirmat. Neq; dici poteſt ſub appellatione bezaard ſerapinum intelligi: nam paulò inferius Auicenna eo nomine galbanum ſignificari demonſtrat, quod tamen galbanum in ſecunda theriaces deſcriptione connumeratur ab eodem Auicenna inter ſex medicamina, quibus ſecunda deſcriptio ſuperabundat à prima: adeò omnia in Auicenna ſunt dubitationibus plena. Nam & in prima deſcriptione bdeliũ ſubalbidũ ab Auicenna ponitur, de quo nulla fit neq; ab Andromacho neq; à Galeno aut Paulo Andromachi cõpoſitionem referentibus, mentio. At ſi ordinem Pauli, quem Auicenna imitari uidetur, diligenter attendimus, pro galbano bdelium ſubalbidũ, pro ſagapeno bezaard ab Auicenna ſcriptum reperitur. Paulus ſiquidem in una eiuſdem cõpoſitionis particula ita ſcribit: Seminis dauci, galbani, ſagapeni, aſphalti, opopanacis, caſtorei, centaureæ, clematidis ana drachmas duas. Apud Auicennã autẽ ita legĩ: Dauci, bdelij, ſubalbidi ana aureos quatuor, bezaard, aſphalti, opopanacis, centaureæ minoris, ariſtolochiæ rotundæ, omnium aureos quindecim. Facile eſt intueri in hac theriaces portione, pro galbano, quod in Paulo ſemen dauci ſtatim ſubſequitur, poſitũ eſſe ab

C Auicenna bdeliũ ſubalbidum, quod ut diximus, Andromachus, Galenus & Paulus, omnino prætermittunt: pro ſagapeno autem in eodem ordine ſcribi ab Auicenna bezaard: pro ariſtolochia autem clematide, ariſtolochiam rotundam. Et caſtoreum, quod ab Andromacho in theriaces compoſitione ponitur, ab Auicenna in eiuſdem antidoti deſcriptione prætermittitur: aut ſi poſtea ſubiungitur, quum eiuſdem pondus uariari in diuerſis deſcriptionibus admonet, quî tueri poterimus Auicennam, ne in numero medicaminum ex quibus tota theriaces miſtura conficitur, erraſſe uideatur? Erunt enim caſtoreo adiecto ſexagintaquinque, non autem ſexagintaquatuor, quem numerũ Auicēna in prima deſcriptione notauit, de quo etiam numero ſcrupulus non latuit Gentilem, adeò ut in Auicennæ deſcriptione ſuperfluere exiſtimet ſeminis ſiſeleos, quum ſtatim antea ſiſeleos ſcribatur, quod idem eſſe Gentilis arbitratur. At ſi Pauli contextum inſpicimus, quem, ut ſuprà diximus, in deſcribenda Andromachi theriaca ſequitur Auicenna, pro thlaſpeos uocabulo uidetur in Auicenna ſcriptũ eſſe ſiſeleos: nam in Paulo ita ea particula legitur: Storacis, ſeminis apij, ſiſeleos, thlaſpeos, ameos, chamædryos, chamæpityos, hypociſtidos. In Auicenna autem hæc eadem particula ita ſe habet: Storacis liquidæ, ſeminis apij, ſiſeleos, ſeminis ſiſeleos, ameos, chamædryos, ſucci hypociſtidos. In hac medicaminum cōnumeratione nō differt Auicenna à Paulo, niſi quod pro nomine thlaſpeos, ut diximus, ſcribitur in Auicenna ſiſeleos. Hanc autem eandem thlaſpin Auicenna in deſcriptione antidoti, quod mithridatum appellatur, nominat *alſeis*, & *exponit* quod *eſt naſturtium* Babylonicum. Nam ſi quis eiuſdem *antidoti in* Auicenna *deſcriptionem*, Pauli *deſcriptioni* comparet, nō dubitabit pro thlaſpi alſeis ab Auicenna cum reliquis medicaminibus idem antido-
D tum componentibus connumerari. Neque uero mirandum eſt de hac thlaſpeos in ſiſeleos, aut alſeis apud Auicennam tranſuerſione, ne dicam peruerſione: nam & trochiſci hedichroi, qui in eadem theriaces cōpoſitione iungũtur, corrupto uocabulo trochiſci aldaracaron ab Auicenna appellantur: ab Aliabate autem & Nicolao, ut teſtatur etiam Gentilis, *trochiſci diacoralli*, deprauato itidem hediochroi uocabulo in *diacoralli*.

Error Nicolai pro aſpalatho, quem Arabes darſiſaan nominant, corallos ponentis in theriaca: Et declaratio quid ſit aſpalathus. XXIIII

NEq; ſanè de uerborũ momentis cura eſſet habēda, his quibus tantarũ rerum inueſtigatio proponitur, niſi ex nominum ignorantia maximus ſæpe in rebus ipſis error accideret: nam Nicolaus quem diximus, cui ſumma atq; præcipua ætate noſtra in deſcribendis medicaminũ cōpoſitionibus fides adhibetur, hac forſitan uocabuli deprauatione deceptus, pro darſiſaan, quod in eorũdem trochiſcorũ deſcriptione legitur apud Arabes: ac pro aſpalatho, quod idem eſt apud Græcos q̃d apud Arabes darſiſaan, ponit corallos: Sed longe alia res eſt à corallis, id quod græce aſpalathus, arabice darſiſaan dicitur: nam ut primo libro ſcribit Dioſcorides, aſpalathus eſt planta, quæ in Syria & Rhodo naſcitur, qua unguētarij ad ſpiſſanda unguenta utuntur, uireſq; habet excalefaciendi ac parumper aſtringendi: probatur maxime grauis, ſubrubens, aut in purpuram uergens detracto cortice, denſa, guſtu amara, & reliqua. Nonnulli tamen falſo putarunt, aſpalathon eſſe malum Punicum ſylueſtre, atque eius radice pro aſpalatho utendum cenſuerunt: cuius ſententiæ etiam Serapio fuiſſe uidetur, ut titulus indicat eius partis, in qua de darſiſaan ſcribit: Aliqui radicem ſpinæ Indæ, ut Auicēna refert, qui etiam pro eodem ponit ſemen aliembut, id eſt ſemen xylocaractæ: Aliqui (ut ſcribit Gentilis) exiſtimarunt

Darſiſaan *Aſpalathus* *Cap. 19* (margin notes)

A exiſtimarunt eſſe ſpinam albam, aliqui cinnamomũ: tanta eſt autorũ in hac planta diſſenſio, ut neq; quid ea ſit, neque quid eius loco accipi oporteat, ex illorum ſcriptis ſatis conſtet. Nam & Galenus ac Paulus, quibus in hac parte magis ꝙ Auicennæ crediderim, pro aſpalatho nõ ſemen xylocaractæ, ſed ligi, id eſt eius arboris, quã uulgò agnũ caſtum appellamus, recipi in ſuis antiballomenis aſſeruerũt.

ἀντιβαλλόμενα, id eſt, æqualia, & quæ noſtræ ætatis medici Quid pro quo dicunt.

Error Auicennæ in amaraco herba, quam ipſe dicit eſſe alacoën albam. XXV

IN eorundem trochiſcorũ edicroi, ſiue aldaracaron deſcriptione, pro amaraco ſcribitur in Auicenna emeruche, & ipſe idem Auicenna exponit, quod eſt alacoën alba, ignotũ ſcilicet per ignotius, ut dici ſolet: hanc enim alacoën albam aliqui camomillam albam, aliqui matricariam, aliqui cotulam, ut Gentilis teſtatur, eſſe arbitrantur. Quicquid uero ſit alacoën alba, certum eſt amaracum, pro qua emeruche legitur in Auicenna, nihil eorum ſignificare, quod de alacoë alba à diuerſis autoribus exponitur. Eſt enim amaracus herba odorata, quæ alio nomine ſampſychus appellatur, aut eidem ſampſycho ſimilima. Nam & Dioſcorides libro tertio, ſampſychum à Ciſſicenis ac Siculis alio nomine amaracum dici teſtatur: *Cap. 43* & idem plures alij, in quorum etiam numero eſt Plinius, confirmant. Apud eundem Auicennam in prima theriaces deſcriptione legitur ſceæ montanæ, exponitur autem à Gentile quod ſit ſtichados uel abſinthiũ: Sed ſtichados hoc in loco ſignificare non poteſt: nam id ſub propria appellatione ponitur ſuprà: neque etiam abſinthium: quoniam de abſinthio in Andromachi theriaca à nullo ſit mentio.

B *Error Auicennæ, miſcentis in quadam compoſitione theriaces allium ſylueſtre, pro ſcordio herba: Et quæ qualiſq; herba ſit ſcordion ſecundum Dioſcoridem.* XXVI

IN prima etiam quam ſcribit Auicenna eiuſdem theriaces compoſitione legitur ſcordion: in ſecunda autem pro eadem ſcordio, ſcribitur allium ſylueſtre. *Scordion.* Hinc error uulgatiſſimus emanauit, ut quoniam ſcorodon ſignificat apud Græcos allium, pro ſcordio alliũ ſylueſtre non in theriaca ſolum, ſed in pluribus alijs compoſitionibus accipiant: ſed aliud eſt ſcorodon agrion, id eſt allium ſylueſtre, aliud ſcordion herba, quæ ut ſcribit libro tertio Dioſcorides, folijs trixaginis conſtat, *Cap. 117* eſtq; præcipui contra uenena ac ſerpentum ictus remedij: unde non abre & theriacæ, & pleriſq; alijs antidotis admiſcetur. De hac eadem herba Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum, & de antidotis libro, in hanc ſcribit ſententiam: Scordion optimum affertur ex Creta, quanquam neque improbandum in alijs gentibus reperitur: ſcriptum uero de eo à grauiſſimis medicinæ autoribus, quod quum corpora eorum, qui in prælio ceciderant, diu inſepulta iacere contigiſſet, quæcunque ſors tulit, ut ſuprà ſcordium iacerent, multo minus quàm reliqua ſenſiſſe putredinem, atque eas præſertim ex toto corpore partes, quas ipſius herbæ tactus defendit: Vnde creditum eſt eandem contra animalium uenena ac peſtifera medicamẽta, quæ uim habent putrefaciendi, auxiliari. Hanc pariter herbam idem Galenus lib. de ſimplicibus medicaminibus nono, inter cæteras quæ putrefactionibus aduerſantur, præcipue commẽdari teſtatur. Quod ſi, ut ſcribit Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum libro, unius medicaminis adulterati uitium, poteſt totam theriaces compoſitionem corrumpere: quî nos ſperare poſſimus, eandem mixturam optime confici, ubi maxima pars ſimplicium medicaminũ quæ in ipſa iunguntur, ignoretur; niſi forte arbitramur Arabes aut Aegy

C ptios nunc eſſe, quàm unquã fuerit Auicenna doctiores, apud quos cõſtat omnẽ
philoſophiæ ac medicinæ ſtudium iampridem ſui (ut fertur) Mahometi præce-
pto aboleuiſſe. Illud potius minus mirari oportet, quum neque apud nos, neque
apud illos huius antidoti certa habeatur ſcientia, theriacã noſtris temporibus nõ
eos præſtare effectus, quos de eadem ueteres medici pollicentur. Sed ne ſcriben-
di prolixitas tædium legentibus pariat, ad id unde digreſſi ſumus, hoc eſt ad Pli
nium ipſum reuertamur.

Error Plinij in centunculo herba, lagine, & laſine. Præterea quid ſit tenue ſcamonium apud Plinium. Item de helxine & conuoluulo. XXVII

CEntunculum ſcribit Plinius libro uigeſimoquarto, uocari ab Italis herbã ro
Cap.15 ſtratis folijs, ad ſimilitudinem capitis penularum iacentem in aruis, eandem
autem à Græcis clematidem appellari. Eius præterea egregiũ effectum ad ſiſten-
Cap.124 dam aluum in uino auſtero teſtatur. At Dioſcorides libro tertio, non clematidem
à Græcis nuncupatam: ſed gnaphalium potius ſcribit, à Romanis centunculum
dici, atq; eundem ferè in gnaphalio refert effectum, quem in centũculo Plinius:
nam eius folia in uino auſtero pota dyſentericis prodeſſe confirmat, quod idem
Cap.10 Plinius libro uigeſimoſeptimo, de gnaphalio ſcribẽs pariter aſſerit. Dioſcorides
Lib.4.cap.7 præterea qui omnes clematidis ſpecies diligenter atque accurate conſcripſit, nul
lam tamẽ hoc nomine à Græcis inſinuat uocitari, qualem deſignat Plinius roſtra-
tis folijs ad ſimilitudinem capitis penularum in aruis iacentem. Idem Plinius eo-
dem libro uigeſimoquarto, atq; eodem in loco ubi centunculum nominat, lagi-
Cap.22 nem quoq; inter clematidas connumerat, quam libro uigeſimoſecundo, laſinem
D nominauit. De laſine ſiquidẽ libro uigeſimoſecũdo ita ſcribit: Salutaris eſt phthi-
Cap.15 ſim patiẽtibus. At libro uigeſimoquarto de lagine ita: Phthiſicos iuuat cum mel-
le. Item de laſine: Mulieribus lactis ubertatẽ facit. De lagine ſimiliter: Lactis uber
tatem facit. De laſine quoq;: Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremq;
eius cutem facit. De lagine pariter: Et infantibus illita capillum alit. Vtranq; ue-
ro & laſinem & laginem in cibis placere, & Venerem ſtimulare teſtatur. Quorũ
uicinitas nominum, & pares propemodum effectus, argumento eſſe poſſint, uel
laſinem uel laginem in utroq; libro eſſe legendum, atque eandem plantam pro
Lib.24.ca.15 diuerſis bis fruſtra à Plinio repetitam. Eandem præterea laginem ſcribit Plinius
ab aliquibus echiten uocari, & tenue ſcamonium: quod dictum me ſuſpicari fa-
cit, ne laginem & echiten, pro helxine & euſine, codicis forſitan errore, ſcribat.
Neq; enim agnoſcitur planta, quæ uerius tenue ſcamonium dici poſſit, quàm ea
quam Græci alijs uocabulis & helxinem, & euſinem, & ciſſampelon etiã appel-
lant: habẽt enim hæc, omnes ſcammonij notas. Libro ſiquidẽ quarto ſcribit Dio
Cap.36 ſcorides, helxinẽ habere folia hæderæ ſimilia. At eiuſdem hæderæ folijs & helxi
nes pariter, ſcamonium libro eodem ab eodẽ Dioſcoride ſcribitur: Helxine quo
que florem fert candidum, calathi figura, & plurimo lacte manat, & aluum ciet, ſi
cuti ſcamonium. Hanc eandem helxinen Plinius (niſi fallor) libro uigeſimopri-
mo conuoluulum appellat, ob id quod (ut etiam de helxine ſcribit Dioſcorides)
omnibus in quas inciderit plantis circũuoluitur. Eiuſdem florem ſcribit Plinius
eſſe rudimentum naturæ lilia facere condiſcentis.

Error literatorum quorundam de flore liguſtri apud Virgilium, quam Græci Cypron appellant. XXVIII

IN quo dicto flore plurimi decipiunt̃ literatores, qui Simonis Genuenſis auto

A ritate freti, exiſtimant eundẽ florem eſſe liguſtrũ, de quo Virgilius: Alba liguſtra cadunt: quum tamen liguſtrum ſit arbuſcula, quæ quidem flores albos profert, ſed plurimum a conuoluuli flore differentes. Eadem arbuſcula hodie quoque in aliquibus Italiæ locis ab incolis laguſtrũ, pro liguſtro corrupto nomine dicitur. Audio etiam à pleriſque caprifolium appellari: quoniam eius folio capræ præcipue ueſcantur. Non longe huic diſſimilis in Aſia naſcitur, quæ à Græcis cypros, ab Arabibus alcana uocatur.

Error Auicennæ, multas herbas figura & natura diuerſas uno capite confundentis. XXIX

MInus uero mirãdum ſit, Plinium hominem quantum negocijs ciuilibus deditum, tantum ab omni medicinæ exercitatione remotũ, in hac fruticum ac herbarũ cõtemplatione aliquando ceſpitaſſe, quãdo & Auicenna ipſe, quem, ſi uere eum quem illi omnium ferè ætatis noſtræ medicorum tribuit conſenſus in medicina principatum, mereatur, non ſolum ſcriptis, ſed rerum quoque experimentis atq; operibus uere medicum fuiſſe oportuerit, tam in eiſdem rebus ad uſum medicinæ neceſſarijs uideť fuiſſe implicitus atq; perplexus, ut hanc ipſam helxinem, ſiue ciſſampelon, quæ latine cõuoluulum dici poteſt: & alſinem, quam ſcribit Dioſcorides auriculam muris à Romanis nuncupari, & aliam quam Græci propius myoſotida, id eſt auriculam muris appellant: & anagallidem, quatuor ſcilicet herbas & natura & figura plurimum differentes, ſub unius auriculæ muris appellatione cõfunderet. Quod ſi quis pro Auicenna obijciat, potuiſſe eum & alſinem, & eam quæ proprie auricula muris dicitur, & anagallidem, has
B treis omnes herbas auriculæ muris nomine nuncupare, quoniam æque omnes folijs muſculorum auribus ſimilibus cõſtant: hoc tamen de conuoluulo, cuius folia ſunt hæderæ folijs ſimilia, nequaquã dici potuerit. Cur etiam poſtmodũ Auicenna ſeorſum de anagallide ſub proprio nomine tractauit, cuius antea proprietates in auricula muris aſſignauerat? Cur etiam eiuſdẽ proprietatibus, alias commiſcendas duxit, quæ ſunt eius herbæ, quæ proprie muris auricula uocatur, non autem anagallidis peculiares? Sed ne uideamur Auicennam per calumniam falſo reprehendere, eiuſdem Auicennæ uerba ex ſecũdo ipſius de ſimplicibus medicaminibus libro in medium afferemus: Auricula muris, inquit, eſt herba, cuius uirtus ſecundum Galenum eſt propinqua uirtuti herbæ, qua uitrum abſtergitur. Hic Auicenna alſinem ſine dubio innuit, quam Dioſcorides atque Galenus teſtantur habere ſimiles uires helxinæ, id eſt parietariæ, ſiue herbæ qua uaſa uitrea abſterguntur. Deinde ſubiungit Auicenna: Et hoc nomen abſolutum eſt duabus herbis, quarum una eſt, quam nominat Galenus, & odoratur ex ea odor malus, & non habet duritiem. Hæc quidem Auicennæ dicta uera ſunt de eadem alſinæ, cuius mentionem facit Galenus libro ſexto, quanquam nihil de tali odore retulerit. Quod uero demum addit Auicenna, quod altera quam nominauit Dioſcorides, ſit ſimilis uolubili, niſi quia minora habet folia: omnino falſum eſt. Hoc enim Dioſcorides ſcribit de helxine, quæ & ciſſampelos dicitur, quod habeat folia hæderæ ſimilia, minora tamen. Auicenna ſiquidem ab effectu hæderam uolubilem nonnunquam appellat, ſicuti eadem ratione hæc ipſa planta, quæ apud Græcos helxine & ciſſampelos dicitur, latine conuoluulum appellatur. Sed quænam conuoluulo cum alſine, ſiue auricula muris in folijs, aut flore poteſtatibus ue ſocietas? quãuis tenuis quædam in nomine tantum apud Græ

Auricula muris. *Cap. 18* *Lib. 4. cap. 36*

C cos ſimilitudo reperiatur. Nam auricula muris alſine, cõuoluulum autem ab eiſdem Græcis helxine uocatur: quæ ſanè uicinitas nominis decepit Auicennam, qui poſtmodũ ſerpentes auibus, & tigribus urſos geminare uidetur, hoc eſt res omnino differentes in una deſignare, quum conuoluuli effigiem atque anagallidis pariter pingit. Ita enim poſt uerba paulò ante ſcripta ſubiungit: Et eſt herba expanſa ſuper faciem terræ, paruos habens ſtipites, domeſtica, bona, ſine odore, & non habet ſaporem fortem, azulinos habens flores, cuius ſemen ſemini coriandri aſſimilatur. Hæc omnia Auicennæ uerba indicant, alterum genus anagallidis, quod florem profert cæruleũ, & fœmina dicitur, ſicuti etiam effectus anagallidis proprij ab Auicenna ſubiuncti manifeſtiſſime oſtendunt: quos ut antea ſcripſimus, quum ſeorſum de utroq; anagallidis genere ſub proprio nomine tractat ipſe Auicenna, ſubſcribit: addit tamen & aliam, quæ nõ eſt anagallidis ex ſententia cuiuſdam Muſaich, facultatem, ſcilicet quod iuuamentũ eius eſt iuuamentum abſinthij: hoc autem non de anagallide, ſed ea herba quæ proprie myoſotis, id eſt auricula muris à Græcis appellatur, differtq; ab alſine, & utraque ſpecie
Lib. 2. cap. 33 anagallidis legitur apud Paulũ, qui eam ad occidendos adhibet uermes. Ex quibus omnibus colligitur, uerum id eſſe quod diximus, Auicennam maiori errore quàm Plinium, qui res eaſdem tanq; diuerſas expoſuit, herbarũ natura ac figura differentiũ proprietates ac uires in uno (ut dicitur) capite miſcuiſſe. Sed nõ eſt nũc nobis cum Auicenna, ſed cum Plinio negociũ, quare ad ipſum reuertamur.

D *Error Plinij, duobus arcij generibus nomen perſonatiæ tribuentis, quum unum tantum ſit quod perſonatia nominetur. Atq; præterea eiuſdem Plinij error in quibuſdam herbis deſcribendis, alterius alteri uires formamq; tribuentis.* XXX

Cap. 9 PLinius libro uigeſimoquinto de arcio, quamuis echion errore codicis (ut arbitror) legatur, ita ſcribit: Arcium quidam perſonatiam uocant, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem: huius radicẽ decoctam ex aceto dant potui. De eadem perſonatia non multos infrà uerſus Plinius ita ſcribit: Perſonatia, quam nemo ignorat (licet autem & hic pro perſonatia perſolata uitioſe ſcribatur, tamen quod ſequitur, probat perſonatiam eſſe legendum, ita enim ſubiungit) Græci uero arcion uocant, folia habet maiora etiam cucurbitis & hirſutiora, nigrioraq; & craſſiora, radicẽ albam & grandem: hæc ex uino bibitur denariorum duorũ pondere. Videtur profectò Plinius duo arcij genera putauiſſe, quorum utrunq; perſonatia diceret, alterumq; biberetur contra ſerpentes ex aceto, alterũ ex uino. Attamen & Dioſcorides & Galenus ac Paulus de uno tantummodo arcio προσωπίτι, id eſt perſonatia ſcripſerunt. Eſſe uero idem arcion ſiue eandem perſonatiam, quam primo & ſecũdo loco deſcribit Plinius, eiuſdem Plinij uerba apertiſſime oſtendunt. Nam de prima ita ſcribit: Quidam arcion perſonatiam uocãt, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem. Hic autem proculdubio Plinius innuit illam, quæ à noſtris tum bardana, tum lappa maior appellatur: quam ideo ueteres perſonatiam dixerunt, quoniam hac propter amplitudinem foliorum ad perſonatos faciendos utebãtur. Hanc uero eandem eadem ratione Dioſcorides, Galenus ac Paulus proſopiten, id eſt perſonatiam nuncuparunt, ac folijs cucurbitæ, nigrioribus tamen atq; hirſutioribus conſtare tradiderũt. Plinius libro decimoquinto chamædaphnen ita deſcribit: Eſt & chamædaphne ſylueſtris frutex, eſt & Alexandrina, quam aliqui ideam, aliqui hippoglotton, alij daphnitim, alij carpophyllon, alij hypelaten uocant: ramos ſpargit à
Cap. 30
radice

A radice dodrantales, topiarij ac coronarij operis, folio acutiore quàm myrti, molliore ac cādidiore, maiore ſemine inter folia rubro: plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, nec niſi in montoſis. Eandem chamædaphnen poſtmodum Plinius libro uigeſimoquarto ita deſcribit: Chamædaphne unico ramulo eſt cubitali ferè, folio tenui, lauri ſimilitudine, & reliqua. Quis nō uideat Plinium eidem plantæ differētes deſcriptiones afferre? Eſt enim prior deſcriptio in daphne Alexandrina, non autem in chamædaphne libro quarto à Dioſcoride tradita. Eſſe uero chamædaphnen à daphne Alexādrina differentem, nō ſolum Dioſcorides, ſed Galenus pariter & Paulus in ſuis de ſimplicibus medicaminibus lib. oſtendūt. Cap. 15 Cap. 140

Dubitatio Plinij de oxymyrſine, nunquid ſit myrtus agreſtis, aut ruſcus, de quo tamen non fuit dubitandum. XXXI

IDem Plinius quū myrtū ſatiuam lib. xxiij. deſcripſiſſet, eiuſq; uires ac facultates aſſignaſſet, poſtmodū ſubiungit: Myrti etiam ſylueſtris, quæ à Græcis oxymyrſine dicitur, proprietates adeò ut putaſſe uideaṫ, oxymyrſinen, quæ & myrtus agreſtis dicitur, à myrto ſatiua, ſicuti pleraq; alia herbarū, fruticū, atq; arbuſcularum genera, ſylueſtris tantūmodo atq; ſatiuæ diſcrimine differre. Idcirco de ruſco, qui oxymyrſine & myrtus agreſtis à Græcis nuncupatur, tanq̃ de re ab oxymyrſine diuerſa, ſeparatis in locis ſæpe cōmeminit: quanq̃ nō alias in ruſco, q̃ in oxymyrſine uires ſubſcribat. Eodem tamen lib. xxiij. Plinius adducit Caſtorem, qui id, quod uerū erat, exiſtimauit eandē ſcilicet eſſe oxymyrſinē apud Græcos, quæ latine ruſcus, uulgò autē etiā à medicis bruſcus appellaṫ: ex quo Plinij temporibus, ſicut hodie quoq;, fiebāt ruri ſcopæ. Sed præter Caſtorē Dioſcor. etiā libro quarto teſtaṫ oxymyrſinen ſiue myrtū agreſtē, à Romanis ruſcum nūcupari. Cap. 9 Cap. 157

B

Error Serapionis, exiſtimātis oxymyrſinen, id eſt ruſcū, eſſe arbuſculam ferentē cubebas. XXXII

MInori tamen (ut uerū fatear) errore dubitauit Plinius, nūquid oxymyrſine eſſet ruſcus, an alia arbuſcula, tanq̃ ſylueſtris à myrto ſatiua differēs, quam Serapio Arabs affirmauerit oxymyrſinen eſſe arborē ferentem fructū, qui apud Arabes cubebe uocaṫ, friuolæ ſatis rationi ſubnixus, quod neq; Galenus de oxymyrſine ſiue myrto agreſti, neq; Dioſcorides de carpeſio, id eſt cubebis (ita enim Arabes carpeſion interpretātur) quicq̃ in ſuis de ſimplicibus medicaminibus libris tradidiſſent. Sed longe alia res eſt carpeſiū ab oxymyrſine, & qui utrunq; nouit fructum cubebas ſcilicet & baccas rubētes, quas oxymyrſine uel ruſcus profert, ceraſijs ſimiles, quantū deceptus fuerit ſua cōiectura Serapio facile iudicabit.

Error alter Serapionis & Auicennæ ſimul exiſtimantium carpeſion eſſe cubebas. Rurſus Auicennæ error, male carpeſij ſimilitudinem referentis. XXXIII

NEq; eo tantum fallitur Serapio, quod oxymyrſines fructum, de qua ſcripſit Dioſcorides, putet eſſe cubebas: ſed ob id etiam, quod carpeſium de quo Galenus, non autem Dioſcorides facit mentionem, cubebas eſſe opinatur. Nam neque idem eſt carpeſium atque oxymyrſine. Et licet Arabes, in quorum numero etiam eſt Auicenna, pro carpeſio cubebas accipiant, aliud tamen ſignificare carpeſium apud Græcos, quàm grana illa minuta, quæ Arabes cubebas uocāt, indicat Galenus in libro ſuo de theriaca ad Piſonem, qui ſcribit, carpeſiū eſſe feſtucas quaſdā tenues aromaticas ſimiles in guſtu phu, id eſt radici odoratæ cuiuſdam herbæ, quam nonnulli illam eſſe opinantur, quæ uulgò ualeriana dicitur: licet non omnia, quæ de phu ſcribit Dioſcorides, ualerianæ conueniant. In Aui- Lib. 1. cap. 10

C cenna autem qui omnia ferè refert de cubebis, quæ de carpeſio Galenus, alter eſt etiam error. Nam quum ſcribat Galenus, ut diximus, carpeſium ſimiles uires habere phu, magis tamen ſubtili partium conſtare ſubſtantia: hoc non de phu, ſed de rubea in Auicenna legitur. Hæc enim ſunt eiuſdem Auicēnæ uerba pro carpeſio cubebas indicantis: Cubebe quid eſt, eius uirtus eſt ſimilis rubeæ, ueruntamen eſt ſubtilior.

Auicen. 2. ſuorum ſimpliciū libro cap. 138

Error Plinij putantis lolium ab æra differre, & ſimiliter auenam ab ægilope. XXXIIII

Cap. 90 *Cap. 17* AEram à Græcis dici granum illud, quod à noſtris lolium appellatur, ſcribit Dioſcorides libro ſecundo: ac præterea hi qui ab Ariſtotele in libro de ſomno & uigilia, atq; à Plinio libro decimooctauo de eadē æra ſcribūtur effectus, quod ſcilicet capitis grauedinem & uertigines faciat, manifeſtiſſime probant. Plinius tamen eodem libro, atq; eodem capite æram deſcribit, & lolium quoq; tanquam ab æra differat, ſeparatim nominat. Nam ſi idem putauit & loliū & æram, mirum quod ſicuti in alijs pleriſque frugibus atq; earum uitijs, in quibus nomina latina non deerāt, ſicuti in frumento, hordeo & auena, Græcis utendum non cenſuit, non idem quoq; in lolio ſtatuerit, tam præſertim apud omnes uſitato uocabulo: quanquam ſimilis quoque de auena error in eodem libro & capite legitur. Nam quum in principio uitia frugum exponit, ſcribit hordeum in auenam degenerare: paululum uero infrà refert idem Plinius, hordeum necari à feſtuca, quæ nominatur ægilops. At ſi Dioſcoridi credimus, quæ à Græcis ægilops dicitur, à Latinis auena nuncupatˀ. Galenus quoq; in primo ſui de alimentis uoluminis libro, quum in tritico atq; hordeo generatio minus proſpere ceſſerit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius cōuerti teſtatur: quod etiam maximū eſt argumentū, æram idem eſſe quod lolium, & ægilopen idem quod auena.

Lib. 4. ca. 130

D

Error Plinij, putantis nardum Celticam & ſaliuncam eſſe herbas diuerſas. Rurſus alter in ſio & ſilao. XXXV

QVam Plinius Gallicā nardū appellat, Dioſcorides Celticam uocat, quemadmodū illa apertiſſime indicant, quæ de nardo Celtica & Gallica ab utroque autore referūtur. Hanc eandem nardum Celticam ſcribit Dioſcorides libro primo in alpibus Liguriæ naſci, atque ab incolis ſaliuncam appellari. Plinius tamen de nardo Gallica & ſaliunca locis ſeparatis, tanquā rebus differentibus tractat: ſaliuncā nihilominus libro uigeſimoprimo herbam odoratam eſſe fatetur, quæ ſi ueſtibus interponatur gratiſſima ſit. Eandem quoq; teſtatur in alpibus naſci, atq; eius in medicina uſum tradit, non multum à nardo Celtica differentem. Idem Plinius libro uigeſimoſecūdo ſcribit: Sion folijs apij, ſed latioribus in aqua naſci, aliaſq; eidem proprietates uireſq; ſubſcribit, quas etiam Dioſcorides libro ſecundo refert. De eodem poſtmodū Plinius lib. uigeſimoſexto, de ſilao ferè eadem: Silaus naſcitˀ glareoſis & perennibus riuis, cubitalis, apij ſimilitudine: Coquitur ut olus acidū, magna utilitate ueſicæ. Vtraq; deſcriptio ſine dubio ei herbæ conuenit, apio ſimili in aquis naſcenti, quam quidam falſo ſenecionem appellant, aliqui uulgò criſſones uocāt. Videtur tamen Plinius aliud Sij, aliud ſilai nomine indicare uoluiſſe: aut ſi pro ſilao ſion legendum ſit, fruſtra eandem herbam duobus in locis deſcripſiſſe.

Cap. 7 *Cap. 7* *Cap. 22* *Cap. 94*

Error

A

Error Plinij credentis cinnabarim eſſe ſanguinem draconis: Et quid ſit minium & cinnabaris. XXXVI

QVid quod Plinius aliquando uidetur uulgarem ſequi opinionem, quum libro trigeſimotertio ſcribat: Cinnabari, cuius color in picturis proprie ſanguinem reddit, eſſe ſanguinem draconis eliſi elephantorum morientium pondere permixto utriuſque animalis ſanguine, quam quidem cinnabarim utilem antidotis medicamentis'que eſſe confirmat. Medicos uero ſui temporis, qui pro hac cinnabari utebantur minio, quoniam & ipſum cinnabaris uocaretur, iure reprehendit. Nam hæc cinnabaris, quæ etiam minium dicitur, uenenum eſt, quum ex ea fiat argentum uiuum, quemadmodum uiciſſim ex argento uiuo fit cinnabaris factitia, quam nos uulgò cenabrium uocamus. Neque ego ſum neſcius, pleroſque etiam medicos ætate noſtra in eundem labi errorem, quum cinnabarim in receptis (ſic enim ſuas compoſitiones appellant) ſcriptum inueniunt, ac pro ea nominis ſimilitudine decepti, cenabrio utuntur, quod uenenum eſſe probatur. Quemadmodum igitur conſulo hunc cinnabarim in uſu medicinæ fugiendam, ita non ſuadeo draconum atque elephantorum ſaniem ex India petendam: nam ut fabuloſum eſſe putem, cinnabarim illam, quæ ad uſum picturæ & medicinæ adhibetur, ex utriuſque animalis ſanguine permixto concinnari, grauiſſimi teſtis Dioſcoridis me facile mouet autoritas, qui quinto ſui uoluminis libro, in quo de metallicis tractat, falſo quoſdã aſſerit exiſtimaſſe, coloris ſimilitudine deceptos, cinnabarim ſanguinem eſſe draconis. Durat uero adhuc antiquorum in eodem nomine perſuaſio: nam hodie quoq; metallicum illud, quod Dioſcorides atque Galenus cinnabarim nominant, uulgò ſanguis draconis appellatur: quanquam ferè omnes noſtra ætate medici Serapionis atque Auicennæ errorem ſequentes, id genus ſanguinis draconis, quod in uſu eſt, ſuccum herbæ cuiuſdam arbitrantur, quæ à Græcis ſideritis uocatur: Sed de ſideritide quidem herba, omnibusq; eius generibus pleniſſime ſcripſit Dioſcorides: ex nulla tamen eiuſdem ſpecie talem exprimi ſuccum edocuit, quo medici pariter atque pictores ad ſuum utriq; opus uterentur. Hunc tamen duplicem & in pictura & medicina uſum compertum habemus in eo quod purum ſanguinem draconis appellant, & de cinnabari eundem Dioſcorides Pliniusq; teſtantur, quod me maxime mouit, ut exiſtimarem idem eſſe cinnabarim, de qua Plinius ac ueteres autores Græci ſcripſerunt, & id quod nos uulgò ſanguinem draconis uocamus. Nam hic quoque ſanguini colorem quamſimilimum reddit, & eſt rarus inuentu atque difficilis, nec minus carus quàm legitur fuiſſe apud antiquos, quando ſyncerus atq; incorruptus uenundaĩ. Nam qui paſſim in medicamentariorũ officinis uenalis exponitur, adulterinus eſt, licet eum pro uero in medicinæ uſu recipiamus, quemadmodum uilem quandam terram atq; uulgarem pro lemnia terra, quam (ut ſuprà diximus) ueteres medici lemnium ſigillum appellabant. Sed in hac omnium rerum etiam ad uitam pertinentium incuria, ſit ſanè ueniæ locus, ſi alterum pro altero negligenter accipitur, modo in uenenum præceps non feratur ignorantia, ut in cinnabari diximus, pro qua ſæpe minium factitium recipitur, quod uenenum eſſe docuimus: Liceat pro terra lemnia terram noſtratẽ gypſeo colore recipere, quæ licet nihil habeat cum illa cõmune, præter quendã ficti tamen ſigilli characterem, non tamen eſt hic error cum uitæ pernicie. Pro argemonio herba, quæ ut ſcribit libro ſecũdo Dioſcorides, habet foliũ ſimile papaueri agreſti, florem pariter ruſ-

Cap. 7 — Cap. 63 — B — *Sanguis draconis.* — *Sideritis.* — *Lib. 4. cap. 32* — Cap. 165

C ſum, radicem rotũdam plurimo ſucco croceo manantem:utantur altero frutice, qui etſi plurimum à uero argemonio,& effigie,& uiribus diſtet,in multis tamen morbis utilis eſſe probatur. Pro eupatorio Eupatoris regis inuento,ſumatur herba uulgaris paſſim in foueis naſcens, quam licet quid ſit, à pluribus ignoretur, conſtat tamen nõ eſſe uenenũ. Pro ſpina alba quam Arabes uocant bedaguard, quoniam hæc à medicis ignoratur,utantur ſpongiola roſæ ſylueſtris, quæ in ſpinis naſcitur. Nam etſi hæc plurimum in medicinæ uſu differat à ſpina alba, nõ tamen eſt hæc permutatio exitialis.

Error medicorum per armel, quæ miſcetur pilulis ex hermodactylis, cicutam intelligentium. Arabum error in lapide lazuli, & lapide armeno. XXXVII

HOſce atq; alios quanquam & ipſos reprehenſione dignos errores, quandoquidem interitum manifeſtum non afferunt,condonemus illis, quorum intererat hæc potius, tam ad uſum medicinæ neceſſaria, quàm pleraq; alia nullius ad uitam momenti diligenter atque ſubtiliter perſcrutari, modò pro ſemine rutæ ſylueſtris,ſemen cicutæ (quam nemo ignorat eſſe uenenum) non admittant. *Armel.* *Ruta ſylueſtris.* Non ſit tanti unus accentus,ut quo quum armel ſcribitur apud Arabes cum aſpiratione,ſignificat cicutam,quum ſine aſpiratione,rutam ſylueſtrem,aliquãdo ex tantilla nota hominum uita periclitetur. Ego quidem ſæpius artifices, qui pilulas ex hermodactylis ac fœtidas cõficiunt,huius erroris admonui,nec ceſſo quotidie admonere,quamuis maior inueteratæ conſuetudini, quàm mihi fides adhibeatur. Quod ſi me audiant, neq; pilulis è lapide lazuli eum lapidem adiungant, *Montagnana* quo paſſim pictores utuntur. Montagnana quidem medicus ſua ætate celeberD rimus, huius lapidis uſum periculoſum exiſtimat, quoniã ſæpius nõ natiuus, ſed *Lapis lazuli* arte,quam alchimicam uocant,fictus uenũdatur. Ego uero tam naturalem,quàm fictitium cauendum cenſeo: quoniam non minus eſt uenenum, quàm minium, quod uulgò cenabrium uocari indicauimus,atque ideo nihil de hoc lapide apud Græcos autores legitur, quod ad purgandam atram bilem ſit efficax, aut quod *Lapis armenus* alios,quos de eo ſcribit Meſue, præſtet effectus,quos ego uerius de lapide armeno affirmari poſſe exiſtimauerim. Nam & Meſue ipſe, licet lapidem lazuli à lapide armeno diſtinguat, non tamen uires ac proprietates admodum differentes in utroque conſcripſit. Serapio uero quum lapidem lazuli notificat,eiuſq; poteſtates exponit, non alia refert, quàm quæ de lapide armeno à Græcis tradũtur:neq; poſtea quicquam lapidis armeni alio in loco cõmeminit:quod ſanè non tenue eſt argumentũ,Serapionem eundem putaſſe lapidem, & qui armenus à ſolo in quo gignitur,& lazuli à colore cæruleo,quẽ Arabes lazul appellãt,uocaret. Auicenna uero etſi ſeorſum de azul, id eſt lapide lazuli, & de lapide armeno inter alios lapides ſcribat,quæcunq; tamen de lapide lazuli refert,eadem omnia ferè à Græ*Dioſcor. lib. 5. Cap. 59* cis autoribus, Dioſcoride præſertim atque Galeno, de lapide armeno ſcribuntur. Hæc enim ſunt Auicẽnæ de lapide lazuli uerba: Virtus eius eſt ſicuti uirtus eius quo adhæret aurũ. Dioſcorides de lapide armeno lib. v. ita: Eadẽ facit chryſo*Lib. 2. cap. 57* colla. Auicenna de azul ſiue lapide lazuli ſic: Ineſt ei uirtus eradicatiua, putrefactiua,& abſterſio eius cũ acuitate & ſtypticitate pauca. Galenus & Paulus de armeno lapide eadẽ ferè. Habet uires abſtergẽtes cum acredine, & pauca quadam aſtringendi facultate. Auicẽna de lapide lazuli pariter: Bonos efficit pilos palpebrarum, & eſt ultimum (ſicut dicitur) propter proprietatem quæ eſt in ipſo. Et dicitur, quod propterea, quia ipſum euacuat humores malos prohibentes oriri pilos

A pilos bene. In eandem quoq; ferè ſententiã, Galenus de lapide armeno ita ſcribit: Quum igitur tali natura prædictus ſit, miſcet̃ medicaminibus oculorũ: ipſum quoque ſeorſum terentes, & in puluerem quodammodo redigentes, utuntur ſicco ad augendos pilos palpebrarum, quando ob humorum acredinem quidam ex ipſis decidunt, quidam non augentur, neq; nutriuntur. Nam ubi huiuſcemodi humorum acrimonia fuerit conſumpta, ad naturalem habitũ palpebra reſtituitur. Ex his igitur tam ſimilibus, ac penè eiſdem tum Auicennæ, tum Dioſcoridis atque Galeni de lapide lazuli, & lapide armeno ſententijs, unicuique uideri poteſt Auicennam æque ac Serapionẽ in lapide lazuli lapidem armenum deſignare. Magis uero in hoc Serapio, quàm Auicenna laudãdus: quoniam quum lapidem armenum ſub lapidis lazuli nuncupatione notificaſſet, nihil poſtea ſeorſum de lapide armeno, tanquam re à lapide lazuli differente, id quod Auicenna feciſſe probatur, ſcribendum cenſuerit. Quod ſi pauca quædã in lapide lazuli addit Auicẽna, ut quod uirtutem habeat eradicatiuam & putrefactiuam, quæ de lapide armeno à Græcis non ſcribuntur, ſed de altero metallo potius, quod ab eiſdem Græcis cyaneus appellatur: non ſanè mirandum eſt, Auicennã ut in pleriſq; alijs, ita in hoc quoq; lapide rerum differentium proprietates miſcuiſſe. Vnde illud euenit, ut ſibi parum conſtare, atque inuicem pugnantia in hoc eodem lapide ſcribere uideatur. Nam ſi uirtutem habet eradicatiuam, quemadmodum de ipſo ſcribit, quo pacto nutrit aut producit capillos ex proprietate quæ eſt in eo, quos ex uirtute eradicatiua debeat extirpare? Quod ſi etiam ſit putrefactiuus, quũ ea quæ putrefaciendi uim habent, à medicis doctiſſimis, ac Galeno præſertim inter uenena cõputentur, qua ratione pilulæ ex eodem ſine uitæ periculo ſumantur? Hoc enim eſt id, quod ex lapi-
B dis lazuli uſu nõ paruum imminere periculum ſignificaui. Eundem enim eſſe cenſeo illi quem Dioſcorides atq; Galenus ſub cyanei appellatione notificãt: quemq; idem Dioſcorides libro quinto, uim deſtruendi ac putrefaciendi habere teſtat̃: atque ideo nullus ex Græcis autoribus, ſicuti lapidem armenum, ita cyaneum quoque purgandæ atræ bilis gratia docuit in pilulis deuorari. Neq; me latet, quædam eſſe, quæ per ſe ſumpta ſint exitialia uenena, alijs tamen admiſta ſalutaria reddantur. Sed dicat aliquis, quiſnam uſus aut ratio hoc in lapide lazuli deprehenderit, niſi forte in eadem re Arabibus autoribus fidem adhibere uelimus, quos ueriſimile eſt lapidem lazuli à lapide armeno neſciuiſſe diſtinguere, quum unius uires ac proprietates in altero notent. Huius ſiquidem erroris non eſt omnino neque ipſe Serapio expers: nam licet de lapide lazuli tantummodo ſcribat, quo nomine lapidem armenum uoluit intelligi (quoniam uerba Galeni quæ Serapio in lapide lazuli refert, ſunt ab eodem Galeno in lapide armeno cõſcripta) in fine tamen ſubiungit, ex cuiuſdã Alchanzi ſententia, lapidem lazuli habere uirtutem aduſtiuam & putrefactiuam, atq; ideo auferre uerrucas. Hæc autem (ut diximus) non eſt lapidis armeni, ſed alterius potius medicaminis, quod à Græcis cyaneũ, à Latinis cæruleum appellatur, poteſtas.

Hæſitatio Auicennæ in cicuta herba uulgari. Eiuſdem error ſcribentis de napello & turdis, id quod Galenus de cicuta & ſturnis. XXXVIII

NEq; uero mirandũ eſt, Auicennã in lapide armeno, qui etiam à noſtræ ætatis medicis ignoratur, hæſitaſſe quid eſſet, qui in cicuta herba adeò uulgari tam anceps fuerit ac dubius, ut eam aliquando folijs cucumeris, aliquando mandragoræ iuxta diuerſorum autorũ opiniones cõſtare tradiderit, & nunc eandem ſuccaram, nunc alpharas, & nonnunquam hyoſcyamum nigrum appellet. Nam

C in ſuo de ſimplicibus medicaminibus libro ſecundo, ſub ſuccaram appellatione ci cutam deſcribit, eoſdem ſiquidem ſuccaram tribuit effectus, quos cicutæ Dioſcori des. In quarto autem libro, ubi de uenenis agit, cicutam non ſuccaram, ſed alpharas uocat, & exiſtimat ipſam eſſe napellum aut uenenũ, quod interficit hominem, & non interficit turdos: & poſtea ſubiungit eandem huius rei cauſam, quam affert Galenus, non in napello & turdis, ſed potius in cicuta & ſturnis. Hæc enim ſunt Galeni uerba tertio de ſimplicibus medicaminibus libro ſic: Cicuta hominẽ quidem interficit ob meatuũ latitudinem, & caloris abundantiã, ac propter magnam quam habent arteriæ in attrahendo uim, pollens adhuc pertingit ad cor. Non exa nimat autẽ ſturnos contrarijs ex cauſis. In eandem ſententiã ſcribit idem Galenus libro ſecũdo de alimentis, & tertio de cõplexionibus, de cicuta & ſturnis, non autem de napello & turdis, ut in ore eſt omniũ ferè medicorũ, qui ſola Auicennæ au toritate freti, id cõſtanter affirmãt, quod nulla habent experientia cõpertum. Quis enim ſciat, an turdi ſine noxa napello ueſcantur, quũ quid ſit napellus ex ipſo Aui cenna non conſtet? Signa enim quæ ab Auicenna ponuntur in eo, qui hauſerit na pellum, ſunt eadem his, quæ à Dioſcoride & Paulo ſcribuntur in his, qui toxicum biberint. Eſt autem toxicon quoddam ueneni genus, quo ſagittæ ab antiquis tingebantur, hinc enim illi apud Græcos nomen, quoniam miſſilia quæ ipſi toxeuma ta appellant, hoc potiſſimum medicamine inficerentur. Sed hoc idem ueneni genus ipſe Auicenna paulò infra nominat, corrupto uocabulo, pro toxico tuſſon: cu ius ſe neq; naturam neq; nomen noſſe fatetur, eoſdem tamen in eo ex aliorum ſen tentia tradit effectus, quos etiam Dioſcorides ac Paulus in toxico notant, ac quos paulò ſuprà idem Auicenna in napello conſcripſerat. Quod autem in autore Pan D dectarum legitur, atq; ab omnibus ferè medicis creditur, napellũ eſſe ſpeciem aco niti, id ex Auicennæ ſententia affirmari nõ poteſt. Aconitum enim duplex eſt autore Galeno, aliud quod interficit lupos, atq; idcirco apud Græcos lycoctonos di citur: aliud quod pantheras exanimat, ac ſimili ratione ab eiſdẽ Græcis pardalianches appellatur. De his autem duobus aconiti generibus Auicenna eundem Ga lenum ſecutus, ſub nomine ſtrangulatoris, adib, id eſt lupi, & ſtrangulatoris leopardi ſeorſum à napello tractauit. Quod ſi Auicenna nõ minus noxias, quàm etiã ſalutares herbas incognitas habuiſſe probatᷣ, quodnam ex eius uiri doctrina, aut in euitandis uenenis, aut in capiendis remedijs auxilij ſperare poſſimus? Atqui omnium artium profeſſores hæc duo ſuſcipere ac polliceri uidentur, bonorum ſci licet ac malorum in ſua quiſq; arte ſcientiam.

Galen. de ſturnis cicuta ueſcẽtibus.

Toxicon.

Aconitum duplex.

Fen. 6. tracta. 1

Error Auicennæ, cicutam hioſcyamum nigrum appellantis. Alter eiuſdem Auicennæ, gummi rutæ agreſtis cum ixia ueneno confundentis. XXXIX

IDem Auicenna (ut ad id unde digreſſi ſumus redeamus) eandem cicutam eodem libro ſcilicet quarto, ubi de uenenis agit, hioſcyamũ nigrũ nominat. Nam quæcunq; ſigna ab Auicenna ſcribũtur in eo, qui hauſerit hioſcyamum nigrum, ac contra idem uenenũ remedia non alia ſunt, quàm quæ in cicuta Dioſcorides ac Paulus pariter notauerũt. Nec minus idem Auicenna in altera herba, quam pro cicuta recipi oportere in pilulis ex hermodactylis inſinuauimus, incertus fuiſſe ui detur, quid eſſet, quum gummi eius inter uenena ponat, atq; ea ſigna pariter, atq; remedia in his, qui idem gummi hauſerint, ſcribat, quæ Dioſcorides ac Paulus nõ in gummi rutæ ſylueſtris ſiue montanæ (neq; enim uſquam legitur aliquam rutæ ſylueſtris ſpeciem habere gũmi tale, quod uenenũ ſit) ſed potius in ueneno quodam, quod ixiaſa appellatur: de quo etiam Nicander in theriacis ſuis facit mentionem

Ixia uenenum.

A nem, pariter notauerũt. Auicenna & in eodem iiij. lib. ubi docet curationẽ morſus uiperæ, ſcribit rutam agreſtem non eſſe (ut multi opinant̃) harmel, quũ tamen & Dioſcorides & Galenus ac Paulus quoddã genus rutæ agreſtis moly beſaſa, atq; harmalum appellari teſtentur. Quod quoniam (ut idem tradunt autores) uim habet incidendi, & diſcutiendi lentos ac tenaces humores in articulorũ doloribus, ad quos pilulæ ex hermodactylis ualent, quoniam magna ex parte talium humorum uitio proueniunt, utilius adhiberi exiſtimauerim, quàm cicutam, quæ ſua frigiditate augere potius eundem morbum poſſit, quàm tollere. Galenus ſiquidem libro de ſimplicibus medicaminibus primo, ſemen cicutæ præ omnibus alijs frigidiſſimũ eſſe teſtatur. In quinto uero eiuſdem uoluminis libro, etſi quædam uehementer frigida probat hebetandi ſenſus gratia, ubi impatibiles crutient dolores, uſum tamen cicutæ in totum damnat, ut quæ nõ ſolum frigiditate, ſed etiã ſuperflua humiditate ſit pernicioſa. Sed neſcio quo pacto dum alia ex alijs in medicina errata corrigenda ſe ſuggerunt, à Plinio ad Auicennã noſtra ſe oratio deuoluit: in cuius autoris erroribus explicandis expatiari ſi uelim, nullus huic operi terminus futurus erit, quũ omnes eius de medicina libri, ac ſecundus præſertim, in quo de ſimplicibus medicaminibus tractat, de quibus hactenus ſermo habitus eſt, innumeris ſcateãt erroribus. Nõ ignoro igitur quos trãſeo, ſed breuitatis potius cauſa prætermitto. Alteri enim hic mihi labor eſt uolumini deſtinatus, in q̃ toto ſolius Auicennæ tractabuntur errores. Quare hæc in Plinio, tum obiter etiã in reliquis qui de eiſdem rebus non recte (ut ego quidẽ ſentio) ſcripſerũt, in præſentiarũ notaſſe ſufficiat, quæ ad te Angele uir doctiſſime ſcribẽda, tuoq; iudicio grauiſſimo ac maximo ſubijciẽda exiſtimaui, ut à te perſpicaciſſimæ doctrinæ uiro probabuntur.

B Gaudeã ſanè cõtra obtrectationis inuidiam, quã non dubito aduerſus me plurimum hoc præſertim uolumine ædito, ac tuo nomini dedicato exortũ iri, tuũ mihi non deeſſe patrocinium. Quod ſi in his etiam quæ ad Plinium attinent, longe aliter q̃ ego ſenſeris, meq; potius in errore quàm Plinium fore iudicaueris, nõ lætabor minus, & Plinium abs te defendi, & me ab homine mihi amiciſſimo corrigi atq; emendari. Nam quũ hic non de uerborũ momentis, ſed de rebus agatur, ex quibus hominũ ſalus ac uita dependet, impium ſanè ſit, atq; inhumanũ, ſicuti tibi alienos, ita mihi meos uelle errores obnixe atq; obſtinate contra ueritatem tueri. Vt aũt de me loquar, hæc omnia quæ præſenti uolumini inſerui, animo ab omni contentione alieno, atq; ad ſolam ueritatem ſpectante ſcripſiſſe, illud non leue argumentum eſſe potuerit, quod quemadmodũ in Plinium, ita in Serapionem atq; Auicennam, pluresq; alios qui circa eandem cum Plinio materiam ſcribendo de ſimplicibus medicaminibus fuere uerſati, in quibus à Dioſcoride, Galeno ac Paulo, atq; ab ipſa rerum parente natura diſſentire mihi uiſi ſunt, ut cõmuni hominũ ſaluti conſulerem, inuehendum pariter duxerim. Vtrum autem recte, an perperam hoc munus pro tempore obierim, tuum erit, atq; aliorum qui de ſimilibus rebus iudicare poſſunt, officium, non tam autoritatem ſcribentium, quàm ueritatem ipſam inſpiciendo, itidẽ ſine ullo animi affectu pronunciare.

Dioſcor. lib. 3. cap. 50

LIBRI PRIMI FINIS.

NICOLAI LEONICENI VICENTINI

C DE PLINII ET ALIORVM PLVRIVM IN MEDICINA ERRORIBVS, AD HERMOLAVM BARBARVM PONTIFICEM AQVILEIENSEM, LIB. II.

VIX dici poſſet, doctiſſime Hermolaë (ſit enim hæc tui præfatio, mihi hoc in loco conceſſa, quoniam ut te lepide ac ſcite dicere audio, plures iam Hermolaũ literatũ norunt quàm candidatum) quantum lætitiæ ac uoluptatis acceperim, ex eruditiſſimi operis tui Plinianarum caſtigationũ ædi.ione, nõ ob id tantum quod Plinij de naturali hiſtoria libros qui prius mendoſiſſimi ac quaſi demortui habebãtur, adeò ut ſi Plinius ipſe reuixiſſet, atq; uti pridẽ habebant̃ deprauatos inſpexiſſet, ſuos eſſe omnino pernegaſſet, tuo ſtudio ac diligentia in lucem reſtitutos, ac quodãmodo renatos fateri liceat. Sed quod multiplex in eodẽ opere fructus, ex uarijs tam græce quàm romanæ linguæ uoluminibus erutus, unà cum Plinianis caſtigationibus cõtineat̃, nemini ſanè diſpliceant tot millia Plinio ab impreſſoribus ſiue librarijs uulnera adacta, quæ dum tu ſanare ſtuduiſti, tam multa digna memoratu tibi ſcribendi dedere occaſionẽ. Multos certe futuros ſcio, qui nõ tam ueram Plinij lectionem, quàm tuam excellentẽ in eo libro doctrinã, ſunt quæſituri. Quod uero me in eodẽ præ cæteris ſummopere delectauit, illud ipſum fuit, q̃d pleriq; mihi futurũ fuiſſe moleſtum ſuſpicari potuiſſent, Plinij quoq; defenſionẽ in quibuſdã locis à me in eo autore notatis, obiter fuiſſe ſuſceptã. Neq; enim ego is ſum, qui uelim mea ſcripta

D ſine cõtradictione legi. Nam quod in calce libri de Plinij, atq; aliorum medicorũ erroribus æditi ſcribit̃, gauiſurũ me eſſe, ſi quis Plinij patrociniũ ſuſciperet, meq; potius, quàm tantũ erraſſe uirum demonſtraret: id non adeò Angelo Politiano, ad quẽ idem liber deſtinabatur, quàm omnibus planè in tota Italia eruditis uolui inſinuatum exiſtimari. Sed quod idem Angelus Politianus, uir alioquin in enarrandis poëtarum, oratorum, ac philoſophorum libris occupatiſſimus, hactenus facere diſtulit, uel quod Plinij defenſionẽ ſuis alijs grauioribus ſtudijs poſtponendam cenſuerit, ſiue quod mei libelli confutationem noſtræ ueteri amicitiæ condonandam exiſtimauerit: dolebam à pluribus alijs uere atque ingenue doctis prætermiſſam, atq; hoc Plinij tutandi munus à quibuſdã hominibus uſurpari, qui nihil minus in ſua uita tractaſſent, quàm res illas, de quibus mihi erat cũ Plinio diſſenſio: quas ut etiam ſcirent, à meipſo per meos diſcipulos latenter explorabant. Quid enim ipſi agerẽt, quũ neq; medicinæ ſtudijs unquã incubuiſſent, neq; græcorum medicorũ autoritates, quas ego in meis ſententijs cõfirmandis adhibuerã, unq; legiſſent: aut ſi nunc demũ legere inciperent, quoniã græcas literas ignorarent, nec unum quidẽ uerbũ poſſent intelligere, niſi ab alijs illa docerent̃, quæ ſub ſuo nomine erant impudenter ædituri, & ne nihil de ſuo interſeruiſſe uiderentur, iurgijs atq; conuicijs pro Plinio cõtenderent. Quũ igitur non parum ſanè dolerẽ litem mihi eſſe cum uiris non ſolum imperitis, ſed etiam inſolentibus & contumelioſis, tandem uel caſus, uel ratio talem qualem merebatur Plinius attulit defenſorem, te ſcilicet Hermolaë, qui tantus in omni doctrinarũ genere haberis, ut Marcum illum Varronẽ, Latinorũ atq; Græcorũ habitum aliquando doctiſſimũ, ſolus ætate noſtra repræſentes. Equidẽ quũ ad me huius à te pro Plinio ſuſcepti patrocinij fama perueniſſet, teſtes habeo Ferrariæ q̃plurimos, qui me illud dictitantẽ audiuerũt, iactum eſſe maioris machinæ ſaxum: quæ ab illo mœnia nõ forent ſubuerſa,

A uerſa, nemo ſperaret fundis poſſe demoliri. Neque hæc ſané iactabam tanquam eſſem de meipſo ſecurus, quinimò q̃ eſſet mea in ancipiti fama periculo, omnibus prædicabam. Rem mihi eſſe cum uiro eloquentiſſimo, philoſopho perſpicaciſſimo, multarũ rerum quæ alijs eſſent abſtruſæ atq; reconditæ, ſcientia prædito, ac quod præcipue meo nomini poſſet officere, iam multos annos dum Plinianas caſtigationes ac Dioſcoridis translationem unà parturiret, ſoli ſimplicium medicaminũ indagationi uacante: non me tamen propterea ceſſurum affirmabam, ſed ueluti nauis forti compage ſubnixa, ubi ſemel anchoram iecerit, quamuis

Nunc Eurus Zephyruſq; ruant, creberq; procellis
Africus, & uaſtos tollant ad ſydera fluctus,

Contra tamen tot uentorũ atq; oblatrantium impetus fluctuum, ſtabilis atq; incõcuſſa perdurat, ſtatuiſſe me fortiter ſtare, ac quanto maior me uis oppugnaret, tanto audentius pro ueritate certare. Tandem quũ tuæ in Pliniũ caſtigationes ad manus meas perueniſſent, tunc demũ intellexi temere me ſuſpicatũ, te mihi fore aduerſarium, qui eſſes mei libelli propugnator acerrimus. Tu enim Plinij (ut tuis utar uerbis) cauillũ, lunã terra maiorẽ ſtatuentis, nõ alia q̃ ego ratione confutaſti. Tu de porro, atq; marrubio, errorẽ in Plinio hallucinante cõfirmaſti. Tu polij atque tripolij confuſionẽ in eodem autore notaſti. De parthenio altera, quã Celſus nominarat, diuerſam ab ea, quã Plinius eandẽ putarat, idem q̃d ego ſenſiſti. Dioſcoridem ſaliuncã à nardo Celtica nõ exiſtimaſſe differentẽ, tu unà mecũ iudicaſti: quamuis plus Plinio contrarium opinanti, credendũ cenſueris. De papauere heraclio herbæ ſtruthio ſimili, ac nõ paſſeribus ut ſcribit Plinius, quãuis certiorẽ ſententiam ferre diſtuleris, mihi tamen adſtipulari uerba Dioſcoridis non negaſti.

B Herbam etiam fragra ferentem, non eſſe quinquefoliam, ſed potius trifoliam, tu etiam contra Plinium pronunciaſti. Meam de empetro, de betonica, de cyclamino opinionem tacendo comprobaſti. Deniq; ſi quis res ipſas potius quàm ſermonis elegantiam, qua longe abs te ſuperari confiteor, conſiderat, illud dicere audeat, Vel Barbarus leonicizat, uel Leonicenus barbarizat: nõ quod tu à me, aut ego à te aliquid fuerimus mutuati: ſed quod ea ſit nobis conſenſio animorũ, ut plures qui aderant docti ſané uiri, quũ Ferrariæ in palatio Ducis illuſtriſſimi Herculis, de ſimplicibus medicaminibus ſermones inuicem haberemus, nõ parum ſint admirati te, quũ uix ego ad loquendum os aperuiſſem, meos anticipaſſe cogitatus, meq; item ex uno plerunq; uerbo abs te prolato, quæ deinceps proferre uolebas, diuinaſſe. Quod ſi in his quæ ad Plinium attinent numero ſané paucis, ac nõ mágni ad uitam momenti, contigit diſſentire, minus certe mirandũ, in ea præſertim materia, de qua nulla incertior atq; inconſtantior apud medicos habetur ſcientia. Adde quod tu Plinium, quem in nouam educendo lucem, ueluti adoptiuum tibi filium feciſti, animo paterno caſtigaſti, plura illi errata indulgendo, ac leuiter perſtringendo, atque omnia ferè librarijs uel impreſſoribus imputando. Ego qui alienior eram, ſeuerius fortaſſis quàm decuit, egi aduerſus hominẽ, meo quidem iudicio præſtantiſſimũ, atq; de hominum genere optime meritum: quem tamen, quoniam humanum ſit labi, decipi, & errare, deuium à ueritate iter aliquando tenuiſſe ſuſpicabar. Atq; ideo quũ de rebus ageretur, in quibus hominum ſalus ac uita continetur, quoniam in nulla tantum, quantum ſit in huiuſmodi inſcitia periculum, nolui ueritatem in obſcuro iacere: atq; idcirco librum de Plinij atq; aliorũ medicorũ erroribus cenſui publicandum. Neq; uero id tu mihi uitio uertere potes, quod pleriq; æmuli cumulandæ inuidiæ gratia mihi crimino ſius obiecerunt, temerarium me hominem atq; impudentem uocitantes, qui tanto in lingua latina *Inſcitia medicorum capitalis.*

C autori auſus ſim contradicere: eſt enim abs te, qua nulla magis mihi poſſit in hac cauſa ſuffragari, xxxij. libro Plinianarū caſtigationū præclariſſima ſcripta ſententia: Cogitationem aliquam huiuſmodi ſupprimere, nō eſſe parcere ueteribus, ſed inuidere poſteris. Erat autem (niſi fallor) ea tua cogitatio, quod Plinius non recte imitatus Theophraſtum, libro prædicto ſcripſiſſet, reperiri in Hiſpanijs minium, ſed durum & arenoſum: quoniam Theophraſtus non de Hiſpanijs, ſed de altera loqueretur Hiberia, quæ Albanis eſt iuncta. Quod ſi tu in his quæ à quibuſdā minutioris forte curæ iudicarentur, nec Plinio quidem tuo parcendum cenſuiſti: debui ego qui artem medendi profiteor, in rebus ad ſalutem hominum attinētibus, ſi quādo Plinium aduerti dormitantē, uiri alioquin doctiſſimi errata tacere? Quanquam tu forte inquies, quis tibi hoc iuſſit ſilentium? ego enim non te uetui, quæ à Plinio erant nō recte ſcripta, notari: quando & ipſe quoque non ſolum librariorū, ſiue codicis menda caſtigaui, ſed plures etiā autoris hallucinationes aperui: at quæ erāt à Plinio ueriſſime dicta, eidem pro erratis aſcribi nolui permittere. Si mihi nō ſit de moribus apud te tanquam cenſorē, ſed de doctrina potius penes iudicē pro me ipſo dicendū, difficiliorē aliquanto uideo mihi cauſam futuram: quoniā mihi ſit neceſſarium à te uiro doctiſſimo, atque ampliſſima prædito dignitate diſſentire: quam tamē rem eo æquiore animo ferre debes, qui ſis in ea inclyta ciuitate Venetiarū natus atq; educatus, in qua nemo Cæſar, nemo perpetuus Dictator, à cuius ſententia prouocare nō liceat. Ego quidem ſic exiſtimo, quanto aliquis magis opibus atq; honoribus præſtet, tanto ſe in literario certamine æquabiliorē præſtare oportere, ne quod rationibus ſit obtinendū, id ui extorquere uelle uideatur. Nicolaus quintus Pontifex ſummus, atque idem in ſuo pontificatu literarum patro-
D nus eximius, cuidam theologo ipſi familiari, quem aliquando ad diſputandum de theologia ſolebat inuitare, hanc ſemper largiebatur ueniam, ut ei non tanquā Romano pontifici, ſed magiſtro Thomæ de Sarzana (hoc enim illi fuerat, antequam ad pontificium culmē aſcenderet nomen) ſine ulla reuerentia, aut ſacroſanctæ poteſtatis formidine reſponderet. An non tu quoq; pontifex Aquileienſis, in calce tui operis hortaris omnes literatos, ut libere de tuis ſcriptis pronuncient. Quod ſi tu, uel tua quoque taxandi poteſtatem cunctis conceſſiſti, quanto ego æquius ea in meis defendēdis uti potuerim? Quare ut iam eo iure tecū agam, quod tum cæteris, tum mihi præcipue qui abs te fui ante notatus, permiſiſti, ſingula Plinianæ defenſionis capita eodem ordine, atque ijſdem ferè uerbis, quibus à te ſcripta ſunt, in medium adducentur, & nunquid ſufficienter Plinium ab erroribus uindicent, eruditorum iudicio ſubijcientur.

De ciſtho & hædera diſputatio habita in primo libro confirmatur.

NOn uidetur tibi Plinius libro duodecimo iure reprehenſus, qui ciſthon herbam ex qua fit ladanum, hæderam nominauerit: quoniā (ut inquis) Paulus Aegineta ciſthon, hanc etiam ciſſon, id eſt hæderam nominet, & Dioſcorides eandem ciſſaron, id eſt hæderulam uocari tradat. Ego quod cum ueniæ præfatione dicere liceat doctiſſime Hermolaë, nuſquā reperi apud Paulum, ac Dioſcoridem herbam illam ex qua conficitur ladanū, de qua nobis eſt diſputatio præſens, ciſſon, id eſt hæderā, uel ciſſarion, id eſt hæderulā nūcupari: ſed potius ciſthū, aut ledon, ſiue ladona: hæc enim ſunt Pauli uerba quarto ſui de medicina libro uolumine, in quo agit de ſimplicibus medicaminibus: λάδανον ἀπὸ τοῦ κισθοῦ τοῦ λάδωνος λεγομένου γίνεται, id eſt ladanū ex ciſtho ladone appellata fit. Sic Galenus medicamentum id, quod ladanū appellatur ex ciſtho, nō aūt ex ciſſo fieri atteſtatū. Neq; Aëtius his

A his ætate aliquanto poſterior, non tamen exiguæ apud græcos autoritatis medi-
cus, alia uſus eſt in eadem herba quàm ciſthi appellatione: alterã tamen huic non
longe diſſimilem ſub qua naſcitur hypociſtis, nõ ciſſaron, ſed ciſtharũ duo iſti no-
biliſſimi medici nuncuparunt. Dioſcorides uero alterũ ciſthi genus ſub quo naſci *Libro medici-*
tur hypociſtis, tam ciſtharum, q́ etiam ciſſarũ à quibuſdam ſcribit nominari: alte- *nalis materiæ,*
rum uero ex quo fit ladanũ, non ciſſaron, ſed ledon tantũ à quibuſdã inquit uoci- *cap. 117. & 118*
tari: quo fit ut ciſſari nomen, quod latine hæderulam recte dici poſſe arbitraris, nõ
ei herbæ, ex qua ladanũ generatur, ſed illi potius ſub qua naſcitur hypociſtis etiã
Dioſcoride teſte cõueniat: quæ etiam herba ladanifera, ſi nomine à ciſſo uel hæde
ra diuerſo diceret̃, *κίσσος* potius q́ *κισσὸς* pronunciaret̃, faciendæ gratia inter ipſam
atq; hæderã ſaltem ex accentu differentiæ: Quare ἀπὸ τοῦ κισσοῦ uox diminutiua for-
mata, nõ hæderulã, ſed proprij generis herbã ſignificaret, quod etiã ſit de altera,
ſub qua naſcit̃ hypociſtis, ſtatuendũ: Quanq́ & Plinius ipſe ciſthũ nõ idem cum
hædera nomẽ, ſed uicinũ tantum ſortitã eſſe inſinuauit: Vicinũ aũt nomen uel *κί-*
σθος fuerit, uel *κίσσος*, à q̃ per diminutionẽ *κίσσαρον*, ſicuti *ἀπὸ τοῦ κισθοῦ κίσθαρον*. Neq;
uero hanc ipſam plantam, ut etiã tibi conceſſerim facta ἀπὸ τοῦ κισσοῦ diminutione à
Græcis ciſſariũ nũcupari, puto à Latinis recte hæderulã poſſe nominari: quoniam
non ſequitur, ut ſi *κίσσος*, uel *κισσάριον* multa ſignificent apud græcos, plantam ſci
licet ſub qua naſcit̃ hypociſtis, & hæderã uel hæderulã, ſi qua inter hæderæ ſpe-
cies alijs minor exiſtit, qualis eſt ea quæ à Theophraſto elice, nõ aũt ciſſarũ nomina
tur: idcirco & hædera uel hæderula totidẽ habeat apud latinos ſignificatus, tanq́
is frutex qui arbores ſcandit ac circũuoluitur, q́ etiam alter ſuffrutex, ſub q̃ naſcit̃
hypociſtis: Quæ duæ plantæ inter ſe nõ ſolũ genere atq; natura, ſed etiam colore
B atq; figura plurimũ diſtant, hæderæ uocabulo cõprehendant̃. In hoc ſanè, quem-
admodũ in multis alijs, errore, fuit autor Pandectarũ, qui uolens (ut arbitror) Aui
cennã tueri æque ac Pliniũ medicinã utranq; confundentẽ, hæderæ nomen ali-
quanto etiam q́ cæteri fuſius accepit, adeò ut omnẽ herbã qua capræ libenter ue-
ſcũtur, ab edendo hæderã appellari poſſe putauerit. At tibi homini literatiſſimo,
quẽ craſſa Minerua dedecet, ſcio hanc rationẽ nõ probari, atq; ideo nõ parua me
cepit admiratio, q̃ pacto unq́ in animũ inducere potueris, ut hæderæ nomẽ apud
latinos plantã ex qua ſit ladanũ, ſignificare poſſe credideris, quũ nuſquã inueniri
poſſit huiuſmodi ſignificatus exemplũ: quando & Plinius ipſe lib. xij. dubitare ui
detur, utrum ſit hædera uel lada, quam hirci depaſcentes medicamen id quod la-
danum nuncupat̃, barbarũ uillis adglutinẽt. Non te ſanè latet, uirũ tam græca q́
etiam latina inſignẽ literatura, pleraq; apud græcos uocabula multipliciter dici,
quæ tamẽ apud nos nõ ſeruant eandẽ ſignificatus multiplicitatẽ: Nam *φιλέω* uer- *φιλέω*
bum apud illos ſignificat amare, & oſculari: amare aũt pro oſculari nunquã (ut ar-
bitror) in noſtro ſermone reperies. Sed ut ab ipſis de quibus agitur plantis ſumat̃
exemplum, *σχῖνος* in græcorũ lingua, & lentiſcum arborẽ, & id cepe genus quod *Σχῖνος*
ab ipſis *σκίλλα*, à latinis ſcilla appellatur, ſignificat: non tamen in noſtra lentiſci uo
cabulo aliud quàm arbor deſignatur. An non tu Theodorũ Gazam, quẽ tamen in
Themiſtij editione, præ cæteris imitandũ tibi propoſuiſſe fateris, in hoc tamen Pli
nianarum caſtigationum opere carpis, quod nimium linguæ latinæ amplificandæ
ſtudioſus, id genus raphani agreſtis, quod à Græcis *ἄπιος* uel *ἰσχίας* appellatur:
quoniam *ἄπιος* apud illos etiam pirum ſignificat, latine dixerit pirũ? Quid enim
aliud innuere uolebas, niſi nõ eſſe piri apud latinos æque atq; græcos τοῦ ἀπίου du-
plex ſignificatũ? Ego uero Theodoro Gazæ in hac parte patrocinari nõ uerebor.

C *Defenditur Theodorus Gaza, quod raphanum agreſtem recte potuerit pirum latine dicere: Reprehenditur autem quod idem raphani genus etiam caricam nominauerit.* II

THeodorum ego puto ἄπιον etiam pro raphano agreſti pirum recte conuertiſſe: quoniam id raphani genus idcirco tale nomen apud Græcos ſortitũ uidetur, quod piri effigiem ſua figura repræſentat: Quare ob eandẽ ſimilitudinem etiam à noſtris commode pirum diceretur. Græci ſanè uel ruſtici, qui eiuſdem raphani uſum, quem & Theophraſtus, & Dioſcorides retulerunt, habent experientia compertum, quod ſcilicet pars eius ſuperior uomitum faciat, inferior uero aluum citat, nunc etiam chamæpidium, id eſt terreſtrẽ pirum uulgò uocare conſueuerunt. Multa tamen alia ſunt, in quibus iudico eundem Theodorum Gazam minus recte latinis uocabulis uſum fuiſſe pro græcis. Nam hoc ipſum (de quo diximus) raphani genus, quoniam non ſolum ἄπιος, ſed etiam ἰσχὰς uocari à quibuſdam in græco Theophraſti codice legitur, idem nomen Theodorus caricam tranſtulit. Sed quamuis ita apud Theophraſtum, cuius de plantis uolumina magna ex parte ſunt deprauata, legatur, neque tu id uerbum in Plinio caſtigaueris, Dioſcorides tamen, cuius liber aliquanto emendatior quàm Theophraſti apud Græcos habetur, nõ iſchada, ſed iſchiada potius alio nomine idem medicamentũ nuncupauit. Qui ſi etiam iſchas (ut apud Theophraſtum & Plinium ſcribitur) diceretur, non poſſe tamen caricæ uocabulum in lingua noſtra aliquam raphani ſpeciem, quæ nullam habeat caricæ ſimilationem, ſignificare, iiſdem rationibus, quas paulò ante de hædera attuli, auſim confirmare.

Lib. 6. cap. 21

Error Theodori in centaurij maioris radice, quam fel terræ nominauit, quũ tamen dulcem habeat ſaporem. III

D SImili errore, atque aliquanto ſanè maiore, Theodorus Gaza centaurium maius fel terræ nominauit: nam quum Theophraſtus libro nono de plantis ſcribat, centaurij radicem ad decem annos reſeruari, ac proculdubio cẽtaurium maius intelligat, cuius radix, non autem folia, quemadmodum contrà minoris folia, non autem radix ad uſum medicinæ adhibeatur: Hanc in utraq; centaurio differentiam non animaduertens Theodorus, ut qui apud Dioſcoridem, Galenũ, & Plinium etiam forte non legerat, centaurij minoris radicem eſſe ſuperuacuam: atq; ideo nullam eſſe ipſam reſeruandi neceſſitatem, ita illum Theophraſti locum eſt interpretatus: Publica uero omnium radicum differentia, quod aliæ plus, aliæ minus temporis durant: hellebori enim uel annis trecentis utilis durat: malum terræ aut quinque, aut ſex: uernilago quadraginta: fel terræ duodecim. Pinguis hæc ſpiſſaq; admodum eſt. Iam uero hic error Theodori manifeſtus apparet, qui ſcribente Theophraſto centaurij maioris radicem pinguem ac ſpiſſam, cuiuſmodi eam Dioſcorides & Plinius etiam ſcripſerunt, ſicuti minoris tenuem, ac nullius in medicina uſus retulerunt. Ipſe tamen de minori ea ſcribi à Theophraſto putauit, quæ nullo pacto eidem cõueniebant, atq; ideo centaurium fel terræ uocauit: quo ſanè nomine centaurium minus ob eximiam amaritudinẽ conuenientius inſignitur: maius uero tantũ abeſt ut fel terræ dici poſſit, ut multo rectius mel terræ uocaretur: nam eius radix eſſe ſubdulcis à Dioſcoride traditur, & qui eandem norunt, ita eſſe experientia cõprobarũt. Ego ſanè ſcio ipſam ab omnibus ferè medicis ætate noſtra ignorari.

Dioſcor. lib. 3 cap. 7
Plinius lib. 27. cap. 6

Error Conciliatoris, dicentis centaurium maius fuiſſe ſua ætate incognitũ, cuius tamen radice ſæpe antè in uſu medicinæ fuerat uſus. IIII

Concilia-

A Conciliator quoq; differentia centena, centauriũ maius æuo ſuo incognitum fuiſſe teſtatur, licet millies ipſum (ut arbitror) uiderit, atq; ad opera medicinæ frequenter adhibuerit: quod etiã noſtri temporis medicis frequentiſſime cõtigit. At quî fieri poteſt (aliquis inquiet) ut uel Conciliator, uel eo poſteriores medici id medicamentũ ignorauerint, cuius uſum aliquãdo nouere? nam proculdubio hæc inuicẽ pugnantia uidentˋ. At ſi mihi more ſophiſtarũ loqui liceat, illud dicere auſim, centauriũ quidem maius à medicis noſci, nõ tamen ab eiſdem noſci centauriũ maius: quemadmodũ eupatoriũ agnoſcunt, nõ tamen agnoſcunt eupatorium, in quo ſanè minus q̃ in cẽtaurio maiore ſunt excuſandi. Nam licet hoc nõ ſolum peregrini, ſed etiã ſit ſoli Itali germen, nõ tamen in multis Italiæ prouenit locis. At eupatorium in pratis, in uiridarijs, in uepribus, in planicie, in montibus paſſim naſcitur, & niſi conniueamus, ubique ferè noſtros incurſat oculos. A Dioſcoride uero ac Plinio eius effigies ita deſcribitur, ut penè ante oculos poni uideatur: hæ quales ſint herbæ, quo nomine à noſtris uulgò uocitantur, conſultò celare conſtitui, ne quod quidam mihi ſuis contra me ſcriptis (ut audio) obiecerunt, qui ſcilicet inter te ac me diſcordiam quæſiuerunt, tuum uidear expectatiſſimum de huiuſmodi rebus præripere uelle tractatum. *Quædam medicis uſu nota, nominibus incognita ſunt.*

Error Theodori, thryaliden herbam bibinellam interpretantis, ſcolopendrium autem linguam ceruinam: Et quid ſit thryalis herba antiquis medicis atq; philoſophis, & quo nomine nunc uulgò nuncupetur: Præterea ſcolopendrium non eſſe eam herbam quã nos linguã ceruinã dicimus, ſed potius aliam. V

Redeo ad Theodorũ, qui & thryalidem bibinellam, & ſcolopendriũ linguam ceruinam conuertit, eodem ſcilicet linguæ noſtræ amplificandæ ſtudio per- B motus, nõ ſanè improbando, modò rerum proprietas & natura ſeruetur: nam ut de lingua ceruina taceam, quæ nõ eſt Græcis ſcolopendrium, ſed altera potius ab eiſdem hæmionites nominata, illi quidem uiribus proxima, figura aũt plurimum diſtãs: Licet tu in tuis caſtigationibus tam ambas ſimiles ſcripſeris, ut difficile ſit internoſcere: ut inquam de iſta taceam, ob eam ſaltem, quam habet cum ſcolopendrio poteſtatũ ſimilitudinem, thryalis omnino differt ab ea, quam uulgò bibinellam appellamus, eſt enim altera potius quam Græci tum phlomũ, tum etiã thryalida uocant, hoc eſt elychnium: quoniam pro elychnio in lucernis utuntur, Latini uerbaſcum nominant, quidam recentiores taxum barbatum.

Error Theodori, milon arborem taxum interpretantis. VI

Pari errore Theodorus milon arborẽ taxum latine dixit, quũ tamen taxus arbor non milos, ſed ſmilax à Græcis uocetur: De qua quidem ſmilace Theophraſtus tanq; arbore differẽte ſeorſum à milo tractauit. Quo etiam in loco Theodorus græcam ſeruauit appellationem, hoc eſt ſmilacem dixit, ubi taxum potuit interpretari: ubi aũt milon ſcribere oportuit, quoniam huic forte arbori nomen lingua latina non dedit, ipſe taxum nominauit.

Error Plinij, milon arborem inter fraxini ſpecies collocantis. VII

Quo tamen in errore magis eſt Theodoro ignoſcendum, quoniam & Plinius noſter, ſimili propinquitate deceptus, milon arborem inter meliæ, id eſt fraxini ſpecies libro decimo ſexto collocauit, quod facile eſt animaduertere, ſiquis quæ de milo arbore lib. tertio Theophraſtus, quæ de uarijs fraxini ſpeciebus ſcripſerit Plinius, diligentius inſpiciat. Vide quot nodi apud Theodorũ male aliquando Theophraſtum interpretantem, & Pliniũ etiam implicantur: qui niſi tu eos doctorum doctiſſimus ſolueris, mihi ſanè uidentur inexplicabiles.

C *Error Theodori chamædaphnem uincamperuincã interpretantis, & aparinen lappam, & ciſthon hæderam: Qui omnes Theodori errores à Plinio habuere occaſionem.*

IDem Theodorus chamædaphnem uincamperuincam apud Theophraſtũ interpretatur, quũ tamen chamædaphne alia ſit plãta, cuius deſcriptio apud Dioſcoridem plurimũ à uincaperuinca eſt aliena: cuius etiam uincæperuincæ naturã imaginemq; accuratius cõtemplantibus, illa eſſe uidebit̃, quæ à Dioſcoride ac Plinio pariter clematidis, atq; daphnoidos, & polygonoidis nominibus deſignatur.

Theodorus inſuper aparinen lappam nominauit, quũ tamen lappæ nomen cõmunius appareat, ac ſicuti per excellentiã perſonatiæ potius grãdes lappas ferenti cõueniat. Hi tamen de uincaperuinca, & lappa Theodori errores ex Plinij autoritate, ita eaſdẽ herbas nũcupantis, habuere occaſionẽ: quemadmodũ & ille haud parui ſane momenti, quo æque ac Plinius Theodorus lib. vi. Theophraſti ciſthũ hæderã tranſtulit, atq; eodem modo in marẽ diuiſit & fœminã, & florem utriq; roſaceum aſcripſit, in mare purpuram accedente. Idcirco aũt ſuperiora illa in Theodori translatione errata notauimus, ut hoc poſtremum, quod plurimũ meæ opinioni aduerſabatur, exemplo aliorum magis confirmaremus. Iam enim quidam mihi Theophraſtum obijcere moliti ſunt lib. vi. interprete Theodoro Gaza, non aliter q̃ Pliniũ lib. decimoſeptimo hæderã diuidentẽ, eundemq; illi florem deputantẽ: Quæ ſi pro ueris, atq; fideliter ab utroq; autore ſcriptis recipiant̃, nulla dubitatio relinquetur, ciſthum, id eſt ladam, poſſe etiã ciſſum, id eſt hæderã, ut tibi uideo placere, uocitari: & quæ de ciſtho Theophraſtus cæteriq; autores Græci tradiderunt, eadẽ à Latinis de hædera abſq; ullo errore referri. Quare quũ in hoc totius cõtrouerſiæ noſtræ cardo uertatur, liceat mihi hunc locũ cum bona abs te uenia impetrata, diligentius examinare: quando & tibi nõ fuit indecorũ ad leuia iſta noſtra tia legenda, & iudicio cognoſcenda deſcẽdere. Hactenus quidẽ de ſolo nomine diſputauimus, liceret'ne ciſthũ utranq;, tam eam ſcilicet quæ fert ladanũ, q̃ alteram ſub qua naſcitur hypociſtis, hæderã latine appellare. Sed eſto hoc uerbũ ciſſos apud Græcos tam de ciſtho altera plãta, q̃ de uera hædera proferat̃, ſicuti uox iſta Canis, tam de animali terreſtri, q̃ etiam de cœleſti ſydere dicit̃: at queãdmodũ neq; canem cœleſtẽ recte in marẽ ac fœminã diuiſerimus, neq; utrunq; ſexum habere latrãdi naturã cõceſſerimus: eadem ut puto ratione neq; Plinius hæderã per maris ac fœminæ differentias iure partitur, neq; utriſq; florem roſaceũ cõuenientem aſſignat: quoniam hæc ciſtho, nõ autem ciſſo hæderæ à Theophraſto & Dioſcoride & ab ipſo Plinio lib. xxiiij. tribuuntur. Vt enim omittam illam hæderarũ in marem & fœminã lib. xvi. ab eodem Plinio poſitam diuiſionem, quam forte quiſpiam omnium plane herbarũ, fruticum, ſuffruticũ, atq; arborũ cõmunem eſſe contenderet, quis unq; uidit roſaceum in hæderis florem? Tantíne eſſe debet Plinij, aut Theodori Theophraſtũ interpretantis autoritas, ut illis potius q̃ oculis noſtris credere debeamus? Magnus ſane philoſophus Ariſtoteles tanti iudicium ſenſuum exiſtimauit, ut ubi iſte adſit, uanum putet quærere rationẽ. Galenus omniũ medicorũ princeps, illos pro inſanis habendos putat, qui quũ ex ſenſibus poſſint habere probationes, eas ex demonſtrationibus petendas cenſent. Auicena eiuſdem Galeni, ut de ſeipſo fatetur, interpres, eos qui ſenſibus credere nolint, igne exurendos, aut flagellandos iudicauit, ut dolorem ſentientes, ſenſuũ iudicia uera eſſe perciperẽt. Et recte quidẽ hi uiri doctiſſimi ſunt arbitrati. Cur enim nobis oculos, & reliquorũ ſenſuũ opificia natura cõceſſit, niſi ut ad proſpiciendã inueſtigandamq; ueritatẽ proprijs poſſimus niti ſubſidijs? Non debemus profecto ita noſmetipſos deſtituere, ut aliorũ ſemper ueſtigia ſequentes, nihil per noſmetipſos decernamus; Hoc eñ uere eſſet alienis oculis uidere, alienis auribus audire, alienis

Plinius lib. 17. cap. 34. & lib. 24. cap. 10

D

Cap. 10

Senſuum iudicium certiſſimum.

A naribus odorare, aliena ſapere intelligentia, ac nihil nos aliud q̃ lapides eſſe ſtatuere, ſi omnia aliorũ aſſertionibus cõmitteremus, nihilq́; à nobiſipſis diſcutiendũ putaremus. Quam tamẽ opinionem tum in omnibus alijs quæſtionibus, tum in hac præſertim de ciſſo & ciſtho debemus abijcere, ubi tanta inter hæderæ florem, ac roſam ſylueſtrem apparet differentia, ut eiuſdem roſæ cõparatione, hæderæ flos aliud potius, quàm flos, id eſt lanugo quædam uideatur, qualis in uite, ac moro, populo, ac pleriſq; alijs plantis conſpicitur, quæ ita ab alijs diſcrepant flore, ut ne flores quidem ullos unquam procreare exiſtimentur. Atq; ut iam ex ijs quæ ſenſu percipi poſſunt, luce clarius oſtendamus, noluiſſe Theophraſtum ciſſum, id eſt hæderam, ſed ciſthum potius diuidere in marem ac fœminam, ac roſæ ſylueſtri ſimilem florem utriq; ſubſcribere, quæ idem autor de hæderæ flore ſcribat libro primo, differentiam plantarũ per flores oſtendens, in medium afferemus. Hæc ſunt, ut tu optime noſti, Theophraſti, interprete Theodoro Gaza, libro quo diximus, uerba: Nunc illud exploratũ habemus per omnes partes, plures differentias uario modo exultare: Nam flores alij lanuginei, ut uitis, mori, hæderæ: Alij foliati, ut amygdali, mali, piri, pruni. Vt uero etiã euidẽtius quid ſit apud Theophraſtũ flos lanugineus intelligatᷣ, alia ipſius Theophraſti uerba de eodẽ flore lanugineo ſubtexentur ex lib. iiij. ubi ita ſcribit: Huic plantago ſimilis cõſtat, niſi quod flores nõ quemadmodũ illa particulatim ædit, ſed per totam ſpicã tritici modo: ambobus tamen floſculus lanugineus exit, ſicuti frumento, & reliquis. Item Theophraſtus de re eadem ita nono uolumine ediſſerit: Quin & floribus differentia tum natura, tum poſitu data eſt, de quibus ferè in his quæ in uniuerſum digeſſimus ſatis dictũ exiſtimamus: ſcilicet q̃d alij lanuginei ut omniũ ferè germinantiũ ſpicã: Alij folijs

B cõſtant, ut leguminũ. Quod ſi quis adhuc etiã qualis ſit flos lanugineus, qualiſ'ue ei oppoſitus foliatus ignorat, ipſo Theophraſto exẽpla nõ pauca ſuggerente, primum quidẽ in uite, moro, plantagine, panico, milio: ſecundũ uero in amygdalo, malo, pruno, & leguminibus cõtempletᷣ, neq; uel minimũ dubitabit, quin roſa ſylueſtris in altero genere florũ, quos Theophr. foliatos appellat, cõprehendatᷣ, lanugineis ex aduerſo diſtinctos. Quare hæderæ flos nõ magis roſæ ſylueſtris, q̃ flori mori, uitis, plãtaginis, milij, panici ſimilationẽ cõtinebit. Sed quoniã nõnulli ſunt qui mentis aciem longe clariorẽ, q̃ corporis iudicant, atq; hebetis obtuſiq; hominis putant omnia ſenſus teſtimonio, nihil aũt probare ratione: age & argumentis ex media ſumptis philoſophia apertiſſime demonſtremus, nuſquã Theophraſtũ illam de qua ſuprà diximus in ciſſo, id eſt hædera, ſed ciſtho potius libro ſecundo feciſſe differentiã: quam tamen eius autoritatẽ aduerſarij cõtra nos adducẽtes nõ aduerterunt, ſimili alterius Theodori ſcilicet, male Theophraſtũ interpretantis, errore tueri. Illud mihi tecũ nõ minus Platonica, q̃ Ariſtotelica diſciplina uiro conſpicuo primũ cõueniat, nõ paruũ eſſe diuiſionis qua philoſophi utunᷣ artificium, *Diuiſionis artificium ſummũ.* quod Plato philoſophus excellentiſſimus adeò extollit atq; admiratᷣ, ut qui multa in unum recte collegerit, atq; unũ in plura recte diuidere ſciuerit, eius ueſtigia tanquã diui cuiuſdã ſectari in dialogo, qui Cratillus inſcribitᷣ, ex perſona Socratis, dixerit. Eandem diligentiſſime diuiſionis ſcientiam Ariſtoteles adeò difficilem atq; operoſam putauit, ut in ſecundo de partibus animalium uoluminis libro, animalium genera in proprias ſpecies diuidere aggreſſus, quemadmodum ei Galenus noſter obiecit, titubanti potius ac dubitanti, quàm aliquid affirmanti, aut aſſerenti ſimilis uideatur. De hac eadem diuidendi facultate apud latinos Boëtius, apud Græcos Andronicus ac Theophraſtus libros accuratiſſime ſcriptos poſteris reliquerunt. Quis uero ſanæ mentis dubitauerit, quin ea, quæ in eiſdem

C libris diuidendi præcepta traduntur,ipſius artis præceptoribus notiſſima fuerint.
Sunt aũt hæc,ut Galenus nõ minor penè philoſophus quàm medicus in præfatio
ne artis curatiuæ ad Glauconẽ expoſuit,ſumma atq; præcipua artificioſæ diuiſio-
nis decreta,ex Platonicæ diſciplinæ theſauris accepta,à primis ſupremiſq; eſſe in-
cipiendũ:deinde hæc in alia genera,ſpecies, differentias´ue ſecandũ:atq; hæc ipſa
rurſus eodẽ modo partienda,donec tandẽ ad eas peruenerimus ſpecies, quæ am-
plius diuiſionẽ nõ admittunt. Verũ nũquid hanc diuidendi normã ac regulã ob-
ſeruauerit ipſe diuiſionũ magiſter Theophraſtus,uideamus.Si enĩ Plinio & Theo
doro Theophraſti ſententiã lib.ſexto interpretantibus, credimus,illa hæderarũ in
duo prima diſcrimina, marẽ ſcilicet fœminamq; partitio, à Theophr. lib.iij.eſt o-
mnino prætermiſſa: Quo tamen in loco omnia hæderarũ genera ac ſpecies, uſq;
ad ſpecialiſſimas per proprias ſingula differentias partiri ſtatuerat. Deinde lib.vi.
ubi nulla erat de hæderis narratio opportuna,ſi Theodor.interpretẽ ſequimur,po
Cap.10 nit̃. Quod quũ Plinio uiſum eſſet abſurdũ,lib.xvij.ubi de omĩbus hæderarũ gene
ribus agere propoſuerat, ab illa ipſa diuiſione per marẽ ac fœminã cẽſuit inchoan
dum,cuius alibi meminiſſe,ac nõ ubi præcipua foret tractatio de hæderis, magnã
eſſe erroris partẽ exiſtimauit. Nemo uero illud obijcere audeat, has maris ac fœ-
minæ differentias eo in libro,in q̃ de hæderis ſcribere accuratius inſtituerat Theo
phraſt. ab ipſo tanq; inutiles fuiſſe neglectas,quũ eaſdẽ differẽtias,ubi haberi poſ-
ſunt,uel ſolas,uel maximas in ſylueſtriũ plantarũ genere,qualẽ eſſe hæderã cõſtat,
primas aſſumi oportere,*primo ſui de plãtis libro* uoluminis idem autor affirmet.
Sicuti uero omnia hæderarũ genera ſeu ſpecies,ſub uno cõmuni genere,q̃d hæde
ra appellat̃,cõtinentur:ita & hæderæ genus ad aliud genus ſuperius refert̃,quod
D frutex nuncupat̃,quodq; ab ipſo Theophraſto, qui omneis plãtas quatuor diſtin
guit generibus,arborũ,fruticũ,ſuffruticum,atq; herbarũ,ab alijs tribus ponit̃ na-
tura diſtinctũ. Liquet aũt Theophraſtũ lib.vi.non de fruticibus, ſed de ſuffrutici-
bus potius herbiſq; tractare: hæc enim ab ipſo in eiuſdem libri exordio ſcribunt̃:
De arboribus dictũ iam eſt, nunc de ſuffruticibus & herbis doceamus. Cõſequi-
tur: Et ſi qua in hiſce alia genera cõprehendunt̃,illa quoq; annotemus oportet, ut
fruges:nam hæ quoq; inter herbas deputari deſiderãt. Sed primũ uerba de ſuffru-
ticibus faciamus. Demum Theophraſtus eo q̃ promiſerat ordine proſequẽs,ita de
ſuffruticibus loquit̃:Sunt aũt eorũ genera quãplura ſummis differentijs diſcreta:
ciſthos,uel ut Theodorus interpretat̃,hædera,melotrũ,rubea,caſſia,origanũ, ſa-
tureia,lens,ſaluia,marrubiũ,policaria,apiaſtrũ,cæteraq; huiuſmodi, atq; etiã quæ
minus ſimilia ſunt,ſcilicet quæ ferulacea,& neruicaulia cõſtent:fœnicleũ,equifœ-
nicleum, ferulago, ferulaq;, herba muralis, ſiue muricidacea à quibuſdã uocata,
cæteraq; ſimilia. Hæc enim omnia,atq; in totũ ferulaceũ ſuffruticum naturæ addi
xeris. Genera uero atq; diſcrimina ſingulis hiſce indicamentis habentur, alijs eui
dentiora,alijs occultiora. Ciſthi nanq;, uel ſecundũ interpretem hæderæ, duo ge-
nera,maſculina ac fœminina,quoniã altera maius,durius,pinguiuſq; foliũ habet,
floremq; ad purpurã inclinatũ,ambabus tamen flores roſis ſylueſtribus proximi,
uerum minores,& ſine odore. Quũ igitur Theophr.& in ipſo protinus ſexti lib.
principio dixerit, antea ſe egiſſe de fruticibus, iam de ſuffruticib. atq; herbis ſpon
deat tractaturũ:primoq; in loco de ſuffruticibus,in qua priori tractatione,hæderã
uel potius ciſthũ,ne errorẽ interpretis incurramus, melotrũ,rubeã,ac cætera quæ
ſequuntur naturæ ſuffruticũ cenſeat adſcribenda,quis dubitauerit hoc ipſo in loco
libri ſexti, nullã de hædera facere uoluiſſe mentionẽ, quã ſuperioribus libris fru-
ticum generi addixerat; de qua præterea lib.iij.arborũ,ac fruticũ tractatione abun
de diſſe-

A de diſſeruerat. Neq; uero quiſpiã ex eo decipiat̃, ut quoniã hæc frutex atq; ſuffru-
tex, apud latinos uocabula una ſyllaba tantũ differunt, minimã quoq; exiſtimet in
rebus ipſis differentiã: quoniã eadem genera apud Græcos ſunt tam uocabulo, ꝙ
etiam natura diuerſa. Alterũ enim θάμνον, alterũ φρύγανον idem Græci uocãt: quæ
duo uerba quum nõ poſſet Theodorus cõmodius exprimere, fruticem atq; ſuffru
ticem tranſtulit. Quare niſi uelimus Theophraſtũ ſummũ philoſophũ, qui nõ mo
do de naturis rerũ, ſed de dialectica, & diuidendi ratione atq; doctrina libros orna
tius ac copioſius, ꝙ eius præceptor Ariſtoteles, multorũ iudicio conſcripſit, tam
pueriliter aberraſſe, ut hæderã aliquando in fruticũ, aliquando in ſuffruticũ gene-
re collocaret: ut in ea quã fecerat lib. iij. hæderarũ dictione, ſuæ doctrinæ præcepta
negligeret, ac more quoq; (ut Plato inquit) inepti, duo ſtatim prima genera præ-
termittens, quodãmodo mẽbra diſrumperet: ut hæderã aliquando in fruticũ, ali-
quando in ſuffruticũ genere collocaret: ut ſibiipſi pugnantia ſcriberet atq; cõtra-
ria, hæderæ florẽ nunc lanugineũ, nunc foliatũ aſſerendo: ut deniq; ea quæ omni-
no ſenſui aduerſant̃ in ea hiſtoria, in qua pleraq; uiſu magis, ꝙ ratiõe dijudicari fa
tetur, affirmaret. Illud potius exiſtimare debemus, Theodorũ Gazã unà cum Pli-
nio, qui Theophraſti lib. vi. forte ciſſum pro ciſtho ſcriptũ inueniſſent, unius literu
læ immutatione fuiſſe deceptos, ideoq; illa hæderæ tribuiſſe, quæ Theophraſtus
de ſuffrutice longe ab hædera differẽte tradiderat. Quo quidẽ errore, quũ Pliniũ
lib. xvi. lapſum manifeſtiſſime uideamus, quid eſt q̃d dubitemus ipſum etiam lib.
xij. itidem fuiſſe (ut tuo utar uocabulo ſæpius de hoc autore prolato) hallucinatũ:
quãdoquidẽ ex Græci codicis mendo, ita hic ſicuti in praſſo & praſio, eadẽ erran-
di dabatur occaſio. Equidẽ Theodori Gazæ in Theophraſti tranſlatione nõ raro
B aberrãti, ueniã puto impertiendã: quoniã ut in præfatione ſui operis ipſe cõque-
ritur, unicũ tantũ, eundemq; mẽdoſum codicẽ habuit, niſi quod oportuit diligen-
tem interpretẽ, rerũ naturã potius ſpectare, ꝙ uerba. Qua diligentia ſi Plinius etiã
uſus fuiſſet, neq; tibi tot in eius libris proprias hallucinationes caſtigãdi, neq; mihi
tam multos errores notandi neceſſitas foret adiuncta. Quoniã uero in hoc de ciſ-
ſo & ciſtho errato, quod erat tam Theodoro Gazæ, ꝙ etiã Plinio cõmune, longior
fortaſſe fui, ꝙ cuiquã neceſſariũ uideret̃: reliqua demum, quæ circa Pliniũ tantũ
diſputant̃, atq; aduerſus nos, pro eodẽ Plinio abs te fuere defenſa, pro noſtra tuen
da ſententia, quambreuiſſima oratione poterimus, confutare tentabimus.

Error Plinij de chamædaphne confirmatur.

IN chamædaphne lib. xv.ueterẽ lectionẽ diſtinctiorẽ putas, ſi ita ſcribat̃: Eſt & Cap. 30
chamædaphne ſylueſtris frutex, & Alexandrina, ut duo genera intelligant̃. Al
terum chamædaphne, quã latini laureolã (ut tu inquis) appellant, quum tamen ea
quæ hodie laureola latine dicit̃, nõ ſit chamædaphne, ſed daphnoides potius, ſta-
tim poſtea à Plinio deſcripta. Alterũ laurus Alexandrina, ex Plinio, Galeno, Dio
ſcor. Tu quidẽ Pliniũ hoc pacto excuſas, ne uideat̃ chamædaphnẽ uarijs in locis,
uarie deſignaſſe, quũ hoc in loco, libro ſcilicet. xv. laurũ Alexandrinam tantum-
modo pinxerit, ſicuti lib. xxiiij. chamædaphnẽ. Sed duo remanent in Plinio ſcru-
puli haudquaq; diſſimulandi. Cur quũ Plinius cætera lauri genera eodẽ libri. xv.
loco deſcripſerit, ſolam chamædaphnẽ indeſcriptã reliquerit. Cur quũ alterũ ge-
nus nõ Alexandrina ſimpliciter, ſed laurus Alexandrina à Theophraſto, Dioſco-
ride, atq; Galeno, ab omnibus deniq; græcis autoribus uocitetur, Plinius propria
appellatione prætermiſſa, ſumptũ à loco uel perſona cognomen tantummodo
poſuit: uel quũ poſtea ſubiunxit, alij daphnen uocant, propriũ nomen contra na

C turam poſtpoſuit, quũ tamen uera huius fruticis appellatio non ſit, neq; daphne ſeorſum, neq; Alexandrina, ſed hoc totũ ut diximus, daphne Alexandrina.

Error Plinij de adarce autorum ſententijs confirmatur.

IN adarce falli eos putas qui uerbum paluſtris recto caſu, non aũt paterno capiendum putant, atq; ideo credidere non de ſalſilagine calamis adhærente, ſub adarces uocabulo à Plinio agi, ſed potius de paluſtri calamo adarce nominato: Vnde temere factũ putas Plinio negociũ. At cum index capitis trigeſimiſecundi, libro decimoſexto, agi de calamis atq; fruticibus, nõ medicinis, ea parte demonſtraret: quũ ipſe præterea continens ſermo de diuerſis harundinũ ſpeciebus, quibus adarce adnumeraẽ, cuiuis facile perſuadeat Pliniũ eo in loco putaſſe adarcen non eſſe ſalſilaginẽ, ſed paluſtrẽ calamũ in Italia naſcentẽ, nemo negocium Plinio, niſi ipſe metipſi faceſſit. Quid eñ ſibi uult illa repetitio? Eſt enim obliqua harũdo nõ in excelſitatẽ naſcens, ſed iuxta terram fruticis modo ſe ſpargens: ſuauiſſima in teneritate animalibus eſt, & in Italia naſcens adarce paluſtris ſub ipſa coma utilis dentibus, quoniã uis eadẽ eſt quæ ſinapi. Quid inquã uerbũ eſt, bis poſitũ à Plinio inſinuat, niſi ita eſſe adarcen ex harundinũ genere, ſicuti obliquã harundinẽ à quibuſdam uocatã elegiam? Si etiã uerbũ paluſtris paterno caſu capiaẽ, aſpera nimis, atq; auribus abſona fiet Pliniana locutio. Quod ſi præterea uerbũ harũdinis ut neceſſariũ fore uidetur, ſupplendũ ſit, præciſa quodãmodo, atq; defecta oratio uidebitur. Cur uero ea ſalſilago naſci in Italia à Plinio dicaẽ, quũ in Galatia, nõ aũt in Italia gigni illam Dioſcorides ſcribat: ut mirũ uideri poſſit, te qui uelis Pliniũ de eadẽ loqui ſalſilagine, de qua Dioſcorides uerbũ illud Italia, nõ caſtigaſſe, ac loco eius

D Galatia non poſuiſſe: cur etiã hæc medicina ſub ipſa coma tantũ utilis dentibus à Plinio iudiceẽ, quã Dioſcorides, Galenus ac Paulus, in omni parte calamorũ quibus hæret, quãuis ad alios uſus, q̃ dentium, probauerũt. Nam & Plinius ipſe lib.

Cap.10 xxxij. ubi adarcen, quid ſit nõ aliter q̃ prædicti autores exponit, naſci illam circa harũdines tenues, nulla facta de loco ſub coma mẽtione, ſimpliciter protulit: neq; in paludibus, ſed ubi ſpuma aquæ dulcis, ac marinæ ſe miſcent: quod maximũ eſt argumentũ, hic quidẽ lib. ſcilicet xxxij. de adarce ſalſilagine fuiſſe locutũ: lib. uero xvi. de altera quã eſſe harũdinis ſpeciẽ falſa ſibi opinione perſuaſerit, de qua etiam

Cap.22 intellexit lib. xx. ubi ita ſcripſit: Sinapis naturã habere tradiẽ adarca, inter ſyluas tacta, cortice pleniore, ſub ipſa coma naſcẽs. Ita enim ego hunc locũ puto legendũ, paucioribus ſyllabis quàm in tua caſtigatione mutatis. Nam & id uerbum pleniore, ſi ita iaceat, eandem ſententiã exprimit, quam ſuprà libro decimoſexto poſuerat, efficaciorẽ ſcilicet eſſe dentibus adarcen ſub ipſa coma. Vel poſſumus ex uno uerbo duo facere, atq; ita legere: Cortice plane ori ſub ipſa coma naſcens. Quaſi eam naſci ad utilitatẽ oris, cuius dentes ſunt nõ minima pars, uelit inſinuare, quod pariter his quæ lib. xvi. de eiuſdẽ medicinæ ad dentes uſu teſtatus fuerat, mire conueniet. Illud quoq; pro noſtra facit ſententia, quod Plinius nuſquã adarcen eſſe ſalſilaginem, niſi lib. xxxij. monſtrauit, ubi eam calamachnen nominauit, quãuis uitio codicis id uerbũ corruptũ ſit in calamochnũ, quo etiam in loco eoſdem illi ſubſcribit effectus, quos medici ueteres ſalſilagini tribuunt, alios ab illis quos lib. xvi. in adarce retulerat. Neq; uero hoc poſtremo libro quicquam meminit ſe in præcedentibus de eadem adarce ſcripſiſſe, ſicuti libro uigeſimo, quũ de ipſa uerba faceret, eandem ſe inter ſyluas tetigiſſe, teſtandũ exiſtimauit. Hæc enim omnia maniſeſtiſſime probant Plinium uarijs in locis, uaria de adarce ſenſiſſe, quam aliquando calami ſpeciem, aliquando ſalſilaginem calamis inhærentem ſignificat.

Erroris

Erroris Plinij de æra & ægilope confirmatio.

A IN æra ac ægilope neſcio an magis accuſandus ſit Plinius, qui in rebus adeò uulgatis, quibus nomina latina non deerant, græcis utendũ cenſuerit: An potius, quoniã de eiſdem herbis græca appellatione monſtratis, illa affirmauerit, quæ ſenſus falſa eſſe deprehendit. Tu uero de æra hoc pacto pro Plinio reſpondes, quod quum Græci traderent lolium ſtrangulare circũligando ſe triticum, neq; id in Italia magnopere foret cõpertum, tutius eſſe cogitauit græca uti uoce, quàm latina, æram id dicendo, non lolium. Laudarem Plinij conſilium, qui Græcorum mendacia, ſi qui forte fuiſſent, qui tam inſigniter mentiri uoluiſſent, ut ſcriberent loliũ circumligando ſe, triticum enecare, rem neq; in Græcia, neq; in Italia cõpertam, ſub græcæ uocis obſcuritate occultare ſtuduiſſet: niſi æra uocabulũ adeò eſſet in eorundem Græcorũ lingua uſitatum, ut eius ſignificatus neminem lateat, qui uel parum græcas literas deguſtauit. Vt tamen Græcos autores, uiros ſanè doctiſſimos, qui de plantis ſcripſerũt, atq; inter cæteros Theophraſtũ, quem præcipue de agricultura ſcribens Plinius imitatur, tanti erroris ſuſpicione liberemus: hic nuſquam de æra ſeu lolio ſcripſit, quod triticum circumligando ſe enecet, ſed ſolum auferendo alimentum, quoniam tritico adnaſcitur. Hæc enim ſunt eiuſdem Theophraſti uerba libro quinto, de cauſis plantarũ: Quippe orobanche uocata, eruum enecat amplexu compreſſuq; ſuo, & linodorum fœnumgræcum interimit protinus radici adnaſcens, & alia cladem alijs inferũt, ut quæ cum ſingulis frugibus ſimul proueniunt, ceu loliũ atq; auena tritico atq; hordeo, & lappa lenti, & alia alijs: Omnia tamen idcirco interimũt, quia pabulum tollunt. Ex his Theophraſti uerbis, quorum magna ex parte ſententiam Plinius libro decimooctauo, ubi agit de uitijs fru- Cap. 17
B gum, ſtuduit exprimere, facile oſtenditur Pliniani erroris in æra ac ægilope origo: quia enim paulò ſupra Theophraſtus fecerat de orobanche mentionẽ, quæ amplexu ſuo eruum ſtrangulat (inde enim illi apud Græcos nomẽ) exiſtimauit eandem eſſe æræ & ægilopi, quorum alterũ lolium, alterum auenam Theodorus cõuertit, interimendi rationẽ. Atq; ideo poſt factam de orobanche mentionẽ quæ circumligando ſe eruum enecat, poſtea Plinius ſubiunxit, triticum ſimili modo æra, hordeum, feſtuca, quæ nominatur ægilops, quũ tamen Theophraſtũ, quem ut uidere eſt, de eiſdem rebus Plinius ſcribẽs, quantũ potuit ſtuduit imitari: quũ Theophraſtus, inquam, licet omnia de quibus eo diſſerit loco, idcirco uicinas herbas ſcribat interimere, cauſa illa generali, quod pabulum tollunt: uarijs tamen hoc illa modis facere doceat. Nam orobanchen quidem quia eruum amplexatur & comprimit: linodorũ uero, quia fœnugræci radici adnaſcitur: lolium autem atq; auenam, quia cum tritico atq; hordeo proueniũt, ceu aparinen (quam neſcio an recte Theodorus lappam interpretatũ) cum lente. Nullam uero ex illis tribus habere ſe uinciendi ac circumligandi naturã, quicũq; eas nouerit, minime dubitauerit, niſi quod de aparine forte poſſit cõcedi, quã Galenus libro primo de alimẽtis ita ſe lentibus circũplicantem, neq; aliter angentẽ ac ſtrangulantẽ, q̃ oronbanchen eruũ deſcribit.

Erroris Plinij de ægilope, ex Theophraſto probatio.

CVr ægilopen potius, quàm auenam eodem in loco dixerit Plinius, eam rationem affers, quod quum Græci duo auenæ genera facerent, bromum ſcilicet & ægilopen, hoc uero diſcrimen nemo reddidiſſet in Italia, ob id Plinius libro decimooctauo quum auenam inter uitia frumenti collocaſſet, paulò poſt de feſtuca quæ uocatur ægilops ediſſerit: non quod neſciret auenæ id eſſe quoddam genus, ut nonnullos cauillari inquis, me ſcilicet innuens, quem licet aperte non nomines, Lib. 18. cap. 17

C his tamẽ qui meum libellum legerint facile das agnoſcendũ: ſed quod alterũ quoq; faſtigiũ celebrari nouiſſet, bromos nomine. Hæc tu pro Plinio. Ego uero ut cauilli crimẽ, cuius me notaſti, deprecer apud te, cui magis uelim meos mores probari q̃ doctrinã, nuſq; Plinium per calumniam reprehendi, quod neſcierit ægilopen eſſe quoddã auenæ genus: ſed ob id tantũ inceſſui, quod eodẽ capite modo græca, modo latina uoce in eodẽ auenæ genere uti uoluerit. Nam quod ſcribit Plinius libro decimooctauo auenam eſſe frumenti uitium, & hordeum in eam degenerare, hoc idem Theophraſtus libro ſexto de plantis, & Galenus lib. ſecũdo de alimentis, de ægilope etiam teſtantur. Quod uero etiam paulò poſt Plinius ait, ab ægilope hordeum necari, idipſum Theophraſtus libro quinto de cauſis plantarũ, licet alio modo quàm Plinius, ægilopi tribuit. Alterũ quoq; faſtigium Plinius, ſi nõ eodem capite, ſaltem libro, aliquando bromũ, aliquando auenam nominauit, ut inexplicabilis ratio uideatur, cur Plinius in eiſdem generibus nunc græcam, nunc latinam proferat uocem. Bromũ ex oriente aduectam, libri decimioctaui capite decimo Plinius refert: ſed eandem bromũ eiuſdem libri capite ſeptimo, antea auenam fuerat interpretatus, ibi ea ſcribit: Tunicæ frumento plures. Hordeũ maxime nudũ, & alica, ſed præcipue auena. Calamus altior frumẽto, quàm hordeo, ariſta mordacior hordeo. Hæc ferè omnia ſunt ex Theophraſti libro octauo, quãuis corrupte pleraq; tranſlata: nam Theophraſti de eiſdem rebus ſcribentis uerba ſunt iſta: Ἅμα δὲ ὁ μὲν γὰρ χιτῶσιν πολλοῖς, ἡ δὲ γυμνόν, μάλιστα γὰρ δὴ γυμνοσπέρματον ἡ κριθὴ, πολύλοβον δὲ ἡ τίφη, καὶ ἡ ὀλύρα καὶ πάντα τοιαῦτα, καὶ μάλιστα πάντων, ὡς εἰπεῖν, ὁ βρόμος. ἔστι δὲ καὶ ὑψηλότερον ὁ κάλαμος τοῦ πυροῦ ἢ τῆς κριθῆς, καὶ τὸν στάχυν ἀπηρτημένον ἔχει τοῦ φύλλου ὁ πυρὸς, ἥδιον δὲ τὸ ἄχυρον τοῦ κριθίνου τὸ πύρινον. hoc eſt, ut Theodorus interpretat̃: Ad hæc triticum tunicis
D integit̃ multis, hordeũ nudum cõſiſtit, id enim omniũ maxime caret tegmento. Tipha quoq; & ſiligo, & omnia huiuſmodi multiplici folio includunt̃: Aſt omniũ maxime (ut ita loquar) auenã natura operuit: quinetiã culmus altior tritico q̃ hordeo eſt: ſpica plus diſcreta à folijs emicat: palea quoq; plus ſuauior quæ ex tritico q̃ hordeo. Si quis cõferat Plinij uerba ſuprà poſita his, quæ de libro octauo Theophraſti ſubiũximus, nõ puto dubitabit, quin Plinius ſicuti tunicas frumento plures, cõtrà hordeũ maxime nudũ, ad Theophraſti ſcripſit imitationẽ, ita etiã in cæteris ſequendo Theophraſtũ βρόμον πολύλοβον, id eſt auenam maxime opertam (ueluti interpretatur Theodorus) dicere uoluerit. Cur uero ſenſu contrario maxime nudam ſcripſerit, non magis ſcirem reddere rationẽ, q̃ cur idem Plinius ægilopen circũligando ſe hordeũ dixerit interimere, quum nulla auenæ ſpecies quæ id faciat agnoſcatur, ſicuti neq; lolij: quod tuam alterã in æra deſtruit defenſionem, ideo ſcilicet Plinium æram dixiſſe nõ lolium, quare ipſi plus lolij ſpeciem, quàm loliũ ſignificare uideatur. Nam æque ignoratur ubi terrarũ talis lolij ſpecies oriatur, quæ circumligando ſe triticũ enecet. Sed cur Plinius in his adeò apertis erroribus tam operoſe defendit̃ abs te præſertim qui ſcias hoc ipſo in loco, ubi Plinius æræ atq; ægilopis naturam peruertit, in tantũ fuiſſe hallucinatũ, ut teramnum, & ateramnũ, quæ duo uocabula coctile atq; incoctile leguminũ affectus pleriſq; in locis apud Theophraſtum ſignificãt, ipſe pro herbis noxijs acceperit: quarũ altera ateramnos ſcilicet circa Philippos in pingui ſolo interimit fabam, teramnos uero in macro, quum quidã uentus afflauerit: quem quidẽ adeò craſſum Plinij errorẽ neſciens aliter excuſare, locũ eſſe uitio codicis decurtatũ ſuſpicaris, qui etiam libro nono capite decimoſexto mirari te dicas, Plinium eoſdem piſces modo græce, modo latine nuncupare. Quod & in rebus alijs ueluti in herbis Plinium plerunq; facere non diffiteris, nihil teſtantem eædem'ne ſint, an diuerſæ. Si hoc idem in alijs genus erroris Plinius admiſit,

A miſit, cur nõ etiam in æra, ac lolio, ægilope, & auena potuit admittere? Vel ſi in hoc Plinius non errauit, cur tibi dedit in alijs ſimilibus de ſe admirandi occaſionem?

Plinius erroris de glaſto & iſatide reus conuincitur.

SI ubi de iſatide inter lactucas ſponte naſcentes libro uigeſimo ſcribitur, pro ſyluatico glaſtum, ut tu id uerbum caſtigandum opinaris, legatur, non adeò nos elidemur, qui Plinium hoc in loco indiligentiæ accuſauimus, quantũ Plinij lectio quodammodo uiolabitur: quoniam à ſyluatico ad glaſtum longinquus eſt tranſitus. Quare uel nihil immutandum eſt, ſicuti uideri in manu ſcriptis codicibus aſſeris: aut ſi glaſtum loco uerbi ſyluaticum, quamuis uiolenter intrudatur, iure Plinium à nobis fuiſſe reprehenſum, niſi hæc caſtigatio adhiberetur, iudicaſti. Quantum uero rectius totus iſte locus in Plinio emendabitur, ſi ita legatur: Alterum eſt genus, quod græci iſatim uocãt. Vbi uerbum Eſopus, quod neq; græcum eſt, neque latinum, ſi pro aliquo lactucæ genere accipiat̃, tuam ſubterfugiſſe cenſuram, non parum ſumus admirati. Tertium eſt genus in ſyluis naſcens, ſylueſtrem iſatim uocant. Hic enim diligenter aduertiſti ex manu ſcriptis codicibus, niſi ita legatur, locum fore defectum. Erit igitur ſecundum lactucæ ſponte in aruis naſcentis genus non eſopus, ſed iſatis ſimpliciter appellata: tertium quod in ſyluis gignitur ſylueſtris iſatis. Quartum uero genus quo infectores lanarum utuntur, nõ ſyluatica iſatis, hæc enim eſt ſecundo generi adiuncta differentia, ſed potius ſatiua dici debet. Differt autem hoc quartum genus à ſecundo: quoniam iſtud ſeritur, illud in aruis ſponte naſcit̃. Si itaq; glaſtum, ut rationabilius apparet, nullo modo interponatur, iam nulla dubitatio relinquetur, ita in hac herba ſicuti in pleriſq; alijs familiarem
B ſibi errorem Plinium incurriſſe, quando eam ſub uarijs nominibus quaſi eſſent duæ, non una, in locis adeò diſtantibus deſignauit. Pari enim incuria atriplicem holus ſatiuum, atq; etiam ſponte naſcens, modo latina modo græca appellatione, tanquam herbas differentes enarrauit. Vnde etiam illud eſt conſecutum, ut effectus aliquando contrarios utriq; ſubſcripſerit. De atriplice ſiquidem atque eius proprietatibus, quũ libro uigeſimo diſſeruiſſet, eamq; ex autoritate Pythagoræ morbos regios, & pallorem facere tradidiſſet, mox de eadem ſub chryſolachani uocabulo libro uigeſimoſeptimo ſcripſit fuiſſe aliquos qui traderent, illam alligatam regium morbum habentibus, ita ut ſpectari poſſet ſanare id malum. Quem etiam effectũ, de ſemine ſi bibatur cum melicrato, autor grauiſſimus Dioſcorides, & pleriq; alij medici teſtificantur. Eſſe uero eandem herbam à Romanis atriplicem, à græcis autem chryſolachanum nominatam tibi probare ſuperſedemus, ne id agentes Græcorũ prouerbio ſubijciamur, Sus Mineruam: Aliter enim alijs qui auſi ſunt ſupra calceum aſcendere: aliter tibi Hermolaẽ eruditiſſime, nõ ſolum magnarum, ſed etiam minutiſſimarum rerum ſcientia prædito, ſcribendum iudicauimus. Tibi inquam, qui Plinium in uerbi praſion ambiguitate, ſepe hallucinantem notauiſti, quæ forte hallucinatio cauſa fuit, ut de ballote libro uigeſimoſeptimo ſcriberet, quam Plinius libro uigeſimo ſub marrubij nigri nomine notificauerat. Taceo mille alios huius generis apud Pliniũ errores, ne multa quæ tu in tuis caſtigationibus lectores commonuiſti, nunc te uelle docere uideamur.

Cap. 20
Cap. 8
Cap. 8
Cap. 22

Plinij error de perſonatia ac perſolata adſtruitur.

EGo Plinium in meo libello notandum putaui, quod libro uigeſimoquinto, eodem capite bis perſonatiam deſcripſit, quam ſicuti Græci, utroque in loco arcion nominauit, altero tamen perſonatiam, altero perſolatã, ut tibi uideo placere

C dicij latine inſinuauit. Quam diſtinctionem nominum à Plinio cognitam, ais à quibuſdam nõ fuiſſe perſpectam, ob eam ut puto rationem, quod ego libro uigeſimo quinto, altero in loco, ubi de arcio fit mentio, pro perſolata perſonatiam ſcribendum putaui. Sed quum tu quoq; fatearis perſolatæ uocabulum à perſola eſſe deductum, quod nomen apud Latinos, teſte Placidio grammatico, qui de Plautinis nominibus ſcripſit, perſonam ſignificat, ſiue perſonatiam, ſiue perſolatam altero in loco legeris, nihilo magis ab errore Plinius eximitur, qui bis eandem herbam modo ſub perſonatiæ, modo ſub perſolatæ uocabulo, eodem etiam capite pinxit. Sed tu forte non adeò Plinium defendere quantum me accuſare uoluiſti, qui Placidium grammaticum non uiderim. Ego uero id crimen in homine nulli rei minus quàm uerborum ſtudio incumbente, non multum puto inexpiabile, ſed una aquæ guttula ablui expurgariq; poſſe. Illud aliquanto difficilius in Plinio excuſari quæat, quod ex tantilla nominũ uarietate, rem diuerſificari, hoc eſt aliam eſſe herbã perſolatam aliam perſonatiam iudicauit.

Placidius grãmaticus.

Erroris Pliniani de echio atq; alcibio probatio.

Cap. 5 NOn reprehenderemus Pliniũ ſcribentem libro uigeſimoſeptimo, ſe qualis eſſet alcibiũ apud autores ſcriptum nõ reperiſſe, niſi ipſe Plinius libro uige-
Cap. 9 ſimoquinto, eandem alcibium ſub echios nomine eodem quo Dioſcorides modo pinxiſſet, adeò ut Plinius putaſſe uideatur, aliam eſſe echin ab alcibio, quam tamẽ non differre in noſtro libello probaui: quoniã eoſdem effectus tam de echi, quàm de alcibio, & Plinius ipſe, & cæteri autores prodiderũt, qui etiam autores non ſeorſim de echi, ſeorſim uero de alcibio, quemadmodum Plinius, ſed de echio tantum, D quam alio nomine uocari alcibiadium teſtantur, tractauere. Quum uero tibi uideatur ea quæ dicatur echios, atq; alcibiadium diuerſam eſſe ab altera, quam Nicander echin atq; alcibium appellat, ego me fateor hanc apud Nicandrum diſtinctionem non agnoſcere. Illud ſatis habeo exploratum, in libro Dioſcoridis uel Pauli nullam huiuſmodi nominũ, ac multo minus rerum differentiã deprehendi: quandoquidem de echio atq; alcibiadio ſolum agentes, non alias illi uires aſcribunt, quàm echi atque alcibio Nicander. Vt uero proximius ſit non differre, ſiue echis, ſiue echios, ſiue alcibium, ſiue alcibiadium eadem herba à diuerſis autoribus nominetur, quemadmodum qui eam alcubiacum, non autem alcibiadiũ uocant, rem planè eandem non diuerſam intelligunt.

Error Plinij de heliotropio, & Dioſcorides reſtituitur.

Lib. 20. ca. 15 VBi de heliotropio ſcribit Plinius, ais quibuſdam uideri eundem autorem heliotropium cum cichorio confundere: quoniam & heliotropium cæruleo flore deſcribat, & cibo gratam eſſe dicat, quæ duo cichorio conueniant. Ego uero & alia adiũxi, quæ de heliotropio ſcribit Plinius, cichorio pariter cõgruentia, ut quod ſemipedalem altitudinem non excedat, & non niſi pingui cultóque ſolo naſcatur: quæ omnes notæ aggregatæ cichoriũ manifeſte deſignant. Tu uero priores duas ita refutas, quod nihil impedit ueſcendo eſſe tam heliotropium quàm cichorium: neque cõſtat in Dioſcoride λευκὸν ἄνθος, id eſt candidum, an γλαυκὸν, id eſt cæruleum, ſcribere oportuerit. At ut ad utrunq; reſpondeã, & de cichorij radice quod eſui ſit, & de flore quod cæruleus ſit, ſenſu atq; experientia probatur, quæ de heliotropio non audes affirmare: quando etiam in dubium reuocas, qualis heliotropij
Lib. 4. ca. 182 flos à Dioſcoride deſcribatur, cæruleus an candidus. Ego aũt illud certe ſcio, multos quos uidi, & quidem antiquos Dioſcoridis codices, λευκὸν, nõ autem γλαυκὸν ſcriptum

A ſcriptum habere, & niſi mea me fallit opinio, puto te eandē ſcripturā in tua tranſlatione ſecuturum.

Error Plinij de laſine.

QVoſdam ais uerbum laſinen corruptū eſſe neſcientes, Pliniū culpare, quaſi hanc herbā libro uigeſimoquarto inutiliter repetierit, laginem uocando, nō laſinem. Tu uero pro laſine iaſionem cenſes legendum ex Theophraſto tam libro Plinij uiceſimoprimo, quàm etiam uigeſimoſecundo: atq; ideo aliam ſtatuis à lagine, de qua idem Plinius agit libro uigeſimoquarto. Demum ut meæ modeſtiæ conſulam, mihi putas recantandum: quoniam non ſit tanta inter laginem atque iaſionem affinitas, quantam tibi uiſus ſum exiſtimare: Quaſi uero ego in noſtro libro tenuem tantū uocis ſonum ſecutus, ac non multo magis naturæ proprietates, eandem eſſe cum laſine laginem apud Plinium iudicauerim. Quoniam quæ de laſine libro uigeſimoſecūdo ſcripſerat Plinius, eadem ferè in lagine libro uigeſimoquarto repetijt, ut quod phthiſicos iuuet, quod lactis ubertatem faciat, quod infantibus illita capillum alat, quod in cibis placeat, quod uentrem ſtimulet. Sed uide quantum mihi contulerit, cum te homine doctiſſimo, de huiuſmodi rebus diſputatio. Ea enim quam tu adduxiſti, autoritas Theophraſti longe me fecit ad ea, quæ pridem ſcripſeram confirmanda audentiorem, nedum mouerit ad recantandum: niſi recantare pro eandem repetere cantilenam, accipiatur. Suſpicari me in meo libro ſcripſi, quod utrobiq; & libro ſcilicet uigeſimoſecūdo, & libro uigeſimoquarto, pro laſine, uel lagine, & helxine, & euſine legi deberet. Adeò nō neſciui, quod tu mihi obijcis, uerbum laſinem eſſe corruptum, ut etiam quo pacto caſtigandum eſſet, admonuerim. Cuius caſtigationis illa ratio fuit, quoniam Plinius eodem li-

B bro ſcilicet uigeſimoquarto, non modò laginem, ſed etiam echitem, & tenue ſcammoniū eandem herbam à quibuſdam uocari teſtaretur. Ego uero nō agnoſcerem plantam, quæ proprie tenue ſcammoniū dici poſſet, præter illam quā Dioſcorides ſub helxines, euxines, & ciſſampeli quoque nominibus pinxit, folijs hæderæ ſimilibus omnibus, ſeq; inuenerit circūuoluentem: ob quam etiam naturam ſicuti Dioſcorides ciſſampelum, ita Plinius conuoluulū alibi nominat. Sed de quo antea tantum ſuſpicabar, nūc certam ex Theophraſto habeo notitiā: in cuius codice, quem ſcis etiam Plinianis eſſe corruptiorem, ſic pro iaſione helxinen, uel euſinen, ueluti apud Plinium pro lagine, uel laſine puto ſcribendum. Nam de laſine Plinius libro uigeſimoprimo ita ſcribit: Laſine unū folium habet, ſed ita implicatū, ut unum quum ſit, plura eſſe uideatur. Theophraſtus autem à quo, ut par eſt, Plinius accepit, de flore iaſionis libro primo de hiſtoria plantarum eadem quæ Plinius de flore laſines tradit in hæc uerba: Nōnulli folio uno emergunt, deſcriptionem tamen plurium oſtendentes, ut flos in iaſione. Nōnne hæc flori eius herbæ, quam Græci hexlinen atq; ciſſampelum, Plinius, ut dixi, conuoluulum alibi uocat, mire conueniunt? Eſt enim hic flos, ut Plinius inquit, rudimentū naturæ lilia facere condiſcentis: & quum unum folium tantum habeat, quibuſdam tamen quaſi inciſuris ita diſtinguitur, ut uideatur in quinq; diuiſum. Eadem autem herba dicta latine conuoluulum, ſicuti hoc in loco libro ſcilicet primo de hiſtoria plantarū apud Theophraſtum, pro helxine uel euſine uitio codicis iaſione nominatur: ita libro ſecundo de cauſis, aſine æque corrupte uocatur: quod tamen uerbum ueluti diuinans Theodorus uolucrum uertit. Quare quum Dioſcorides atque Galenus multo ſint, ut te nō latet tam accuratæ doctrinæ uirum, in lingua græca emēdatiores, quàm Theophraſtus in eadem, uel Plinius in noſtra: quid eſt quod dubitemus laginem & laſinem apud Pliniū, iaſionem autem & aſinem apud Theophraſtū nomina itidem

Cap.15 *Cap.22* *Lib.4. cap.3.*

C depravata ex verioribus codicibus caſtigare, quũ præſertim quid ſit Græcis helxine uel euſine, quid'ue Latinis conuouulũ, uel ſenſu ipſo monſtrante noſcatᷓ. Quid autem ſit eiſdem Græcis iaſione aut aſine, ſeu Plinio laſine uel lagine, ab illis etiam qui ſe omnia in Plinio ſcire profitentur, ignoretur.

Erroris Plinij de ſio & ſilaë confirmatio.

MAle me Plinium accuſantẽ, quaſi duas herbas fecerit, quæ ſit una in tuis primis defenſionibus, notauiſti: quoniam tibi non uideatur ſium eſſe criſſones, ſed tantum ſimilis herba. In ſecundis contra me latam ſententiam penè reuocaſti: nam ſilaum uerbũ eſſe corruptũ in Pliniano codice, & lauer potius eſſe legendum iudicaſti: cuius deſcriptionẽ tu quoqꝫ fateris ad eius oleris naturã proxime accede-
Lib. 2. cap. 94 re, quod Græci ſion uocant. Et quoniam Dioſcorides ait ſium à Romanis lauer appellari, quam tu etiam concedis eſſe illam herbam, quam uulgò criſſones appellant, ita tandem mecum & cum Dioſcoride ſentis, quod ſium quidem ſit lauer, ſed lauer odoratum: quandoquidem ſium herba eſt odorata teſte Dioſcoride, lauer ſiue criſſones minime. Sed quum idem Dioſcorides duo ſij genera faciat, alterũ odoratum, ob quam naturam iuncus aromaticus alio nomine dicitur: alterum inodorum, quod quia naſturtij refert ſaporem, ideo etiam cardamine à Græcis uocatur: cur ſicuti duplex eſt ſium, atque ut tu quoque inſinuaſti, lauer odoratum ſcilicet, & carens odore, non etiam criſſones quidam eſſe inodori, quidam odorati dicantur? Quo quidem admiſſo mea ſtabit ſententia, ſium eſſe eam herbam, quam criſſones nominamus: Quam quum bis deſcripſerit Plinius, & ſub ſij, & ſub ſilai, ſiue ut tu legendũ putas, laueris nomine, iure eſt à me incuriæ, ne dicam inſcitiæ accu-
D ſatus, qui, quæ una herba erat, duas fecerit: ſicuti ob id etiam meritò poſſit repre-
Lib. 22. cap. 22 hendi, quod duo ſij genera in unam naturam cõfuderit. Nam quæ de ſio ſcribit Plinius, quod latius ſit apio, atqꝫ in aquis naſcatur pinguius nigriusqꝫ, quod calculos frangat, quod dyſentericis, & mulierum menſibus proſit, hæ omnes ſunt ſij odorati apud Dioſcoridem proprietates. Quod autem naſturtij ſaporem reddat, quod lentigini & mulierũ uitijs, in facie illitũ nocte momento cutem emendet, ut de ſio pariter ſcribit Plinius, hoc non de eodẽ genere, ſed altero potius inodoro, quod ut diximus à ſapore quẽ reddit, cardamine à Græcis nuncupatᷓ, Dioſcorides retulit.

Error Plinij de ſigillo lemnio, quod terram lemniam neoterici uocant.

VEnio ad ſigillum lemnium, quod ego autorẽ Galeno medicorum omniũ longe doctiſſimo, rectius terram quàm milton, id eſt rubricam nominari monſtraui. Tu contrà Nicandrum affers ac Celſum, quorum alter id terræ genus miltum, alter minium uocat. Sed cur non etiam Andromachum medicum antiquiſſimum allegaſti, qui in ſuæ theriaces compoſitione, terram lemniam milton appellauit? Præſtat autem, inquit Galenus, in eiuſdem compoſitionis expoſitione, non milton, ſed terram potius dicere, eam (ut puto) cauens confuſionem, quam uiſus eſt feciſſe Plinius, terram lemniam inter rubricas, & colorum genera libro quinto & tertio numerans: quum tamen, ut idem Galenus inquit, aliud ſit lemniæ terræ genus quo fabri lignarij pro rubrica utuntur, quod uerius miltos nominatur, picturæ potius qꝫ medicinæ accõmodatum. Ego igitur nõ adeò de nomine, qꝫ de re ipſa à Plinio diſſenſi: Nam etſi & cinnabaris, & miniũ, & pleraqꝫ forte alia æque medicis ac pictoribus ſeruiãt, utrũqꝫ tamẽ uſum lemnio ſigillo cõtingere, neqꝫ traditur à Dioſcoride diligentiſſimo alioquin in huiuſmodi rebus explorandis autore, à Galeno autem rubricam à terra lemnia planè diſtinguente negatur.

De cinna-

A

De cinnabari Plinius reus arguitur erroris: & quod ſit metallum potius quàm ſanguis animalium, ex plurium autorum probatur autoritate.

DE cinnabari non putas eam opinionem, quam ſecutus eſt Plinius, à Dioſcoride improbari: quoniam idem Dioſcorides ſimpliciter ſcripſerit: putauerunt quidam ſanguinem draconis eſſe cinnabarim: non damnans, ſed referens aliorum de cinnabari exiſtimationem. Sed quî defendi poſſit, huiuſmodi de ſanguine draconis opinionem non iudicari à Dioſcoride falſam, qui de cinnabari non libro ſecundo inter medicinas ex animaliũ ſanguine ſumptas, ſed potius quinto inter metalla tractauit? De cinnabari quoque metallo in Hiberia & Colchis naſcente, ut te non latet, agit Theophraſtus. Et ſi contra te cognomine tantum Barbarum, autorem lingua & natione barbarũ licet allegare, Auerrois pariter in ſuo Colliget, nõ aliter de cinnabari, quàm de metallo ſcripſit. Galenus etiam medicus nobiliſſimus ſuo de ſimplicibus medicaminibus uolumine undecimo, cinnabarim metallis annumerauit. In altero autem de eiſdem medicaminibus ad Paternianũ tractatu, eorum aperte ſententiam improbat, quam Plinius comprobauit, ita ſcribens: Cinnabaris non eſt ſanguis draconis, ut quidam putant. Siue autem hæc ſint uerba Galeni, Pergamo Aſiæ ciuitate oriundi, ſiue alterius eodem nomine inſignis medici, ſatis conſtat tantorum uirorum iudicio, ea quæ de cinnabari prodidit Plinius, eſſe fabuloſa: non tamen ob id, ut nobis obieciſti, Plinium irriſimus: Abſit enim à nobis tanta temeritas, ut hunc celebris nominis autorem, tam de humano genere benemeritum, ludibrio habeamus. Sed neque tanti fecimus, ut nefas putauerimus, ipſi aliquando non credere, ut quod quidam legulei, qui ſolis nituntur autoribus, à nobis exegerunt, Plinij autoritatem ſine ratione rationem eſſe cenſuerimus. Cap. 165

B

Lamentatio mortis Hermolai Barbari immaturæ.

VIx hæc in mei defenſionem reſponderam, quum luctuoſus ſanè nuncius hominum perculit aures, inſignem illam ac ſingularem doctrinã, illud immortalitate dignũ ingeniũ, illam diuinam potius quàm humanam Hermolai uirtutem nobis immatura morte præreptam. O uana hominũ ſtudia, ô labores irritos, ô inanes lucubrationes, quæ ſæpe in medio curſu interrũpuntur. Multa ille dum uixit omnimodæ doctrinæ opera, dum nihil aliud diebus ac noctibus meditaretur, niſi quod rem latinam amplificaret, in lucem ediderat: ſed multo plura inchoata atque imperfecta reliquit, quæ niſi mors occupaſſet, propediem erat abſoluturus. Quis nõ de crudeli fato atq; impio conquerat̃, quod nobis tot, quos prior Hermolai uita germinauerat fructus, anteq̃ matureſcerent, intercepit? Vix ille Plinianas caſtigationes emiſerat, opus nõ minori ingenio quàm ſtudio compoſitũ, quũ heu tantis inuida cœptis, ne quotidie maiora pullularent, fors illum ſtudioſis inimica damnauit. Pliniũ ſanè Hermolai cura ac diligentia renatũ, omnes literati cõfitentur. Expectabãt proxima genitura Ariſtotelem eiuſdem luculenta interpretatione re uicturũ: ſed omnium bonorũ autore atq; parente amiſſo, clarus ſua lingua philoſophus in priſtinis tenebris demerget̃. Quis enim Barbaro adempto (qui inde nomen uidebat̃ adeptus, quod tetrã illã barbariem, quæ iam omnes bonas artes obſcurauit, ſolus poſſet abolere) philoſophiã in lucem antiquã reuocauit? Quis noſtræ ætatis iuuenibus, quos recta ſtudia delectãt, inſtrumẽta ſuggeret opportuna? Quis, ut ad ea ueniã quæ inter nos inciderãt, ſtudioſæ potius diſputationis, q̃ æmulæ cõtentionis certamina tãtas in Plinio lites, quas uideor penè quodã mentis furore ſuſcitaſſe, ea qua Hermolaus eloquentia ac grauitate cõponet? An rabulæ qui-

C dam,qui doctiſſimorũ uirorum cauſam aliter defendere neſcientes,cœlum ac terras uociferando concutiunt: Clament iſti licet, & tumultibus omnia cõpleant,his tamen ſemper noſtræ aures obſtruentur: quoniam talium uirorum furioſam maledicentiam,neq; imitari ſi uelim poſſim,neque ſi poſſim uelim. Si quis forte Hermolai doctrina ac moribus ſimilis,harum quæ mihi cum illo erant diſſenſionum ſe iudicem fecerit,uel ſi aduerſus me pro Plinio atq; Hermolao, Plinij defenſore pronunciet,ille (ut Plato dicere ſolet) omnia non inimicus obtineat.

LIBRI SECVNDI FINIS.

NICOLAI LEONICENI VICENTINI

DE PLINII ET PLVRIVM ALIORVM MEDICORVM ERRORIBVS, AD PRAESTANTEM MEDICVM FRANCISCVM TOTTVM LVCENSEM, LIB. III.

EFFLAGITASTI ME quotidianis penè literis,ut tibi ſuper quibuſdam Plinij erroribus iampridem à me notatis reſponderem,quos quidam medicus, tibi & mihi cõmunis amicus, *non in autorem, ſed in nouos codices impreſſos formulis,uel manu ſcriptos potius reijciẽdos duxerit,* ex alterius codicis uetuſtioris,quẽ tibi Venetijs oſtendit,autoritate. Meam

D autem de his reſponſionem non modò tu,ſed & ille idem medicus Plinij defenſor,ut tuæ literæ mihi ſignificabant,præcipue deſiderare uidebatur. Ego uero in hunc uſq; diſtuli diem & tuæ petitioni,& illius deſiderio ſatisfacere:quoniam non libenter patiebar me ad antiquum ludum reuocari: Vt enim uerum fatear,mihi ludus quidam uidetur de Plinij erroribus diſputare,quũ ſint multi alij in libris medicorum magnæ noſtra ætate exiſtimationis errores, ex quibus multo plus uita periclitatur. Pauciſſimi enim ſunt,qui Plinium propter medicinas legant: plures propter uocabula, & diuinam, quod negari non poteſt, elocutionem. Quare circa illos magis qui ſua poſſunt apud homines noſtri ſeculi autoritate nocere uitæ, puto à medicis laborandũ,quàm circa Plinium, qui à multis non in medicorum aut philoſophorum, ſed hiſtoricorum potius atq; oratorũ numero habeatur. Tu qui multa mea cõſilia legiſti,quibus ſcilicet ægrotantiũ ſaluti conſulo,quũ ad ſimplicia uenio medicamenta, ſcis quàm multos Gentilis, Bartholomei Montegnanæ, atq; aliorum recentiorum in his errores aperiam,qui non aliunde, quàm ex Auicennæ ac Serapionis libris, quibus nimiũ noſtra credit ætas, habent occaſionem. Quare tu Franciſce Totte caueto,ne tantiſper in uitam pecces, quantiſper aliud te impellente facio, quod minus poſſit generi humano prodeſſe. Sed tu forte illa uerba reſpõdebis,quæ medicus Plinij patronus ſcribit circa ſuæ præfationis initia, ueluti ſe excuſans, quod homo medicus literatorum officium in Plinij codicibus emendandis, & eodem diuino autore contra calumniantes propugnando,uſurpauerit: Iuſtam eſſe rationem inquiens,ut de natura rerum, medicinæq; effectibus,Plinij libros phyſici quoque recognoſcant. Hac enim ratione Plinij patronus ſe ait impulſum, ut poſt Georgium Merulam, & Hermolaum Barbarum, ipſe quoque conatus ſuos in his, quæ ad effectus medicos pertinerent, oſtenderet. Quaſi uero, ut de Merula taceam, qui forſan merus grammaticus cenſeri

Georgius Merula.

A cenſeri poſſit, Hermolaus Barbarus, uir omnium bonarum artium ſcientia clariſſimus, non ſatis ſuo ſit functus officio, in ea parte, quæ ad medicinam attinet, in Plinianis codicibus caſtiganda. Sed de hoc poſtea uiderimus, nunc quod inſtat agamus. Hanc medici Plinium emendantis, atq; unà defendentis excuſationem ego libentius acceptarem, ſi non in æra ac lolio, ſed in alijs herbis ac ſimplicibus medicinis, magis ad uſum medicinæ neceſſarijs, in quibus etiam fuit à me Plinius notatus, eiuſdem Plinij defenſionem ſuſcepiſſet: Veluti in ſtachy atq; ballote, polio atque tripolio, empetro, quam alio uocabulo praſſoidem Galenus uocat, ſarxiphage, herba betonica, parthenio, muralio ſeu parietaria, ariſtolochia, cyclamino, heliotropio, pentaphyllo, lemnia ſphragide ſeu ſigillo lemnio, quod terram ſigillatam uocant, ciſtho herba ladanifera, à ciſſo, id eſt hædera diuerſa, iſatide cum glaſto eadem: licet Plinius hanc diuerſam à glaſto, illam eandem cum ciſtho, nominis propinquitate deceptus, aliquando putauerit, nardo Celtica, & ſaliunca, quas etiã male Plinius diuerſificauit: Si inquam in his & plurimis alijs medicinis, quarũ frequens eſt uſus etiam apud noſtri temporis medicos, ſicuti apud eoſdem de æra ac lolio, non ad medendum, ſed tantum ad euitandum, eo quod in pane capitis uertigines facit, aliquando fit mentio, medicus cõtra medicum pro Plinio diſputaſſet, non alienam ab eius officio diſputationem pro Plinio tuendo ſubijſſe iudicarem. Verum in æra tantum Plinium aduerſus me conatus defendere, malorum medicorum (quod pace eius dixerim) imitatus eſt morem, qui dum capiti mederi debent, reduuias curant. Sed neque in æra ſatis Plinio patrocinatur, adeò ut præuaricator uideri poſſit, non patronus.

B

Error Plinij in æra & ægilope confirmatur: Quot modis plantæ ſuffocentur ſecundum Theophraſtum: & quæ ſint propria uitia quarundam frugum ex Galeno & Theophraſto. I

STat adhuc noſtra reprehenſio, ſi modò reprehenſio dici debet, quæ potius iuſta fuit de Plinio homine latino admiratio: licet Plinij patronus eam ingentem calumniam, ipſe uere calumnians nominauerit. Verba mea de Plinio potius admirantis, quàm per calumniam, ut eius patronus obijcit, reprehendẽtis, hæc ſunt: Super æra & ægilope in libro de Plinij atque aliorum medicorum erroribus inſcripto, æram dici à Græcis granum illud, quod à noſtris lolium appellatur, ſcribit Dioſcorides libro ſecundo, ac præterea teſtantur hi, qui ab Ariſtotele, in libro de ſomno & uigilia, atque à Plinio libro decimooctauo de eadem ſcribuntur effectus, quod ſcilicet capitis grauedinem & uertigines facit. Plinius tamen eodem libro atque eodem capite æram deſcribit, & lolium quoque tanquam ab æra differat, ſeparatim nominat: Nam ſi idem putauit & lolium & æram, mirum quod ſicuti in pleriſque aliјs frugibus, atq; earum uitijs, in quibus nomina latina non deerant, ſicuti in tritico, hordeo, & auena, græcis utendum non cenſuit, non idem quoq; in lolio ſtatuerit, tam præſertim apud omnes uſitato uocabulo. Quanquam ſimilis quoq; de auena error in eodem libro & capite legatur: Nam quum in principio uitia frugum exponit, ſcribit hordeum in auenam degenerare: paulum uero infrà ſcribit hordeum necari à feſtuca, quæ ægilops nominatur. At ſi Dioſcoridi credimus, quæ ægilops à Græcis dicitur, à Latinis auena nuncupatur. Galenus quoque in primo de alimentis uolumine, quum in tritico atque hordeo generatio minus proſpere ceſſerit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius conuerti teſtatur: Quod & maximum eſt argumentum, æram idem eſſe quod lolium. Hæc ego in meo libro ad literam, non tam Plinium accuſans, ut dixi, uel

Lib.18.cap.17

C per calumniam reprehendens, ceu eius patronus obijcit, quàm de homini latiniſſimo admirans, cui ubi non oportuit, græca uocabula libuit uſurpare. Vnde enim hæc græcitatis affectatio, ut quiſpiam modo ſiton, modo frumentũ, modo arton, modo panem, autor latinus ſcribat, niſi lexica, id eſt uocabularia ſcribat: Nam par eſt quod à Plinio ſcribitur, aliquando æra, aliquando lolium, aliquando ægilops, aliquando auena. Sed uideamus quid ad hæc Plinij patronus pro Plinio reſpondeat in ſua ad ciues Veronenſes uiros clariſſimos præfatione. Poſt multas Plinij laudes, quem linguæ latinæ, nos quoque autorem nunquam ſatis laudari poſſe iudicamus, tandem in illos inuehitur medicos, qui Plinium per calumniam in æra reprehenderunt, me ſcilicet innuens, licet non nominet, ſed tam ſignificans quàm ſi nominaret, imò quaſi digito oſtendens: quãdoquidem nullus alius medicus, præter me unum, qui Plinium in æra notauerit. Inuehens autem in amicũ grauius forte quàm debuerat, ſcribit hæc uerba: Exemplum unum ingentis calumniæ afferam de æra, quæ medicos nonnullos ad calumniam tanti autoris inuitauit, in qua Plinium erraſſe non dubitant cum Hermolao Barbaro: Arbitrantur enim æram & lolium ab ipſo ſeparatim deſcribi, ſed falſi codicis errore manifeſto. Libro octauo, in quo æram tantũ definit, ſicuti inter medicos effectus, hoc eſt libro uigeſimo ſecundo, lolij remedia, & uires duntaxat denarrat, triticum ſimili modo non æra legendũ eſt, ſed herba, ex uetuſtiſſimo codice, ac Theophraſto libro octauo, quoniam enata herba triticum ſtrangulat, de qua in eodem libro, ubi Nili in Aegypto mentio habetur: Nec terra, *inquit, ipſa herbas gignit,* quæ triticum enecant. Item *runcatio, quũ ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis.* De faba inquit, runcari non geſtit, quoniã euincit herbas. Item ſiccitas coërcet herbas. Herba enim cir-
D cumligando triticum, & eius radices enecat. In quo mendoſis pariter codicibus, hoc modo legitur: Aera nonnunquam in macro ſolo, ubi de ateramno ſuperiori fit mentio, ubi nõ æra, ſed ea legendum. Sed autor his peractis, mox de æra ſic incipit: Aeræ granum minimum eſt. Hæc eſt Plinij in æra defenſio, in qua Plinij patronus ſibi adeò placuit, ut more galli à certamine deſilientis, ſibi quodammodo applaudat, & apud ciues ſuos his uerbis quæ ſtatim ſubiũxit exultet ac glorietur. Hac unica defenſione multorum intempeſtiuum clangorem ſedauimus, & ciuem ueſtrum ab ingenti calumnia abſolutum retulimus, ut de cætero diligentius perlegere, diſcutere tantum autorem perdiſcant. Quæ uerba poſtrema in ipſum Plinij patronum reijciemus, atq; hominem admonebimus, ut tantum autorem defenſurus, & eiuſdem autoris, & aliorũ quos in ipſius defenſionẽ adducit, uerba diligentius examinet, & quid illi ab aduerſarijs obijciatur, melius perſcrutetũ: ne aliud defendens, ꝙ illud cuius accuſatur, reus cauſam prodere uideatur. Quo quidẽ crimine Plinij patronus in hoc primo ſuſcepto aduerſus medicos pro Plinio de æra patrocinio, liquidò apparet laboraſſe. Nuſꝙ enim Plinio errori datũ eſt, quod æram ac lolium ſeparatim deſcripſerit: quando neq; apud dialecticos error putatũ, ſi duæ aut plures etiam eiuſdem rei deſcriptiones afferantũ. Sed quod eodẽ libro, atq; eodem libri capite, ubi æram deſcripſit, loliũ quoq; nominauit, fuit à nobis in Plinio notatũ, quaſi neſcierit idem æram eſſe quod loliũ. Nam ſi idem putauit, cur (ut obiecimus) ſicuti in alijs frugibus, atq; earum uitijs, quibus ſua nomina erant in lingua latina, græcis utendum non cenſuit, non idem in lolio ſeruauit, lolium dicendo nõ æram. At non æram inquiet, ſed herbam ſcribit Plinius circumligando ſe triticum enecare, quod ex pluribus alijs, tum Theophraſti, tum ipſius Plinij uerbis Plinij patronus nititur demonſtrare: ſed incaſſum laborat. Quandoquidem & ipſe Plinij patronus, & in ſua præfatione, & in ipſo Plinij libro à ſe emendatiore ædito,

fatetur

A faterur Plinium æram deſcribere,& nõ lolium,libro ſcilicet decimooctauo, capite decimoſeptimo,ſicuti poſtea ait libro uigeſimoſecundo, eundem Plinium lolij remedia & uires dũtaxat enarrare.Sed quæ eſt iſta ſortitio,ut lolium quidẽ ſub græco uocabulo æra à Plinio deſcribatur,ſub latino autem eiuſdem grani medici effectus denarrentur? An Latinis,græcam ignorãtibus linguam, lolij cognitionẽ Plinius inuidit,remedia autem & uires duntaxat docere uoluit? Fruſtra tamen ſi herba ignoretur,aut granum. Sed neque uerum eſt,quod Plinius lolij tantum medicos effectus doceat, & nõ æræ.Siquidem Plinius, ſi non libro uigeſimoſecundo, ſaltem alibi ſcilicet libro uigeſimonono, de ærinea farina in uſu medico meminit, quam loliaceam dicere latine debuit,ſi lolij duntaxat remedia,& uires (ut ait Plinij patronus, denarraret.Quare iam ipſe diſcat,ſi uelit Pliniũ omni ex parte tueri,totum Plinium diligentius perlegere.Quid enim iuuerit Pliniũ ſemel in uno ſui codicis loco æram uerbum græcum,in herbam latinum mutaſſe, ſi cõcedatur multis alijs in locis idem uerbum græcum à Plinio inutiliter uſurpari. Tentauit quidem & Plinij patronus,Plinij errorẽ in æra libro decimooctauo,capite decimoſeptimo ex toto corrigere, æram alio eiuſdem capitis loco in hæderam cõuertendo, atq; ita legendo: Hæderæ granum minimũ in cortice aculeato,in pane capitis uertigines facit.Nam & talem,ipſum probare,lectionem tuæ mihi literæ ſignificarũt. At tam abſurdam Pliniani codicis caſtigationem quam tibi priuatim laudauerat,nõ auſus eſt,uel in ſua præfatione,uel in Plinij codice ædito emendatiore publicare.Quæri enim ab eo potuiſſet,ubi unquam,uel ipſe experientia didiciſſet,uel apud grauioris autoritatis medicum,ſiue philoſophũ legiſſet,Hæderæ granum æque atq; æræ in pane capitis uertiginem facere. Sed quoniã huius quæſtionis ſcopulos, quantũ
B potuit euitauit, nos alijs ipſum interrogationibus fatigabimus. Quæ ſit illa herba interrogantes, quæ triticum circumligando ſe enecet? Quod nomen, uel apud autores græcos,uel latinos,uel ſaltem in uulgo habeat?Nos æram græce à Plinio, non ſine errore tamen,diximus appellari,ut habet cõmunis codicis ſcriptura,latine lolium. An orobanche quidem quæ eruum, ægilope quæ hordeum,hærba ſecurina,græce dicta pelecinos,quæ lentem, ſimili modo hoc eſt circũligando ſe necant, ſua habuere tum apud græcos, tum apud latinos nomina: ſola tritici peſtis, quæ tamen tanto debuit eſſe nobilior,quanto triticum magis omnibus alijs expetitur frugibus, atq; idcirco plus ab iniuria defenditur,remanſit ἀνώνυμος id eſt carens nomine? Hanc uocabulorum inopiam, ſi quis linguæ noſtræ auſit adſcribere,Græcis certe nõ tribuet,qui ita πυράγχην,hoc eſt triticum ſtrangulantem,ſicuti ὀροβάγχην dicere potuerunt,ſi aliud nomen non habuiſſent herbæ, ſimili modo triticum ſe circũligando necantis,quo ὀροβάγχη eruum. Adde quod ſolet Plinius ſpeciales herbas, quæ habent aliquam inſignem uim,ſi carent nomine, per ſimilitudinem aliquã nobis indicare, ueluti eodẽ libro decimonono, & capite decimoſeptimo,herbã albam panico ſimilem naſci ait occupantẽ arua,pecori quoq; mortiferã: Aut ſi nõ ſolũ nomen,ſed ſimilitudinẽ etiam ignorat,ſaltẽ earũ nomen ignotũ eſſe hominibus teſtatur,ut libro etiam & capite allegatis,ait peſtem à milio atq; panico ſturnorũ,paſſerum ue agmina abigi herba,cuius nomen ignotũ eſt. Quod etiam feciſſet in herba circũligando ſe triticũ enecante, ſi non æra hoc in lõco, ſed herba (ut uult Plinij patronus) ſcriberetur. Exempla aũt quæ Plinij patronus affert,ubi uel Theophraſtus, uel Plinius de herbis frugibuſq; noxijs loquũtur, partim falſa ſunt,uel male intellecta, partim nihil ad præſentẽ attinent locũ. Primũ enim Theophraſtus libro octauo de plantis perperam allegatur,nuſq; enim in eo libro ea uerba leguntur,quæ Plinij patronus adducit,quoniam enata herba triticum ſtrangu-

C lat. Si qua uero ſunt, quæ talem ſenſum uideantur habere, hæc nihil ad præſentem
attinent diſputationem, in qua quæritur, nunquid ſit herba aliqua quæ circũligan-
do ſe triticũ enecet. Theophraſtus ſanè libro octauo, de plantis hæc uerba ſcribit:
Imbres enim tum aliâs cõtrarij ſunt, tum ſemina ſæpe corrũpunt. Quod ſi minus,
herbæ quidẽ luxuriã mouent, ut ſata ſtrangulentur, atq; omne alimentũ amittant.
Hæc autẽ uerba nõ id ſibi uolunt, de quo Plinij patronus cõtendit, ſata à quibuſ-
dam herbis ſe circũuoluentibus ſtrangulari: ſed ſenſus eſt, quod ſata aliquando ni
mium in herbas excreſcentia, ſua luxurie ſtrangulantur, atq; alimento priuantur.
De quo ſatorum uitio etiam Virgilius meminit in Georgicis:

Luxuriem ſegetum terra depaſcit in herba.

Sed & Plinius ipſe libro decimooctauo, capite decimoſeptimo, de eodẽ uitio ſcri-
bit in hunc modũ: Inter uitia ſegetum & luxuria eſt, quum nimia ſua fertilitate pro
cumbunt. Hoc autẽ uitio non modò ſegetem, ſed etiã aliquas arbores ſtrangulari
teſtatur Theophraſtus libro quinto de cauſis plantarũ, ubi ita ſcribit: Arborum au
tem genus etiam aliquod fortaſſis eſt, cui corruptio ſecũdum naturam ſponte, nec
ullo pacto afflictato, ſed bene uigenti eueniat: ut pino, quum radices mutatæ in tæ
dam fuerint: Ita enim fit ex nimietate nutritionis. Quumq; per tædam tranſmittere
pabulũ arbores nequeant, moriunť: quod proximũ illi uidetur, quod animalibus,
quæ extra modũ craſſantur atq; pingueſcũt. Quũ enim auram attrahere nequeãt,
nec ullo pacto ſpiritu uti poſſint, propter obeſitatem condenſationemq; ſtrangu-
lantur. Quamobrem *non inepte ruſtici* hoc uocabulum de pino uſurpant: Pinum
enim ſtrangulari aiunt obeſitate atq; pinguedine: quippe omnia ſpiritũ deſiderant
aliquem, uel ſolutionẽ, uel meatuũ libertatẽ. Ergo corruptiones huiuſcemodi po-
D tius naturales eſſe putauerim. Hæc Theophraſtus. Ex cuius uerbis apparet plan-
tas duplici ratione ſtrangulari: uel quia aliæ plantæ ipſis circũuoluuntur, quo mo
do eruum ab orobanche: & ſimili ferè modo lentem ab aparine ſcribunt ſtrangula
ri, & Theophraſtus libro octauo de plantis, & Galenus libro primo de alimentis:
uel non aliena iniuria, ſed ſui ipſarum luxuria atq; obeſitate, quod de ſatis libro al-
legato Theophraſtus: de arboribus autem libro quinto, de cauſis teſtatur. Debuit
ergo Plinij patronus id quod alijs medicis in ſua præfatione ſuadet faciendũ, Theo
phraſti uerba *uel fidelius* citare, uel eadẽ examinare diligẽtius: quod etiam in uer-
bis Plinij ipſum facere oportuit. Nuſq; enim ea uerba ſcribit Plinius, quæ Plinij pa
tronus adducit: herba circũligando triticum, & eius radices enecat: niſi in hoc, de
quo diſputamus loco, ubi ipſe codicẽ nõ emendat, ſed deprauat, æram in herbam
cõmutando. Alia etiam Plinij uerba, quæ ex locis uarijs Plinij patronus adducit,
de inutilibus herbis triticum enecantibus, de runcatione ſegetis aut fabæ, nihil ad
præſentẽ pertinent diſputationẽ, in qua non quæritur, nunquid ſint aliquæ herbæ
inutiles frumenta enecantes atq; legumina, ad quarum euulſionem runcatio ſit ne
ceſſaria. Quis enim de hoc tam rei ruſticæ imperitus dubitarit? Non inquam hoc
quæritur, ſed illud potius, nunquid ſit aliqua herba ſpecialis, quæ præcipue triticũ
ſe circumligando enecet. Vt enim ſcribit Theophraſtus libro octauo de plantis:
Et ſi ſint quædam hærbæ quæ cõmunia omniũ frugum uitia putantur, quæ tamen
plus inter aliquas ualeant, propria earum uitia putantur. Exempli gratia, oroban-
che erui, aparine lentis. De quibus etiam uitijs quæ quibuſdam ſunt propria, pau-
lò ſupra uerba iam tacta, idem Theophraſtus in hunc modum ſcripſerat: Genus
autem quod totum tranſire in aliud aptum ſit, nullum præterquã tiphen & ſemen
comperies, ſicuti inter primas diſputationes propoſui. Necnon loliũ tritico & hor
deo corruptis enaſcitur. Vel ſi id minus naſci quidem inter triticũ ſolitũ eſſe nulli
dubium

A dubium eſt, ut etiam ponticum illud triticum atrum cognominatũ, & ſemen bulborũ, & ea quæ naſci inter alia ſemina ſolent. Nam & auena magis in hordeo exire uidetur, & in lente aracus res ſcabra & dura, in aphacis autẽ ſecurina ſecuri ſimilis. Hæc omnia Theophraſtus, interprete Theodoro Gaza, qui quidem interpres æram lolium cõuertit, de quo idem Theophraſtus neminẽ dicit dubitare inter triticum ſolere naſci, licet Plinij patronus uideatur aſſerere, quod non ſit æra uitium tritici proprium, ſed magis herba. Idem Theodorus ægilopen auenam latine dixit, quæ eſt ita propriũ hordei uitium, ſicuti tritici lolium. In eandem ſententiam de uitijs quibuſdam ſegetum peculiaribus ſcribit Galenus, ut ſupra tactũ eſt, libro primo de alimentis, qui potuit uideri à Theophraſto accepiſſe quæ ſcribit, niſi patrem allegaret ſuum, in hunc modũ ſcribens: In triticis quidem æræ, id eſt lolia ſæpius inueniuntur: inter hordea uero naſcuntur quidem, ſed pauca, plurima autem quæ ægilops, id eſt auena nominatur: In his uero, quando uel primum incrementum, uel generatio minus proſpere ceſſerit. Genitor autem meus ætate iam in ſenium uergente, captus amore agriculturæ, triticum aliquando ſeruit & hordeum, quum ſummo ſtudio omne aliud diuerſi generis ſemen intermixtũ exemiſſet, explorandi gratia, ſi ex tranſitione eorum in alia & auenæ generentur, uel propriam habeant etiam ſemina iſta naturam. Natis uero inter purgata ſemina loijs quidem forte plurimis inter triticum, paucis autem inter hordea, ſed auenis abundantibus, etiam de alijs ſeminibus conatus eſt pariter facere inquiſitionem. Inuenit itaque & in lentibus eodem modo ex ipſarũ in aliud tranſitione natos aracos duros, & orobos & pelecinos, ſemina eſui minime idonea. Aparinen autem non modò eſui non idoneam, ſed etiam inter naſcendũ ſe lentibus circũplicantem, atq; ita angentem,

B ac ſtrangulantem, ac proculcantẽ, ſicuti orobanche orobos. Hæc omnia Galenus, non multũ diſſona ab illis, quæ libro allegato ſcribit Theophraſtus: in hoc cum eo maxime congruens, quod duas tantum herbas facit amplexicaules ſuo complexu necantes: Orobanchen quidẽ eruum: aparinen uero lentes. E diuerſo Plinius non ſolũ has, ſed & æram, id eſt loliũ, & ægilopen, id eſt auenã, & pelecinon, id eſt herbam ſecurinam, quamuis ſenſu ipſo, & rerum natura repugnante, quũ ſint herbæ recticaules, amplexicaules deſcribit: Alioqui non poſſet neq; æra, id eſt lolium triticum, neq; ægilops, id eſt, auena hordeum, neq; herba ſecurina lentem ſe circumligando necare, niſi herba recticaulis, eadem fieret amplexicaulis: cui rei & ſenſus ipſe, & omniũ parens natura aduerſatur, quæ herbas ſe alijs circumuoluentes, à rectis quibus circũuoluuntur, nõ ſolũ ſpecie, ſed etiam genere ſeparauit. Quare recte Plinius & Theophraſto ac Galeno conſone, uitia frugum peculiaria denarrauit. Male autem, atq; ab eiſdem autoribus diſſone, modum quo pleraq; earum fruges interimant, recitauit, ac magis poſtea ſua cõcluſione aſſeuerauit, quum ea uerba ſubiũxit: Et hæ quidem omnes ſuo amplexu necant. Verius enim & magis ad imitationem Theophraſti, quem ubiq; de naturis plantarũ ſcribens, uidetur uelle Plinius æmulari, licet multa eiuſdem autoris ſenſa peruertat, ita ſcripſiſſet: Et hæ quidem omnes idcirco interimũt, quia pabulum tollunt. Talibus enim uerbis utitur Theophraſtus libro quinto de cauſis plantarũ, ubi de peſtibus proprijs ſata necantibus differit, ita ſcribens: Neces quoq; ab alijs accidunt propriæ, ceu in minoribus patet: quippe orobanche uocata eruum necat cõplexu compreſſuq; ſuo: Et linoderum fœnugrecum interimit protinus radici adnaſcens: Et alia cladem alijs inferunt, ut quæ cum ſingulis frugibus ſimul proueniunt, ceu lolium & auena tritico atque hordeo, & aparine lenti, & alia alijs. Omnia tamen idcirco interimunt, quia pabulum tollunt, tam quod terra miniſtret, quàm quod à ſole, & aëre ueniat.

Duæ herbæ amplexicaules.

C Atq; eorum quidem ratio manifeſta eſt, quia uidelicet habent interimendi uim: talem enim ſenſum uerba ſtatim ſubſcripta manifeſtant: Oleum autẽ & pix, atq; pingue: nam hæc quoq; necandi uim habent, & reliqua. Ex his Theophraſti uerbis facile unicuiq; poteſt liquere, æram, id eſt loliũ, & ægilopen, id eſt auenã (talia enim uerba in græco codice habentur) hac ratione habere uim, alteram necandi triticũ, alteram necandi hordeum, non circũligando ſe, ſed pabulum auferendo: quando & orobanche, & aparine, quæ hanc habent ſe circumligandi naturam, non tamen hanc cõmunem rationẽ ſubterfugiunt: quin & ipſæ quoq; pabuliũ tollendo interimant, tam quod terra miniſtret, q̃ quod à ſole & aëre ueniat: quod uiſus eſt hoc in loco inſinuare uoluiſſe Theophraſtus, aparinen non orobanchæ (ut in libro octauo) aſſociando, ſed lolio & auenæ. Quanq; & idem libro octauo diligentius conſiderantibus ſignificauerat, ita de orobanche & aparine ſcribendo: Nonnulla etiam manifeſte communia plurium erumpunt: ſed quoniam plus inter aliqua ualeant, propria eorũ putantur, exempli gratia: orobanche erui, aparine lentis, quod altera eruum potiſſime uincit cauſa imbecillitatis, altera inter lentem maxime coaleſcat. Quaſi uelit dicere Theophraſtus, quod etſi orobanche eruum cauſa imbecillitatis ſuo amplexu atq; compreſſu potiſſimo uincat, tamen & pabulum auferendo enecat: Aparine uero lentem, pabulum auferendo potiſſimũ, quoniã ipſa inter lentes plurimo abundat alimento: Hoc enim ſignificat uerbũ ἁδροφεῖ, quo hic utitur Theophraſtus, pro quo interpres retulit, maxime coaleſcat.

Notatur Plinius, & Theodorus, qui ad Plinij imitationem aparinen herbam, lappam dixerit latine. Plinij defenſio in pelecino. 11

D HOc uero in loco (ut noſipſos excuſemus, hoc eſt eius culpæ, cuius Plinij patronum accuſauimus, falſæ ſcilicet allegationis Theophraſti, ſuſpicione liberemus, apud illos præſertim, qui Theophraſtum non græcum, ſed latinum legerunt) hos cenſui eoſdem lectores admonendos, ubi Theodorus in tranſlatione Theophraſti aparinen lappam uertit, in hoc Plinij ſecutus errorem, qui ſæpius in libris ſuis, ubi Theophraſtus aparinen nominat, lappam latine dicit, maluiſſe græco uti uocabulo aparine. Quo Plinius nihilominus in uarijs locis librorũ ſuorum non raro utitur, dans multis aberrandi, ſicut in æra & lolio occaſionem, ut pariter aliud putent eſſe apud ipſum Plinium lappam, aliud aparinen. Libuit autem nobis in hac herba græcũ ſeruare uocabulum, quoniam nomen lappa in ea à Plinio & Theodoro nimiã aliquando Plinio fidem adhibenti uſurpatũ, potius arcio grandes lappas ferenti, quàm aparinæ cõgruat. Sed & aliud hoc ipſo in loco ſubijciendum exiſtimaui, quod non ad noſtri, ſed ad Plinij facit defenſionẽ. Ego enim ſemper fui ita animatus, ut ubicunque poſſim Plinij autoritatem foueam atq; ſuſtentem: ſicuti ubi non poſſum, puto (ut philoſophum decet) ueritatem honore præferendam. Præter ea quæ ſuprà nos Plinio obiecimus de herbis, quæ nõ circũligando ſe, ſed potius alimentum auferendo enecant fruges, quiſpiam & de herba ſecurina græce pelecino dicta, poſſit obijcere, quod non ſit aphaci, id eſt lentis, ſed potius aphaces: ſic enim de pelecino ſcribit Theophraſtus, quod ſit aphaces uitium peculiare, adeò ut dubitet Hermolaus, ne aut lectio corrupta ſit in Theophraſto, aut uicinitas nominis Plinium in errorem traxerit. Sed neque lectio Theophraſti corrupta eſt, qui libro octauo de plantis ſcribit aperte, in lente aracum, in aphace pelecinon naſci frequentius: neque propterea Plinius erraſſe cõuincitur, quem Galeni poſſumus tueri autoritate, qui inter malas herbas naſcẽtes, in lentibus nõ minus pelecinos, quàm aracas nominat.

Error

A *Error Plinij in teramno & ateramno, quæ eſſe nomina herbarum exiſtimauit, quum ſint duo leguminum affectus, quæ uel teramna, id eſt coctilia, uel ateramna, id eſt incoctilia, nominantur.* III

VTinam idem Plinius tam bene in ateramno defendi poſſet, quàm herbã putauit circa Philippos in pingui ſolo, qua faba necatur, ſicuti teramnũ alteram, qua in macro ſolo, quum quidam uentus afflauerit. Quo in loco neſcio an rideam, an magis miſeram Plinij cõditionem deplorem, tales ſortiti defenſores, qui putent mutato uerbo æra in ea, quod uerbũ æra hic eſſe uitio codicis ſcriptum non negamus, ſicuti & ſequens: non qui putent inquam, tam leui unius uerbi diſſyllabi mutatione Pliniũ à maximo, quem ipſi non animaduertũt, errore uindicare. Hoc ſanè hulcus nõ tam facilem habet curationem, qualem forte millia illa quæ ſe iactat Plinij patronus perſanauiſſe: quin potius ex illorũ numero eſt, quæ & ipſe fatetur neminem potuiſſe adhuc ad cicatricẽ perducere: licet ſe credat & hoc egiſſe, ita nunc uerbum æra in ea, ſicuti prius in herbam cõmutando, magna ſanè caſtigandi licentia, ſi non alia quis nitatur ratione, niſi quia ita in libro ſuo uetuſto ſcriptũ inueniat: quaſi & codices Pliniani uetuſtiſſimi non plurimis ſcateant erroribus, qui ad nouos, uel manu ſcriptos, uel formulis impreſſos defluxerũt. Sed ea, inquit, uerbum hoc loco pro æra ſcriptũ refert ateramnũ, de qua ſtatim antea fit mentio. Ego uero Plinij patronum alia interrogatione uexabo: ubi unquam apud aliquem autorem legerit, ſiue Græcum, ſiue Latinũ philoſophũ aut medicum, uel de re ruſtica ſcribentẽ, de herba hac ateramno nominata, circa Philippos in pingui ſolo fabam necante, eademq; nonnũquam in macro, quum quidam uentus afflauerit. An apud Theophraſtũ? Hunc enim uidetur Plinij patronus citare autorem aduerſus Hermolaum in huius loci emendatione.
B Verum Theophraſtus teramon & ateramon libro octauo, & pluribus alijs locis, non pro herbis accipit, ſed pro quibuſdam leguminum affectibus peculiaribus, quæ nos coctilia & incoctilia dicimus. In quem etiam ſenſum eadem uerba græca τέραμον, ἀτέραμον, id eſt coctile & incoctile, ubique apud Theophraſtum uertit Theodorus. Verba ipſa Theophraſti libro octauo de plantis græce ſubijciã, ut omnibus luce clarius appareat Plinij in ateramno errorem nulla poſſe codicis emendatione defendi. Sunt autem hæc: τὸ δὲ τέραμον καὶ ἀτέραμον λέγεται μὲν ἐπὶ τῶν ὀσπρίων μόνον, οὐκ ἀλόγον δὲ καὶ ἐπὶ τῶν σιτωδῶν παραπλήσιον ἢ καὶ ταὐτό τι συμβαίνειν, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ τὴν αὐτὴν εἶναι χρείαν, οὐχ ὁμοίως ἐμφανές, ἐπεὶ οὐδ' ἐπὶ τούτων ἁπάντων ὁμοίως, ἀλλὰ μάλιστα ἐπὶ τῶν κυάμων λέγεται καὶ φακῶν, εἴτ' οὖν καὶ μάλιστα πασχόντων, εἴτε δὲ καὶ διὰ τὴν χρείαν φαινομένων. γίνεται γοῦν πλέον, πολλαχοῦ γὰρ τόποι τινές εἰσιν οἱ αὖ φέρουσιν τεράμονα, καὶ ἄλλοι πάλιν ἀτεράμονα. τὸ δὲ ὡς ἐπὶ πᾶν οἱ λεπτόγεω μᾶλλον τεράμονα, καὶ ἀέρος κατάστασίς τις ποιεῖ τοιαύτην παραλλαγήν. σημεῖον δὲ ὅτι ταὐτὰ τὰ χωρία καὶ ὁμοίως ἐργασθέντα φέρει ποτὲ μὲν τεράμονα. περὶ Φιλίππους δὲ ὁ κύαμος λικμώμενος ἐὰν ὑπὸ πνεύματος ἐγχωρείου ληφθῇ τεράμων ὢν ἀτέραμων γίνεται. Hoc eſt, ut Theodorus tranſtulit: Coctibile autẽ & incoctile de leguminibus tantũmodo dici ſolet: ueruntamen & in frumentaceis idem aut proximũ, quod euenire nõ abſq; ratione putaueris. Sed quoniã uſus nõ idem ſit, neq; percipi poteſt, neq; in omnibus leguminibus ex æquo ſentitur, ſed præcipue in faba, lente: ſeu quod hæc maiorem in modum affici nata ſunt, ſeu quod hæc propter frequentiorem uſum magis appareant. Largius itaq; fieri ſolet: ſunt enim loca permulta, quæ ſemper coctibilia ferant, & alia quæ incoctibilia, ſed omni quaſi ex parte loca tenuia, coctibilia potius reddunt. Cœli quoq; cõditio mutationem huiuſmodi afferre nimirum poteſt argumentũ, aliâs coctibilia, aliâs incoctibilia reddunt. Faba apud Philippos quum uentilatur, ſi ab afflatu incola perfletur, incoctibilis eſt. Hæc Theophraſtus græce,

C atq; latine Theodoro Gaza, uiro & græcarum & latinarum quoq; literarũ doctiſſimo interprete. Ex quibus omnibus Plinij error hic luce clarius manifeſtat, qui fabæ affectũ ateramnon, id eſt incoctibile, apud Philippos ab afflatu incola eidem fabæ aduenientẽ ipſe, ſub longe alio quàm Theophraſtus, uel Theophraſti interpres retulit, ſenſu, ita hunc totum Theophraſti locum perperam imitando. Circa Philippos autem ateramnon nominat in pingui ſolo herbam, qua faba necatur teramnon, qua in macro: ſic enim ſcribendum exiſtimo ad Theophraſti (qui teramnon & ateramnon libro octauo, licet in alio quàm Plinius, ut dixi, nominat ſenſu) imitationem, quum quidã uentus afflauerit. Equidem doleo hanc mihi neceſſitatem impoſitam, adeò pudendos in tam celebri autore errores aperiendi, quos uelim, ſi poſſim, potius obtegere: niſi quod licentis calumniæ à Plinij patrono accuſatus, non poſſum aliter hanc in me culpam excuſare, niſi Plinium oſtendam, non modò in æra & lolio, ſed in pluribus alijs eiuſdẽ libri ac capitis locis, ut de æra ſcripſit, aberraſſe, & male in eo uerbo Plinianũ codicẽ fuiſſe bis ab eius patrono emendatum. Et iam poteram receptui canere, & mea ſuper æra defenſioni finem ſtatuere, niſi quod Plinij patronus non contentus his, quæ aduerſus medicos, me præcipue notans, ſcripſerat antea de æra, rurſus in quodã ſuæ præfationis loco, ubi Hermolaum Barbarum intemperanter lacerat, quoniam & ipſe Plinium immeritò, ut ille inquit, accuſat, iterũ medicos in bromo & auena taxat, in his inquiens, & priores medicos unà cum Hermolao aberrare. Quare mihi uideo alterã additam eſſe neceſſitatem, me pariter atq; Hermolaum *in his quæ ad medicinam attinent* defendendi. Nam *reliqua, in quibus Plinij* patronus damnat Hermolaum, literatoribus defendenda relinquo, quorũ officium eſt de uocabulis potius quàm de rebus ipſis

D diſputare. Quid tamen in bromo & auena, uel Hermolaum, uel me Plinij patronus innuat aberraſſe, non intelligo. Vt enim pro meipſo primum reſpondeam, nihil de bromo contra Plinium ſcripſi, quamuis potuiſſem, ſi uoluiſſem, ita Plinium in bromo, quæ eſt auenæ ſpecies, ſicuti in ægilope notare.

Error Plinij, auenam maxime nudam deſcribentis, quam Theophraſtus multis contegi tunicis, inſinuauit. IIII

DE bromo Theophraſtus libro octauo de plantis ſcribit hæc uerba, Theodora Gaza *interprete:* Ad hæc triticum tunicis integitur multis, hordeum nudum cõſiſtit: id enim omnium maxime caret tegumento, tipha quoq; & ſigillo: & omnia huiuſmodi multiplici folio includũtur. Aſt omnium maxime, ut ita loquar, auenam natura operuit: quinetiam culmus altior tritico quàm hordeo eſt, & ſpica plus diſcreta folijs emicat: palea quoque plus ſuauior ex tritico quàm hordeum. Quem Theophraſti locum uolens Plinius libro decimooctauo, capite ſeptimo, ut conijcere licet, interpretari, bromon, id eſt auenam (ſic enim hoc uerbum nõ modò Theodorus hoc loco, ſed etiam Plinius interpretatur) maxime nudam eſſe dixit, quã Theophraſtus pollylobon, id eſt, ut idem Theodorus tranſtulit, maxime opertam deſcripſit. Cui rei etiam ſenſus adſtipulatur, quum auenam intueri liceat multis contectam tunicis, ut ſcribit Theophraſtus, non autem nudam, ut Plinius male Theophraſtum interpretando retulit. Et ne quiſpiam ſuſpicetur, me per calumniam Pliniũ reprehendere, ſubijciam eiuſdem autoris libro & capite ſuprà allegatis, uerba. Sunt autem hæc: Tunicæ frumento plures, hordeum maxime nudum, & alica, ſed præcipue auena. Calamus altior frumento quàm hordeo. Ariſta mordacior hordeo. Quis non uideat Pliniũ de eiſdem ferè Satis, de quibus Theophraſtus loquentẽ, paria uoluiſſe dicere, niſi quod in auena deerrauit? Nam uerba

Plinij,

A Plinij, Tunicæ frumẽto plures, reſpondent illis Theophraſti, Triticum tunicis integitur multis. Item hordeum maxime nudum, eſt illud quod Theophraſtus ait, hordeum maxime caret tegumento, calamus altior frumento quàm hordeo, ariſta mordacior hordeo. Verba Pliniana eandem habent ſententiam cum uerbis Theophraſti: Culmus altior tritico quàm hordeo: palea plus ſuauior ex tritico quàm hordeo. Reliqua autem, ſcilicet alicam, quam uidetur Plinius pro tipha, uel ſiligine poſuiſſe, eſſe nudam, ſed præcipue auenam, ſunt Plinij errores, qui eas ex Theophraſto, & ſenſui conſone, multiplici folio includi, ſeu maxime operiri dicere debuit.

Error Plinij in ægilope & Loto herbis, quas niſi poſt annum ex ſuo ſemine naſci, male Theophraſtum interpretando ſcripſit. V

SEd ſi & extra decimumoctauũ librũ euagari liceat, nónne etiam Plinius libro trigeſimoſecundo in ægilope erraſſe conuincitur? ubi male imitando Theophraſtum ſcribit hæc de ægilope uerba: Mirum, Lotum herbam & ægilopen non niſi poſt annum ex ſemine ſuo naſci. Aliter enim de hiſce herbis libro ſeptimo ſcripſit Theophraſtus in hunc modum ſcilicet: Sed bulbo peculiare datur, quod non ſimul ex omnibus ſeminibus, ſed partim anno primo, partim ſecundo, ut etiam de auena traditum eſt: Sic enim uerbum ægilopen hoc loco, ſicuti & in alijs omnibus uertit apud Theophraſtum Theodorus. Vnde Plinius (ut diximus) erraſſe conuincitur, ſcribens ægilopen non niſi poſt annum ex ſemine ſuo naſci, quum more bulbi partim anno primo ex ſuis ſeminibus naſcatur, partim anno ſecundo, ut ait Theophraſtus. Vt autem ex Plinij uerbis habetur, neq; tota auena ex ſeminibus, neque etiam pars una primo anno naſcatur, ſed tantum ſecundo. Hi ſunt duo Plinij in bromo & ægilope duabus auenæ ſpeciebus errores. In quo autem Plinij patronus medicos unà cum Hermolao de bromo & auena aberraſſe uelit, nõ auſim aſſerere, quandoquidem neque ipſe auſus ſe aperto certamini exponere. Tantum me aberraſſe dicit, & errorem non explicat, dubitans ne ſi palàm protuliſſet, ipſe potius errare deprehenderetur: & forte in me tempus expectans, quod etiam in Hermolao expectauit, ne poſſim ad omnia reſpondere. Quod enim crimen in ſua præfatione obijcit medicis, qui Plinij manibus negocium faceſſere ſtuduerunt, ut luti laruas ad pugnam irritam euocãtes, ipſe uere eſt eidem crimini obnoxius, qui poſt mortẽ Hermolai tot doctiſſimi hominis errata, ſi modò ſunt (ut ipſe opinatũ errata) publicauit, quorum neque unum ipſo uiuente eſſet auſus efferre. Quod de me erga Plinium dici non poteſt, qui non uixi eadem ætate qua Plinius, ſicuti Plinij patronum cum Hermolao in eadem ciuitate magnam ſuæ uitæ partem egiſſe conſtat, & ipſo tempore quo Hermolaus Plinianas cudebat caſtigationes, & ſuis dictabat familiaribus, in quadam uetuſti codicis inſcriptione legiſſe Plinium Nouocomenſem, quod erratum contumax Hermolai: ſic enim ipſum Plinij patronus in ſua præfatione nominat, & ſe ab Hermolao uel eius familiaribus audiuiſſe non diffitetur. Cur quum illa dictabat Hermolaus, non tentauit refellere? An tutius putauit calcare mortuos, quàm uiuos irritare crabrones? Verum ad propoſitum reuertentes, quũ non poſſimus habere exploratum, quidnam illud ſit in quo de bromo atque auena medicos dicat Plinij patronus aberrare, ſi diuinare liceat, & cogitatus hominum quoad fieri poteſt, aſſequi coniectura, ſic puto Plinij patronum ſua mente concepiſſe: Qui Plinium medici in ægilope reprehenderunt, unà cum Hermolao Barbaro decipiũtur, credentes ægilopen idem eſſe quod auenam, quum bromos potius ſit Græcis auena: ægilops autem feſtuca, uel herba ab auena diuerſa, de qua ſæpius Plinius inter uitia ſegetum, ſub nomine ægilopis nõ

C auenæ tractat, quam & aliquando medicatam facit, ut libro uigeſimoquinto, capite decimotertio, ubi ait: Et ægilopas ſanat herba eodē nomine quæ in hordeo naſcitur, tritici folio, ſemine contrito, cum farina permixta impoſitaq́ꝫ, uel ſucco: Exprimitur hic è caulibus, folijsq́ꝫ prægrādibus, dempta ſpica, & in trimeſtri farina digeritur in paſtillos. Verum ſi Plinij patronus uelit obſtinate cōtendere, ægilopen nō eſſe auenam, neqꝫ auenæ ſpeciem, doceat ipſe quæ herba ſit ægilops, ſicuti nos eam eſſe auenam, tum ex Dioſcoride, tum Plinij ipſius qui eam deſcribit modo, quo Dioſcorides, eundemq́ꝫ tradit in medicina uſum: ac præterea hoc in loco ſcilicet cap. xiij. libri xxv. eam in hordeo naſci teſtat̃, ſicuti prius lib. xviij. cap. xvij. hordeum in auenā degenerare teſtatus erat. Poſſumus autoritatibus demōſtrare, atqꝫ inſuper Theodori Gazæ hominis in Græcia nati, & non minus latinarū, ꝙ etiam græcarū doctiſſimi literarū, qui ubicūqꝫ ægilopen ſcriptū inuenit apud Theophraſtū (ut etiā retro diximus) auenam uertit. Barbari præterea autores, quibus maior ætate noſtra, ꝙ uel græcis, uel latinis in medicina fides, eadē de deuſir, id eſt auena ſcribūt, quæ de ægilope Dioſcor. Galen. & Paul. pariter tradiderunt. Lexica etiam omnia tam græca ꝙ latina ægilopen, id eſt auenā exponūt: Quæ qui uelit negare, uidet̃ quodāmodo principia negare, ſiquidē omnis noſtra cognitio pendet ex cognitione terminorū. Quāto ſimplicius fuerit fateri, Pliniū nō magnā habuiſſe græcarū literarū cognitionē, atqꝫ eo defectu omnia illa quæ ipſi obiecimus in ſuis ſcriptis errata reliquiſſe, quæ morte præreptus non potuit emendare: Sed quod de ſe Naſo poëta dicit alterū *linguæ latine ornamentū*, Emendaturus ſi licuiſſet, erat. Ego *ſanè hanc unam Plinij errorum excuſationem puto omnibus alijs defenſioni*bus præferendā, quæ non ſunt defenſiones, ſed grauiores, ut ſæpe oſtendimus, &
D magis etiam oſtendemus, accuſationes. Nam ſicuti Plinius patronus, cōtra quem nunc agimus, forte putauit ægilopen aliud eſſe ꝙ auenam, ita alter cōceſſerit ægilopen idem eſſe quod auenā, nō tamen id latuiſſe Pliniū, ſed ductū ratione probabili, maluiſſe uti uocabulo græco ꝙ latino. Si quis hoc dixerit, ſiue Plinij patronus cum quo nunc eſt nobis negociū, ſiue alius, nō uidet quantā inſcitiam, rerū etiam uulgatiſſimarū Plinio ſit adſcripturus: Plinio inquam, qui de naturali hiſtoria ſcribere profiteat̃, & tamen uideat̃ exiſtimaſſe ægilopen, id eſt auenā eſſe herbam amplexicaulem, quæ circūligando ſe triticū enecet: Quā exiſtimationē pueri ruſticorum, qui quotidie recta modulant̃ auena, poſſint irridere. Quare tutius iudico ſi alterum Plinio ſit detrahendū, græcarū potius literarū adimere cognitionē, ꝙ rerū è terra naſcentiū, tam præſertim uulgò notarū, eidē adſcribere ignorationē. Neqꝫ magnū hoc Plinij dedecus futurum exiſtimo, ſi ei græca eruditio detrahat̃, quum multo maiora illi literarū latinarū ornamenta relinquant̃, quibus omnes alios linguæ latinæ autores adeò ſupexceſſit, ut ſi Muſæ lingua Romana loqui uoluiſſent, nō puto Plautina, ut quidā ſentiūt, ſed magis Pliniana fuiſſent locutæ. Sed utinam tantam habuiſſet in corde ſapientiā, quātam habuit in lingua patria eloquentiam. Quod homines eruditi Plinianam elocutionē diuinam iudicent, eamq́ꝫ præcipue imitandā cenſeant, nō equidē improbo, ſed magis laudo: & quibus iſta non ſapiat, eos planè fateor deſipere. Sed illos uiciſſim puto eſſe in altero deſipientiæ genere, qui Plinio tantam tribuunt diuinitatē, ut nullo pacto in animi eorū captum uenire poſſit, Pliniū in aliqua ſui operis parte deerraſſe, ſiue de imaginibus herbarū atqꝫ natura, ſiue de terræ ac maris ambitu, ſiue de ſyderū magnitudine loquat̃. Nuper me quidā amicus Ferrariæ monuit, ingreſſum ſe forte ſcholam puerorū, audiuiſſe ludi magiſtrum magna uoce aduerſus me pro Plinio, ac quodam leguleio Plinij patrono de ſole ac luna pronūciantem. Tum ego ad amicū inquam: Et quid ille ludi

Eloquentia Plinij.

magiſter

magiſter de ſole ac luna pueros docebat ſuos? An ſolem eſſe maſculini generis, lu
nam fœminini? Neq; enim putabam ludi magiſtrũ auſum fuiſſe ſupra calceũ aſcen
dere. Nõ hoc, amicus inquit, ſed aliud maius: Plinium enim probabat idem quod
alios mathematicos de luna ſenſiſſe, ipſam ſcilicet terra eſſe minorem: Quoniam
ubi Plinius ſcribit libro ſecundo de naturali hiſtoria: Non poſſet quippe totus ſol
adimi terris intercedente luna, ſi terra maior eſſet, q̃ luna: Magiſter iſte hoc in lo=
co uerbũ, terris, licet in plurali numero proferatur, habere tamen ſingularis ſignifi
catum, & partẽ terræ, non omnes terras ſignificare cõtendebat. Riſi hominis uani
tatem, & uicem illorũ condolui puerorũ, qui ſatis intempeſtiua, ne dicam inepta di
ſciplina per numerũ pluralem ac ſingularem, ad aſtronomiæ traherent̃ ſublimita=
tem, ad quam neq; ipſi propter ætatem, neq; eorũ magiſter propter ingenij hebe=
tudinem poſſent aſcendere. Hanc quoq; quum dictarem epiſtolam, accepi ab ami
cis quos habeo Venetijs, literas, quæ me admonebant, eſſe alterũ grammatiſtam
græcum, meæ quantũ poteſt apud ſuos diſcipulos exiſtimationi detrahentẽ: Niſi
quod iſte aliquanto prudentius, nõ mecũ de aſtronomia, ſeu alia philoſophiæ par=
te, uel medicina cõtendit, ſed tantũ de grammatica græca, hoc eſt de ea quam pro=
fitetur arte. Quod ſi uelim hominem aduerſus me ſatis, ut audio, petulanter in ſua
profeſſione exultantem auſcultare, uideo me ad ea ſtudia, quæ pridem in ſchola
puerorũ didici, ætate iam cana non ſine magna mea infamia relabi: Nam quum di=
uiſæ ſint profeſſionum uices, quis ferat grammatiſtam de philoſophia, aut philo=
ſophum de grãmatica diſputantem? Sed quum ijdem amici mei, qui me primi de
hoc græco grammatiſta, nõ ceſſante quotidie meum nomen dehoneſtare, monue
runt, etiam me cogant, ut pro meo honore tuendo, ei ſuper his, quæ mihi in gram=
matica græca obijciũtur, reſpondeam, eum obſeruabo modũ, ut neq; in minimis
meam famam neglexiſſe, neq; me ſponte, ſed inuitum in hanc de cõſtructionibus
diſputationẽ, quæ magis puerili ætati cõueniat, uidear demiſiſſe. Nam quod mihi
à grãmatiſta græco obiectat̃, hoc eſt, me male emendaſſe locũ Ariſtoteles lib. vij.
de hiſtoria animaliũ, in quo de morſu canis rabidi ſcribit hæc uerba: λυττῶσιν ἅπαν
τα τὰ δηχθέντα πλὴν ἀνθρώπου, In quibus ego nõ πλὴν, ſed πρὶν magis cẽſui legendũ,
ne ſi dictio exceptiua retineat̃, mendaciũ inſit apertiſſimum, omnia animalia mor=
ſa à cane rabido, rabire & mori, excepto homine, quum æque homo ac reliqua ani
malia ex morſu canis rabidi & rabiant, & moriant̃. De quo tamen tam manifeſto
mendacio Ariſtotelis, ſi ita ſcripſit ut in codice græco ſcriptũ inuenit̃, & Theodo=
rus ſua translatione confirmauit, nihil audio græcũ grãmatiſtam in Ariſtotelis, aut
Theodori dicere defenſionem: Sed ut qui uelit naturæ potius, q̃ ſuæ artis legibus
aduerſari, nullo modo permittit, ut πρὶν aduerbiũ temporis cum genitiuo caſu con
ſtruatur, ſed πλὴν legendũ cenſet, ut habet ſcriptura græci codicis. Neq; ueretur,
ut dixi, naturam uiolare, quæ uoluit ita morſum canis rabidi eſſe homini noxiũ, ſi=
cuti reliquis animalibus, ut ſuæ artis decreta ſeruet incorrupta. Ego uero hominẽ
antiqua mihi amicitia deuinctũ, licet ut tandem reſciui ſimulata, quoniam à me ſæ=
pius apud magnos uiros, quorũ ope uitam traducebat, collaudatus, non eadem re
fert grata mente præconia, ſed magis ingrata cõuicia: Hominem inquam, ſiue ue=
rum, ſiue fictum amicũ, ita compellabo: Amabo ô amice, ſi alterũ Ariſtoteli ſit de=
trahendũ, aut doctrinã philoſophiæ, aut grãmaticæ græcæ eruditionẽ, utram adi=
mendam cenſeas? Tu forte tuæ fauens profeſſioni, potius cẽſueris Ariſtotelẽ ma=
lum eſſe philoſophũ, ut bonũ probes grãmaticũ. Tu quidẽ ita grãmatiſta græcus.
At non idem Porphyrius ſummus philoſophus de Ariſt. philoſophorũ principe
iudicauit: Quin minus malũ putauit, eũdem Ariſtotelẽ lingua, q̃ mente σολοικίζειν.

C Quum enim de natura definitionem ab Ariſtotele aſſignatam, quæ ait: Natura eſt principiū motus & quietis: nō poſſet Porphyrius aliter pro uera defendere, quoniam cœleſtia corpora habent naturam, & tamen nunquam quieſcunt, ſed perpetuo motu cientur, dicere nō dubitauit, & pro uel, ab Ariſtotele fuiſſe tranſumptū. Atqui ô græci grammatiſtæ, cum quibus doleo impoſitam mihi eſſe neceſſitatem de ueſtra grammatica, à qua iampridem fateor me eſſe feriatum diſputandi, ueſtræ regulæ dicunt ſolœcon eſſe, quum cōiunctio ponitur pro cōiunctione: quem admodū Ariſtotelem Porphyrius καὶ, ἀντὶ τοῦ ἢ, hoc eſt, & pro uel, planè poſuiſſe confitetur. Sed quia forte ſit nefas Ariſtoteli, uiro non minus uerborum facundia, quàm rerum ſcientia prædito, tale uitium ſermonis, quale eſt ſolœcon, adſcripſiſſe, illud potius dicendum eſt, quod ſcribit Quintilianus, multa in antiquis autoribus, tum uetuſtate, tum autoritate defendi, ubi præſertim ſubſit aliqua ratio, ut in eo loco Ariſtotelis, in quo πρὶν ἀνθρώπου ſcribendum cenſui: Nam ſi πρὶν ἀντὶ τοῦ πρότερον, καὶ ἀντὶ τοῦ πρὸ τοῦ, καὶ ἀντὶ τοῦ ἕως οὗ ſæpiſſime ponitur, ut græci autores probati ſentiunt: πρότερον autem & πρὸ τοῦ cōſtruitur alterum cum genitiuo, alterum cum uerbo infinitiuo habente uim caſus genitiui: cur non & πρὶν ἀποδώσομεν, ſi etiam πρὶν ſuam habet deriuationem, ἀπὸ τοῦ πάρος πάειν, καὶ συγκοπῇ πρίν; cur non poſſit πρὶν in conſtructione ſui aliquando primitiui ſeruare naturam? Quia non eſt cōſuetum, inquient, apud idoneos autores talem fieri conſtructionem: nam potiſſima ratio grammatiſtarum eſt conſuetudo, ſæpius tamen falluntur: neque enim omnes legere probatos autores, neque etiam libri omnes antiquorum inueniuntur, ſed multi uetuſtate interciderunt. Qui autem error eſt apud Latinos, eundem etiam puto apud Græcos poſſe cōtingere, hac præſertim ætate, in qua ſtudia græ-

D carum literarum defloruerunt. Gellius apud nos literator eximius exiſtimauit nō inueniri in libris Ciceronis uerbum Nouiſſimū pro extremis, & tamen falſa fuit exiſtimatio, ſiquidem in epiſtola eiuſdem Ciceronis ad Octauium, quam fuiſſe ex ultimis puto, quia proſcriptus eam ſcripſit, hæc uerba leguntur: Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouiſſima conferam primis, quæ non poſterior dies &c. Laurentius Vallenſis ob librorum latinorū penuriam, qua ſua ætate laborauit, multos ſermones putauit eſſe à latinitate abhorrentes, qui noſtro æuo in latinis autoribus poſtmodū in lucem proditis frequentes reperiuntur. Sed quid opus eſt cum grāmatiſta græco, uetere præſertim amico, tam operoſa diſputatione cōtendere? quum poſſimus ambo facile redire in gratiam, atq; in unam reuocari cōcordiam, Ariſtotelem bonum philoſophū, & non malum grammaticū facientes. Ita prima uerba eius, loco de quo diſputamus legentes, λυπῶσιν ἅπαντα τὰ δηχθέντα πρὶν ἄνθρωπος, ut ſubaudiat λυπῇ, uel πρὶν ἄνθρωπον, ſubaudiēdo λυπεῖν. Neq; enim negabit aduerbiū πρὶν tam cum indicatiuo, q̃; etiam cum infinitiuo iungi, niſi ſuæ uelit artis negare regulas. Sic & in ſecūda clauſula, ἀναιρεῖ τὸ νόσημα τῶν τὰς τε κύνας, καὶ ὅτι ἂν δηχθῇ ὑπὸ λυττώσης πρὶν τὸν ἄνθρωπον, ſubaudiēdo ἀναιρεῖν. Ego tamē magis probauerim in prima clauſula caſum accuſatiuū, & ſubauditionē uerbi infiniti uitum quia cōſtructio magis uſitata, tum quia maior eſt inter ν & υ literas græcas ſimilitudo, & ideo ab una ad alterā lapſus facilior. Sed omiſſis latinorū ſiue græcorum craſſis admodū ſubtilitatibus, iam ad medicū Plinij patronum reuertamur, de quo non ſatis queo admirari, quod medicus atq; philoſophus non modò meo, ſed aliorū quoque iudicio doctus, ſe etiam paſſus fuerit trahi in hæreſim grammatiſtarum, Pliniū eſſe omnis erroris expertem, in his etiam quæ partim, ad philoſophorum, partim etiam ad medicorū attinent diſciplinas. Nam inter cætera in quibus in ſua ſcribit præfatione, Hermolaum Plinium immeritò accuſare, hunc quoq; uidetur

Gellius lib.10 cap.21.

A tur Hermolai errorem annotare, de ſolis, lunæ, ac terræ magnitudine. Sed cur in his ab Hermolao diſſentiat, qui mecum contra Pliniũ ſentit, non intelligo: quandoquidem Plinij patronus, neq; in hac parte, ſicuti neq; in pluribus alijs, ſuam pro Plinio ſententiam aduerſus me atq; Hermolaũ nondum aperuit. Nos uero quantum ad hunc attinet locum, quid nobis uideatur, aperte pronunciabimus.

Inter globum terræ, & globum lunæ uera proportio, contra Plinij aſſertionem. VI

HErmolaus recte cum Ptolemæo ac reliquis probatiſſimis mathematicis, lunam terra eſſe minorem ſtatuiſſe, & Plinij cauillum contraria probantem reprobaſſe, niſi quod non recte, neq; Ptolemæo conſone, terram ter tantum, & duabus quintis ferè partibus ſcribit luna eſſe maiorem. Nam inter diametros, ſeu dimetientes terræ ac lunæ, non autem inter globos ipſos eſt iſta proportio. Ratio autem geometrica probat, globos ſuarum diametrorũ proportionem habere triplicatam. Ex qua ratione colligitur, terram luna maiorem eſſe nõ ter, & duabus quintis ferè partibus, ut ſcribit Hermolaus, ſed trigeſies nouies, & una ferè tertia parte. Quem quidem Hermolai errorem ſi Plinij patronus uoluit innuere, ubi de ſolis, lunæ & terræ magnitudine Hermolaũ notat, hominem non modò medicum, ſed etiam mathematicum exoſculabimur. Sed quoniam etiam in ſole eundem carpit Hermolaum, in quo nullam hic præbuit erroris uel minimam ſuſpicionem, ueremur admodum ne nota hæc potius grammaticã, quàm mathematicam ſapiat ſubtilitatem: quandoquidem etiam grammatiſtæ audent de aſtronomia per numerum ſingularem atque pluralem, de hiſtoria autem naturali per caſum genitiuum uel ablatiuum diſputare.

B

Error Plinij in herba fragra ferente, & in flore herbæ lyſimachium nominatæ, atq; quo nomine eadem herba à noſtris celebretur. VII

SIcuti autem in lunæ ac terræ magnitudinibus, partim cum Hermolao ſentio, partim diſſentio: ita in herba fragra ferente, in lyſimachio, in phalangio, myrmecio, omnino Hermolai accedo ſententiæ, Pliniũ errore nõ paruo herbam fragra ferentem, quæ ſit trifolia, feciſſe quinquefoliã, uel ſenſu ipſo, qui in his eſt certiſſimus arbiter, illud quod nos dicimus indicante. Quod ſi Plinij patronus ſe herbam quæ fragra fert, uidiſſe aliquando quinque habentẽ folia teſtabitur, nos uiri grauis teſtimonio credemus. Sed ſciat nos, nõ de eo quod perraro fit, & monſtri loco habeaẽ, ſed de naturæ numero quem ſeruat in pluribus, cum Plinio in hac herba cõtendere. In lyſimachio herba pariter, quam Dioſcorides flore aureo, Plinius purpureo deſcribit, uiſum ſenſuum omnium acerrimũ iudicem appellabimus, ubi prius fuerit declaratum, quæ herba fuerit antiquis lyſimachion, & quo nomine ætate noſtra apud uulgus cenſeatur: Quod Plinij patronum facere oportuit, anteq̃ diceret florem lyſimachij eſſe uulgatum, alioqui ſciat ſe repugnantia dixiſſe. Quî enim poſſit flos uulgò eſſe cognitus, ſi herba ipſa, de qua naſcitur flos, ignoretur? Vt certe eam ſcio nõ modò à uulgo, ſed etiam à medicis noſtræ ætatis, ut pleraſq; alias quæ in uſu medico fuere apud priſcos, ignorari. Si tamen more ſophiſtarũ, non elegantium, ſed barbarorum loqui uelim, poſſum dicere, & uulgus, & medicos herbam lyſimachium noſſe, non tamen noſſe herbam lyſimachium. Sed minime puto Plinij patronum medicum non ſolum peritum, ſed etiam eruditum, ita fuiſſe locutũ: ſi tamen ita fari liceat, erit ſermo ſophiſticus uerus. Nam herbam quam priſci dixere lyſimachion, hoc æuo uulgus corneolam nominat, ſub hoc nomine notiſſimam omnibus, licet plures neſciant priſco uocabulo uocari lyſimachion, quod nos nũc *Corneola.*

C primum luce clarius ſumus demonſtraturi. Huic herbæ uulgò corneola nominatæ, quam infectorũ præcipue officinæ nouerunt (ea enim ad inficiendos uiridi colore pannos utuntur) omnes illæ adſunt notæ, quas tum Dioſcorides, tum etiam Plinius pariter lyſimachio adſcripſere: Nam & in aquoſis naſcit̃, ut ſcribit Plinius, uel in paludoſis, & iuxta aquas, ut Dioſcorides. Ego ſanè teſtor me frequenter uidiſſe herbam corneolã in Ferrariæ paludoſis, uel in ripa Padi natam. Huic præterea folia tenuia, uiridia, qualia ſalici germinant, quæ ſi comburantur acrem fumum emittunt, naribus mordacem: & quod damnat Pliniũ, nõ purpureo, ſed aureo flore inſignita conſpicitur. Cogitur autem & Plinius fateri, aureũ eſſe herbæ lyſimachij florem, niſi uelit cognominem lapidem lyſimachũ, aureis inſignem uenis, ut ipſe deſcribit libro trigeſimoſeptimo, capite decimo, temere idem nomẽ fuiſſe ſortitum: Quanquã idem Plinius non tantũ in colore floris, ſed etiam in herbæ odore notari poteſt, quem grauem ſentiri ſcribit, & nõ acrem, ut Dioſcorides: nec quomodo talis ſentiatur oſtendit, ſuffitu ſcilicet herbæ cõbuſtæ: Quæ omnia Dioſcorides diligẽtiſſime eſt executus: & uſum præterea herbæ in medicina docuit, quod hoc in loco ubi lyſimachion deſcribit Plinius facere prætermiſit. Lyſimachium autem eſſe herbam infectiuam, nõ equidem memini me legiſſe apud aliquem autorẽ græcum uel latinũ, niſi quod de ea ſcribit Plinius libro uigeſimoſexto, capite decimoquinto, quod capillum flauũ facit. Dioſcorides autem lyſimachiũ alio nomine ait lytron appellari: quam appellationẽ ſuſpicor, aut apud Dioſcoridem, aut apud Pliniũ eſſe deprauatã, qui de lutea herba infectiua meminit libro trigeſim[illegible]io, capite quinto, quam dicit cæruleo ſubtritam pro chryſocolla induci. Forte enim lytron, nõ luteam eandem herbam debuit nominare: nam & Vitruuius nõ luteam,

Pli. li. 25. ca. 7

Dioſcor. lib. 4 cap. 3

Lutea herba infectiua.

D ſed luteum uocat, inquiens: Qui non poſſunt chryſocolla propter raritatẽ uti, herba quæ luteum appellatur cæruleum inficiunt, & utuntur uiridiſſimo colore. Talis eſt ferè etiam ætate noſtra lyſimachij herbæ (ſiue lytron, ſiue luteũ alio nomine appelletur) apud infectores uſus. Nam colori cæruleo, quem guadũ uocant, eam ſuperinducunt, & uiridem colorẽ tingunt. Mirũ autem uideri poſſit, ſi lutea, uel luteum nominetur, quum nõ luteũ, ſed uiridem faciat colorem: niſi quod & luteum ſeu flauum facit, ſi per ſe adhibeatur, & nõ cæruleo ſubteratur: nam & Plinius ſcribit (ut diximus) lyſimachiam capillum flauũ facere: Vel lytron, forte non à colore quem tingit, ſed à flore potius lutea fuit nominata.

Error noui expoſitoris Auicennæ, in herba tinctorum citrina, quam Auicenna ſic nominat tertio canonis, capite de hulceribus inteſtinorum: Error iuniorum medicorum pro glaucio uel memite, papauer cornutum accipientium. VIII

ET Auicenna Fen decimoſexto tertij, capite de excoriatione hulcerũ, de quadam herba meminit, quam herbam tinctorũ, & citrinam nominat, cuius ſuccũ bibitum & clyſterizatũ ſcribit prodeſſe hulceribus inteſtinorũ: neq; puto ipſum aliam herbam innuere, quàm lyſimachiũ, cuius pariter foliorum ſuccum, aut epotum, aut per clyſterem iniectũ, dicit Dioſcorides prodeſſe dyſentericis. Antiquus autem Auicẽnæ expoſitor, ſiue Gentilis, ſiue alius, cuius expoſitiones in locũ allatum habent̃ impreſſæ, ut qui magis ſtudeat uerba Auicennæ ſcindere in partes, primam ibi, ſecundã ibi, tertiam ibi, quàm eorum ſenſum, quod magis foret ex uſu medicorum, declarare: neq; hanc herbam tinctorum citrinam, neq; alteram quam ſtatim poſtea tanquam eundem habentem effectum Auicenna ſubiungit, & pedem alacohen dicit à quibuſdam uocari: Se autem exiſtimare quod ſit pes corui, quamuis alij ante eum, ut ipſe teſtatur, dixiſſent Hippocratem per alacohen

folia

A folia ficus intellexiſſe. Neutram inquam harum herbarũ quæ uidentur fuiſſe apud ueteres in uſu medicinæ celebres, atque ideo cognitu neceſſariæ, ſua ſtuduit doctrina Gentilis illuſtrare, ſed tanquam eſſent notiſſimæ, aut parum afferret earum notitia utilitatis, ſua intactas expoſitione præterijt. Nouus autem Auicennæ expoſitor non uiſus eſt omnino iſta negligere: uerum ex eius expoſitionibus lector eſt incertior, quàm antea: Nam herbã tinctorũ memitem eſſe dicit, cuius ſucco utuntur tinctores, De qua etiam memite dicit teſtari Principẽ, quod eſt frigida & ſicca in primo, & quod multam habet ſtypticitatẽ, & exponi in ſynonymis Auicennæ, quod eſt chelidonia, ſed non eſſe uerũ teſte Simone Genuenſi. Nónne hic expoſitor ignotum per ignotius, aut ſaltem æque ignotum nobis oſtendit, quum herbam tinctorũ memitem eſſe dicit, non autem quid ſit memite, ſed quid nõ ſit magis edocuit. Scio enim uerã memitem quã Dioſcorides glauciũ uocat, & ad uitia oculorum laudat, à noſtræ ætatis medicis ferè omnibus ignorari, qui pro ea utunt̃ herba altera ſimili quidẽ, ſed nõ eandem habente uim, quam Græci μήκωνα κέρατίδα, id eſt papauer cornutũ appellant. Sed fac ueram memitem, aut uerum glaucium eſſe, notũ non tamen, aut autores Arabes de memite, aut Græci de glaucio, quod ſit hæc herba, tam in uſu inſectiorum, quàm etiam medicorũ quicquam retulerũt. Neq; quia Auicenna ſcribat, memitem eſſe frigidã & ſiccã in primo, hoc ſatis efficax eſt argumentum ad probandũ memitem eſſe herbam tinctorum, de qua Auicenna facit mentionem Fen decimoſexto tertij, capite de excoriatione inteſtinorum. Plures enim ſunt herbæ tales habentes qualitates, quas tamen propterea nõ dicimus eaſdem eſſe cum herba tinctorũ, atq; citrina ab Auicenna nominata, neq; etiam eoſdem habere in medicina uſus exiſtimamus. *Memite herba*

B

Error Auicennæ & eius expoſitorum recentiorum, in radice herbæ pedis coruini nominatæ. IX

DE ſecunda herba, pede alacohen ab Auicenna uocata, idem expoſitor ſcribit exiſtimare, quod ſit herba à medicis uocata pes corui, de qua dicit ſecũdo huius capite, de pede coruino, quod radix huius herbæ quum decoquitur, confert ſolutioni antiquæ: ſed radicem huius herbæ, quam noſtri herbularij uocant pedem corui, eſſe cauſticam, hulceratiuam, & de iſta non loqui principem hic, quia princeps dicit, quod aliqui dixerunt, quod per alacohen Hippocrates intellexit folia ficus, quæ in nullo ſeruiunt caſui præſenti, quia pungunt & excoriant per lacticinium occultatum in eis. Hæc omnia ad uerbum ferè nouus expoſitor Auicennæ, qui ſua expoſitione non magis hanc, quàm etiam priorem nobis herbam declarauit. Forte autem ſit illi minus pudendum hanc ſecundam, ſcilicet pedem coruinũ, de quo Auicenna loquit̃, ignoraſſe, quãdo & ipſe Auicenna tantus alioquin medicinæ magiſter, uel dubitauit, uel etiam neſciuit quid eſſet, ut planè in multis alijs herbis ipſemet ſuam fatetur inſcitiam: ut etiam ſecundo canonis de hac ipſa herba, quæ pes coruinus nominatur, non modò ambigua, ſed etiam contraria loquitur. Sunt autem hæc Auicennæ de pede coruino inibi uerba: Pes coruinus, Membra expulſionis, radix eius herbæ confert ſolutioni antiquæ. Et dixerunt Paulus & alij, quod confert colicæ, & efficit operationem hermodactylorum abſque nocumento. Ego autem neſcio quomodo radix pedis coruini poſſit prodeſſe ſolutioni antiquæ, & facere operationem hermodactylorum, qui ſunt ſatis in ſoluendo potentes, niſi forte Auicenna uult hoc loco ſolutionem curare ſolutione, qui tamen alibi præcipit non eſſe faciendam ſolutionem ſuper ſolutionem. Fen autem uigeſimoſecũdo tertij, capite de ſolutione podagræ & iſchiadicorum, pedem *Cap. 562*

C coruinum nō colicæ, ſed podagræ potius, ex eiuſdem Pauli autoritate Auicenna prodeſſe teſtatur, ita ſcribens: Et dixerunt quidam quod pedi coruino ineſt operatio hermodactylorū, & nō eſt eius nocere ſtomacho. Quæ uerba exponens etiam nouus expoſitor Auicennæ, in hunc modū ſcribit: Dicit aliquos aſſeruiſſe, quod pes coruinus operatur, & purgat ſicuti hermodactyli, & non nocet ſtomacho ſicuti ipſi: Et pes iſte coruinus eſt herba cuius radix ponitur in opere, de qua ſcribit ſecundo Canonis capitulo de ea: Dixerunt Paulus & alij, quod cōfert colicæ, & efficit operationem eorū abſq; nocumento. Deinde ſubiungit: Radix pedis coruini, quem nos hic habemus, ab extra appoſita rodit, & pluries hanc feci ſuper pedem illius quaſſari, qui habebat in inguine bochium epidemillæ, & protinus illic ſurgebat ampulla, qua rupta exibat uirus uenenoſum, unde aliqui ſanabātur. Sed hanc dare per os nunq̄ auſus ſum, licet ſciam aliqua quæ foris adhibita ueſicāt, & hulcerant, & comeſta noceant ut allia & cepe. Hæc ille: qui licet uereatur, ut ſanè debet uereri, dare per os radicē pedis coruini, quæ uenenū eſt, ut poſtea declarabimus, per uerba tamen poſtrema uidetur innuere, quod ſi etiam daretur per os, cum aliqua tamen ratione daretur, & nō ſine Principis autoritate. Ioannes uero Matheus de Cradi alter nouus Auicennæ expoſitor, in huius radicis expoſitione magis audaculus, ſcribit hæc uerba: Intellige, quod quum autores utuntur pede coruino, in caſu etiam iſto ſemper utūtur radice eius, & non folijs: ita etiam dominus Auicenna ſecūdo canonis ponit iuuamenta radicis eius. Quæ uerba expoſitoris nobis indicant ipſum huius herbæ timuiſſe folia, nō radicē: quia dominus Auicenna eiuſdem radicis uſum, & non foliorum ſecundo canonis præcipue probauiſſet. Miſeret me humanæ uitæ, quam uideo quotidie ſub Auicenna, nō tanquam principe,
D ſicut medici iuniores appellant, ſed tanq̄ ſæuo tyranno periclitari: nam ſi radicem uenenatam, uel intra corpus iuſſerit adhiberi, eam quidam medicorū in ægrotantibus adhibere nō dubitant: Contrà ſi radicem ſalutarem, & uenenis aduerſantem dari uetuerit, tanquam medicinā pernicioſam, illam medici etiam celebres non audent dare. Radicem pedis coruini habentem uim exhulcerandi, & tanquam uenenum, præterquam ſi extrinſecus apponatur, in uſu medicinæ fugiendam, alter nouus Auicennæ expoſitor nō ueretur † dare etiam intus aſſumendā, fretus Auicennæ, & ſecundo canonis & decimoſexto tertij, qui eam hermodactylis præfert autoritate. Ego uero teſtor deum, me nouiſſe medicū, qui ex eadem radice quibuſdam alijs adiunctis pilulas conficiebat, & eas podagra laborantibus propinabat, non ſine magno quorundam qui eas accepere periculo, donec tandem à me ſui erroris admonitus, à tam periculoſa abſtinuit medicina.

†dicere

Error Auicennæ, napellum uenenum exitiale propinantis, & radicem pentaphylli medicinam pernicioſam nominantis, quæ tamen eſt medicina ſalutaris, & potens contra uenena. Herbam quam noſtri herbarij pedem coruinum nominant, quo nomine priſci uocauerint. X

IDem Auicenna, ſi qui tam fatui ſint, qui ei uelint in omnibus credere, ſcribit ſecūdo canonis, napellū eſſe uenenū pernicioſum, & tamen potari ſuadet, quum poſtea ſubiungit: Delet albaras linitū & bibitū. Venenum autem quod noſtra ætate napellum ab herbarijs nominatur, aconitum à Græcis atq; Latinis uocatur, de quo Virgilius: Miſcent aconita nouercæ. Vt iam appareat Auicennam nō tam tyranni, quàm etiam nouercæ imitari mores. Cōtrà Galenus aconitum laudat, ſi abſtergendum ſit aliquid ex corpore. Sed cauendum eſſe, inquit, ne aut in potu aut in cibo ſumatur. Idem Auicenna radicem pentaphylli à Dioſcoride cōmendatam ad uenena mortifera, ipſe ſecundo canonis ſcribit eſſe medicinā pernicioſam, adeò ut Michaël

A ut Michael Sauonarola medicus ſuo & noſtro quoq; tẽpore, propter ſcripta quæ de medicina edidit clarus, nõ auſit eam in quartana dare, non aliam ob cauſam, niſi quia damnetur à Principe. Tantam habet ut nuper dicebam, Auicenna apud medicos noſtri temporis autoritatem, ut medicinam mortiferã faciat ſalutarem, ſicuti pedem coruinũ: ſalutarem aũt pernicioſam, ueluti radicem pentaphylli uel eius ſuccum. Nam & Iacobus de Dondis, cognomento Aggregator, huius radicis ſuccum inter uenena pernicioſa ex Auicennæ numerat autoritate. Forte aũt quantũ ad pedis coruini attinet radicem, non tam Auicenna, quàm medici ipſi non recte Auicennã intelligentes, ſunt reprehendendi. Quis enim eos cogit putare herbã, quam herbarij noſtræ ætatis pedem coruinũ nominant, eſſe illam quam ueteres medici, Paulus ſcilicet & Dioſcorides, ſub eodem nomine celebrarũt? Quaſi uero ſit neceſſarium, ut quæ nunc ſunt nomina herbarũ, etiam priori ſeculo fuerint. Eos aũt quos ſuprà notaui Auicennæ expoſitores, illud oportuit didiciſſe, aliam eſſe herbam à priſcæ ætatis hominibus pedem coruinũ nominatã, aliam à noſtris. Nam ſi id ſciſſent, neq; tam multa de pede coruino dubitaſſent, neq; etiam aliqui eorum unquam in animum induxiſſent, herbam pedem coruinũ à noſtris dictã, poſſe ſine periculo aut in pilulis, aut alio modo intus aſſumi. Hæc enim eſt illa, quã Dioſcorides βατράχιον, & apium ſylueſtre nominat: unde & medici iuniores non ſolum pedem coruinum, ſed etiam apium raninum nominarunt, à gemina ſcilicet animalis, & herbæ alterius ſimilitudine. Huius herbæ Dioſcorides quatuor facit ſpecies, & unam ex his inter uenena collocat. Omnium autem folia, & caulem, ſi apponantur humano corpori, uim ait habere exhulcerandi, & eſcharam faciendi. Quare nullo modo ſuſpicandũ eſt illos qui dixerunt pedem coruinum in me- *Lib.3.cap.62. & 69*

B dicinis capituli excoriationis inteſtinorũ, quos Auicenna allegat xvi. tertij eodem capite de hac pede coruino, quam ueteres βατράχιον à rana cuius effigiem repræſentat, nominarunt, intellexiſſe. Sed neq; Auicenna ſecundo canonis quũ ſcribit radicem pedis coruini conferre ſolutioni antiquæ, de hac potuit intelligere. Ideo quantum ad hoc, forte non eſt error Auicennæ, ſed male exponentium Auicennam, & neſcientium quid duobus in locis ſcilicet, & ſecundo canonis, & ſextadecima tertij per pedem coruinum Auicenna intellexerit, ſi modo & ipſe quid eſſet intellexit. Nam xvi. tertij etiã uidetur hæſitare. Secundo aũt canonis omnino Auicenna aberrat, illam oſtendens quam ſuprà tetigi in radice eiuſdem herbæ contrarietatem, quod conferat & ſolutioni antiquæ, & faciat operationem hermodactylorum abſq; nocumento. Quibus uerbis poſtremis ſimilia etiam ſcribit xxij. tertij, ſuprà etiam à nobis allegata. Verum utrobiq; male Paulus, & alij ſuper hac medicina, quæ facit operationem hermodactylorũ, ab Auicenna citantur: neq; enim Paulus uſquam herbam coronopoda, ſic enim Græci pedem coruinũ nominant, hermodactylis comparat, in iuuando podagricos: ſed compoſitionem quæ nominatur apud Græcos διὰ κορωνόποδος, id eſt, per pedem coruinũ, alteri præfert, quæ apud eoſdem græcos διὰ ἑρμοδακτύλων, id eſt, per hermodactylos nominatũ: quarum utranq; deſcribit Paulus lib. vij. in quo de ſimplicibus & compoſitis agit medicinis, proprijs ambas inſcriptionibus notans. Primæ compoſitionis inſcriptio, atq; deſcriptio hæc eſt:

Podagrica per Hermodactylum.

Hermodactyli obolos tres, anneſi, cymini æthiopici, ameos, corymborum, thymi, piperis longi, zinziberis, ana obolos tres, epithymi unciam mediam. Doſis oboli quatuor aut ſex, datur mane cum condito uel hydromele. Secundæ autem compoſitionis per pedem coruinum inſcriptio atq; deſcriptio talis eſt:

C Per pedem coruinum compoſitio quæ facit ad ea, ad quæ & altera per hermodactylon, ſtomacho utilis.

Zinziberis oboli duo, piperis oboli tres, agarici obolus unus, cnici interioris oboli quatuor, radicis pedis coruini oboli ſex. Doſis, oboli octo. His autem quibus uenter nõ facile ſoluitur, ſiliquæ uigintitres faciunt omnino ſeptem, uel octo fere alui deiectiones. Harum duarum compoſitionum Paulus libri ſui de medicina uolumine tertio ſecundam, per pedem coruinum nominatam, dicit ex Alexandri autoritate prima eſſe meliorem, ut quæ eandem faciat euacuationem, & æque ſedet dolorem, cum hoc quod nihil obeſt ſtomacho. Quorum uerborum ſententiam male Auicenna duobus in locis antea allegatis, de ſolo pede coruino ſcribit, ipſum hermodactylis cõparando: quaſi radix pedis coruini, de qua loquitur Paulus, ſit par in cienda aluo radici hermodactylorum, & non habeat potius adſtringendi facultatem, quemadmodũ de ea ſentit Dioſcorides, qui ipſam cœliacis prodeſſe teſtatur: ſicuti & ipſe Auicenna ſecũdo canonis eandem dicit radicem prodeſſe ſolutioni antiquæ, & etiam decimaſexta tertij teſtatur nonnullos eam nominaſſe inter medicinas ad hulcera inteſtinorum facientes: quoniam cœliaca diſpoſitio eſt morbus ſimilis lienteriæ, quæ prouenit etiam ex hulceribus inteſtinorum. Quare Auicenna hæc omnia de radice pedis coruini non male ſcribit: illud uero non recte, quod faciat operationem hermodactylorum. Si quis uero miretur, quomodo tota compoſitio per pedem coruinum nominata, eandem poſſit facere euacuationem quam altera per hermodactylos, quum pes coruinus, uel radix eius uim adſtringendi habeat, hermodactyli autem magis purgandi, ſciat dictam per pedem coruinũ compoſitionem, non habere uim purgatoriam ex pede coruino, ſed ex agarico, & cnico, quod cartamum medici recentiores appellant. Purgat autem æque atque altera compoſitio per hermodactylos nominata: quoniam doſis eius eſt dupla ad doſim alterius: & in durum habentibus uentrem maiorem multo, quàm duplam habet proportionẽ, ut ex his quæ antea ſcripſimus, ex Pauli ſententia patêre poteſt. Neq; uero quiſpiam miretur compoſitionem purgatiuam ex medicina uentrem adſtringente ſuam ſortiri appellationem: quoniam in podagricis doloribus, atq; iſchiadicis, non minus quærimus humorum fluxum ad loca dolentia reprimere, quàm eorum qui iam fluxere euacuationẽ. Vnde & apud Paulum inuenitur alia compoſitio ad podagras, quæ percorallium nominatur, in quam tamen ueniunt rhabarbarum, & ariſtolochia medicinæ euacuantes. De eiſdem duabus compoſitionibus quas ſuprà ſecundũ Paulum annotauimus, etiã Auicenna meminit Fen xxij. tertij, capite de ſolutione podagricorum & iſchiadicorum. In quibuſdam tamen medicinis, ſed præcipue in ponderibus medicinarum, à Paulo euariat, ut quas ſcribit Auicenna cum his quas Paulus antea notauerat, conferre uolentibus uideri poteſt. Hic uero occurret aliquis, ac mihi obijciet, id q̃d & ipſi Auicennæ atq; eius expoſitoribus antea obiectaui, nõ haberi ex eorum expoſitionibus, neq; quid ſit herba tinctorũ ſiue citrina, neq; quid ſit pes coruinus, de quo Paulus, quantumuis male ab Auicenna allegatus, intellexit: Liquet enim ex his quæ antea diximus, eſſe herbam pedem coruinum à ueteribus dictam, ex cuius nomine compoſitio tota ſuam habuit appellationem: nondum tamen, quæ aut qualiſnam ſit, fuit declaratum.

Dioſcor. lib. 2. cap. 117

D

Herba coronopus à græcis autoribus nominata, quo nomine à Latinis appelletur, & quæ nomina uulgò quoq; habeat. XI

QVum ergo & quænam, aut qualis ſit herba tinctorũ ab Auicenna dicta, & quo nomine apud ueteres fuerit inſignita, antea docuerimus, quod etiã de herba

A herba fecimus, quam noſtri herbarij pedem coruinũ nominant, reſtat ut quid ſit pes coruinus ueteribus & Dioſcoridi, & Paulo, atq; Auicēnæ doceamus: quādoquidem & ipſe Auicenna eam ſcripſit cōpoſitionem, cuius pes coruinus eſt pars, ne qui uolunt totam facere cōpoſitionem in pede coruino dubitent, ueluti quidā Auicēnæ expoſitores hæſitarũt, aut ſicuti alij radicē pernicioſam pro ſalutari recipiant. Coronopus, hoc eſt pes coruinus, inquit Dioſc. herba parua eſt, oblonga, humi ſtrata, folijs fiſſis: hæc quoq; pro olere elixaẽ. Aliqui ammonon, aliq astrion, aphri atirſitten, Romani caciatricem, nonnulli ſtillaginem, nõnulli ſanguinariam uocant. Huius radix in cibo ſumpta facit ad cœliacos: naſcitur in locis incultis, & in domibus, & in uijs. Omiſſis in hac herba barbaris appellationibus, de quibus nõ poſſumus, ſint'ne recte, an perperam ſcriptæ, dijudicare, Romana nomina diligentius inſpiciamus, ut ſi qua eorũ ſint deprauata, corrigamus, atq; inde ad eius quam quærimus herbæ notitiam perueniamus. Caciatrice ſanè uidetur dictio corrupta, neq; enim eſt græca, neq; latina: quare puto Gallitricem eſſe legendum, uel quod magis græce appellationi reſpondeat, galli crus: ut ſicuti ideo apud Græcos hæc herba κορωνόπους eſt nominata, quoniam coruini pedis effigiem repræſentat, ſimili ratione apud Romanos galli crus fuerit nuncupata. Eſt enim herba apud autorem de ſimplici medicina, quem aliqui putant fuiſſe Apuleium, galli crus, atq; etiam ſanguinaria nominata: quod etiam nomen uitiatum eſt, ſeu decurtatum apud Dioſcoridem: nam ſanguinari pro ſanguinaria in multis codicibus legitur. De hac autem herba idem autor de ſimplici medicina, qu icunq; ſit, refert eadem quæ de coronopode Dioſcorides, quod uidelicet in locis aſperis, & circa uias naſcatur. Addit autem & rationem, cur tam galli crus quàm etiam ſanguinaria nominetur: eo quod ſcilicet naribus impoſita, ſanguinem fluere facit, & habet

B (ut inquit) in ſummitate pedem galli. Hæc autem herba ipſa, ſi quàm ſit uulgò nota, & ſimul eius nomen uulgare manifeſtauero, uereor ne Auicennæ, atque eius expoſitoribus magnam pariam ignominiam, qui in re notiſſima pueris, hæſitarint. Verum iſta cælare, non eſt tam parcere antiquis, quàm uitam negligere, quæ ut antea diximus, ſub Auicennæ, atque eius expoſitorum autoritate periclitatur. Hæc proculdubio illa eſt, quam partim ſanguinariam ab effectu iam dicto, partim Capriolam uulgò appellamus. Plinius unam ſpeciem graminis facit, & gramen uocat aculeatum, quoniam ei in acumine aculei ſint plurimi: quos ut idem Plinius inquit, conuolutos naribus inſerunt, extrahuntq;, ciendi ſanguinis gratia. Quæ licet uerba ſcribat Plinius libro uigeſimoquarto de ſecunda graminis, ut diximus ſpecie, ipſam nihilominus libro uigeſimoprimo inter herbas aculeatas, ſub græca appellatione coronopodis numerauit, neſciens (ut arbitror) eandem eſſe herbam, quam Græci coronopoda, & Romani gramen uocant aculeatum: quoniam ut in æra & lolio, ægilope & auena, aparine & lappa, nuperrime autem in lyſimachio & lutea manifeſtauimus, plurimarum herbarum, quas latinis nominibus nouerat Plinius, græcas nomenclaturas ignorauit. Quam Plinij inſcitiam etiam in iſatide & glaſto, helxine & conuoluulo, oxymyrſine & ruſco, nardo gallica & ſaliunca, in altero noſtro libello de Plinij atq; aliorum erroribus edito, demonſtrauimus. Quia uero ex tam crebro, & in omnibus Plinij libris paſſim errore reperto, hæc inter me ac Plinij patronũ diſputatio habuit occaſionem, quem tamen errorem hic ſe putauit unica codicis emendatione, æram ſcilicet in herbam mutando, ſuſtuliſſe, nunc mihi libet eidem Plinij patrono copioſius oſtendere, quammultas alias Pliniani codicis emendationes eum oporteat excogitare, ſi errorem quem dixi, pro quo inter nos eſt orta diſſenſio, ex toto Plinij codice uelit

Lib. 2. cap. 117

Cap. 19

Cap. 16

C extirpare: Neq; enim in herbis tantũ, atq; omni plantarũ natura, ſed etiam in animalibus atque metallis, hunc ipſum errorem Plinius admiſiſſe frequentius deprehenditur, ut per ſingula genera ſummatim oſtendemus.

Error Plinij in multis herbis & plantis, animalibus atq; metallis, de quibus ſub græcis interdũ nominibus, interdũ latinis agens, fecit uideri diuerſa, quæ tamen ſunt eadem. XII

Marrubium PLinius libro uigeſimo, marrubium nigrum ſcribit à Græcis praſion nominari, melius autem melan praſion ſcripſiſſet: quoniam praſion nomen eſt com-
Cap.22 mune ad nigrum & album. Poſtmodum libro uigeſimoſeptimo de eodem marru-
Cap.8 bio nigro ſuo balloⅇs nomine agit, neſciens tamen eandem herbam quam Romani marrubium nigrum appellabant, à Græcis balloten nominari. Argumentum inſcitiæ, quod balloten alia nuncupatione porrum nigrum, & non marrubium nigrum Plinius à Græcis uocari eodem loco teſtatur. De quo Plinij errore quo ſæpius praſſon, id eſt porrum pro praſio, id eſt marrubio ſcribit, nominum uicinita-
Atriplex te deceptus, etiam in altero libello fecimus mentionem. De atriplice Plinius mul-
Cap.20 tis ſcribit in locis, ſed libro præcipue uigeſimo, ubi uires eius ac proprietates explanat, hoc tamen olus ex aureo colore dici à Græcis χρυσολάχανον uidetur Plinius neſciuiſſe, quum libro poſtmodum uigeſimoſeptimo agat de chryſolachano tanquam de herba penitus ab atriplice differente, adeò ut huic contrarias omnino illis quas antea atriplici adſcripſerat uires aſſignet. Libro ſiquidem uigeſimo atriplicem morbos regios ac pallorem facere ex Pythagoræ tradit autoritate. Poſtmo-
Cap.8 dum libro uigeſimoſeptimo de chryſolachano agens, ait fuiſſe aliquos, qui hanc herbam dicerent alligatam regium morbum habentibus, ita ut ſpectari poſſit, ſa-
D nare id malum. Ad quẽ pariter effectum de chryſolachani ſemine ſi bibatur Dioſcorides autor grauiſſimus teſtificatur. Eandem uero herbam ſignificari à Græcis nomine chryſolachani, & à Latinis atriplicis, præter Dioſcoridis idem aſſeuerantis autoritatem, color etiam herbæ atriplicis aureum colorem repræſentantis, un-
Sambucus de illi à Græcis inditum nomen chryſolachanũ, manifeſtiſſime indicant. Sambu-
Cap.8 cum Plinius libro uigeſimoquarto inter arbores collocat, eius denique effectus in
Cap.7 medicina præcipuos exponit. Deinde eandẽ arbuſculam libro uigeſimoſeptimo, ſub acteæ nomine pingit, graui florum odore, caulibus aſperis, geniculatis, ſemine nigro ut hæderæ, baccis mollibus, naſciq; opacis, aſperis & aquoſis autumat. Quæ omnia indicia ſambucum demonſtrant, quum etiam eandem acteam, ſicuti ſambuci radicem ad interiores fœminarum morbos dari Plinius præcipiat. Neq; uero poterit illud Plinij patronus pro Plinio reſpondere, Plinium ſub acteæ uocabulo ebulum intelligere, atq; ita non de eadem planta, ſed diuerſis ſub uarijs nominibus, altero græco, altero latino, in locis tractaſſe differẽtibus. Non poteſt inquam hoc pro Plinio dicere: quoniam Græci ſambucum non acten, ſed chamæacten potius, id eſt terreſtrem ſambucum nominant. Et hæc quidem quantum ad plantas attinet dicta ſufficiant, quas Plinius uiſus eſt non modò nomine, ſed etiam natura putaſſe diuerſas. Autor autem eius libri, qui Cornucopia inſcribitur, mira-
Pli.lib.10. tur de Plinio, tantæ doctrinæ atque autoritatis uiro, qui in genere animalium daſy-
cap.63 podem à lepore diuerſum fecerit, quũ tamen (ut inquit) unum idemq; animal ſit. Miratur inquam, ut qui non animaduerterat, multos alios eiuſdem autoris ſimiles etiam in alijs rebus, & non in lepore tantum errores: & multis argumentis conatur oſtendere, daſypodem à lepore non eſſe differentem, tum ex ratione nominum, tum ex his quæ de daſypode ſcribit Ariſtoteles lepori congruentibus, tum etiam ex communibus græcis atq; latinis tam de daſypode, quàm etiam de lepore adagijs.

A adagijs. Quæ omnia argumenta ego, qui ubi poſſum Plinij autoritatẽ perlubens
defendo, poſſum ea ratione refellere, quod nihil impedit duo animalia proximi ge
neris inueniri, quibus propter naturæ affinitatem eadem omnia, quæ ille autor ad
ducit, poſſunt conuenire, ueluti leporem atq; cuniculum, quem puto à Græcis da
ſypodem nominari: Sed ſi huius erroris ita Plinius excuſetur, alteri tamen ſibi fa
miliari omnino erit obnoxius, quoniã & de daſypode, & de cuniculo in ſuis libris
faciat mentionem, qui tamen unum idemq; ſunt animal: ſicuti de caprea & de dor
cade, de ueſpertilione atq; nycteride, ſiluro & glani, paſſere & pſitta: quæ anima-
lia modò græce, modò latine nominat, neq; lectorem admonet eadem ne ſint, an
diuerſa, ut planè uideatur ipſe putaſſe, non eadem. Sicuti inter metalla argentum
uiuum ab hydrargyro diuerſum eſſe exiſtimaſſe Plinius planè conuincitur. Nam
quum libro trigeſimotertio argenti uiui naturam expoſuiſſet, mox de hydrargy
ro ſuo ſe loco dicturũ pollicetur. Atqui omnes qui etiam paucis græcantur, idem
metallum ſignificari apud Græcos hydrargyri nomine, quod apud nos argenti ui
ui, minime ambigunt, quando ea etiã, quæ de argenti uiui natura ſcribit Plinius,
ut quod uenenum omnium eſt rerum, ac omnia uaſa exedat, atque perrumpat ta
be dira, de hydrargyro pariter Græci autores, ac præſertim Dioſcorides tradunt,
qui etiam idem prope artificium, quod Plinius conficiendi hydrargyrum, ex mi-
nio docet, ne quis forte argentum uiuum eſſe natiuum, hydrargyrum uero facti-
tium opinetur, atque ea ex cauſa Plinium in eis uarijs nominibus uſum fuiſſe arbi
tretur: Quoniam ut diximus, tam arte, quàm à natura factum, uno nomine à Græ
cis hydrargyros, ſicuti à Latinis argentũ uiuum nuncupatur. Hos atq; alios idem
genus errores, hoc eſt ſimiles illi, quem de æra ac lolio, in altero noſtro libello ad-
B ſcripſimus Plinio, ſi Plinij patronus ſciuerit excuſare, melius tamen quàm in ſua fe
cerit præfatione, æram in herbam cõuertendo, fatebor illum iure apud ciues ſuos
poſſe gloriari, & corona ciuica meritum coronari, pro reſtituta ſuo ciui priſtina di
gnitate. Alioquin ex ſola ſuper æra defenſione ſciat ſe de una tantũ feſtuca trium-
phaſſe, ſi modò & de feſtuca triumphauit, quam nos male fuiſſe in herbam muta-
tam multis antea rationibus aduerſus Plinij patronum demonſtrauimus.

Hydrargyrum quomodo fiat, docet Plinius libro quinto capite 64.

Error Plinij in phalangio, quod reptile dicit Italiæ fuiſſe ignotum, quum tamen in Apulia Italiæ parte naſcatur, uulgò tarantula nominatum. XIII

NOn multum abſimilis, immo propè germanus his, quos nuper tetigimus,
eſt error Plinij in phalangio myrmecio, quem Hermolaus lapſu memoriæ
contigiſſe opinatur. Nos uero eandem habuiſſe putamus occaſionem, quam & ſu
periores, græcæ ſcilicet eruditionis in Plinij defectum, quo quũ neſciret quid uer-
bum myrmecion ſignificaret aqud græcos, plura quàm oportuerit libro uigeſimo
nono phalangiorũ genera enumerauerit. Nam quamuis quarto eiuſdem libri ca-
pite ita ſcripſiſſet: phalangium eſt Italiæ ignotum, & plurium generum, unum for
micæ ſimile, ſed multo minus, ruffo capite, & reliqua: paucos tamẽ uerſus infrà, ue
luti dicti prioris immemor, idem genus fruſtra repetijt, ita ſcribens: Myrmecion
formicæ ſimilis capite, aluo nigra, guttis albis diſtinguentibus. Non differre autẽ
hoc à ſuperiori, qui græcos autores, & præcipue Nicandrum atque Galenum, &
inter recentiores Actium, de generibus phalangiorum ſcribentes legerit, minime
dubitabit. Quod & medici, qui græca neſciunt, uel ex Auicenna poterunt diſce-
re, qui libro quarto ubi de rutelis agit, Galenum, & quoſdam alios citat autores
de multis ſcribentes generibus rutelarũ, & tamen de uno tantum meminit, quod
formicæ habeat ſimilitudinẽ. Phalangion autem Græcis, & rutela Arabibus, eſt

C id araneorum genus, quod uulgò tarantulam dicunt, ut multæ indicant proprie-
tates, quas de phalangijs priſci autores tradiderunt: & nos quoque noſtro ſeculo
in eiſdem cōſpicimus, ſicuti in terræ dehiſcentis cauerniolis domicilia, et prolis nu
meroſitatem, quæ parentes ubi emerſerit enecat. Caſus etiam qui hominem à ta-
rantula tactum excipiunt, ſtuporem uidelicet, genuum labefactationem, & totius
corporis tremorē, nato uel inde prouerbio, ut homines, qui in uno loco nequeūt
conſiſtere, dicamus à tarantula morſos: Vt alia nō omnibus adeò nota ſigna præ-
teream, quæ de phalangiorū ictu ueteres prodiderunt, & de tarantulis noſtri tem
poris medici uera eſſe experientia magiſtra didicere: qui plura etiam quàm uete-
res de huius reptilis natura animaduerterūt, ut quod hominem talibus afficit ima-
ginationibus, qualibus ipſum inhærentem, quum mordet inuenerit. Quo fit, ut ſi
quis ſe regem eſſe cogitauerit, tunc quum mordetur, ſeu icitur, poſt talem ictum
in eadem cogitatione uſq; perſeueret, nec quis illi facile perſuaſerit, quamuis hu-
milis conditionis homini, quod regia dignitate non potiatur. Equidem miror Pli-
nium de hoc animali, cuius ictus tam uarie hominem afficit, quod ſuis tempori-
bus fuerit Italiæ ignotum, prodidiſſe, niſi quiſpiam ſuſpicet̃ fuiſſe homines ſequen
tibus annis adeò maleficos, qui uenenū iſtud peregre aduectum, in Apuliæ cam-
pis tanquam frumentum ſeminare ſtuduerint. Verum ut rem iſtam magis erro-
ri Plinij, quàm hominū tribuam malignitati, mouent unus aut duo huic ferè ger-
mani errores Pliniani, qui ſui de naturali hiſtoria libri uolumine uigeſimoſexto, ca
pite primo ſtatim circa initia lichenas morbum (ut ipſe ait) grauiſſimum, non Ita-
liæ modò, uerumetiā uniuerſæ propè Europæ incognitū fuiſſe ſcribat æuo priore
his uerbis: Senſit & facies hominū nouos, omniq; æuo priore incognitos, non Ita
D liæ modò, uerūetiam uniuerſæ propè Europæ morbos: Tunc quoq; nec tota Ita-
lia, nec per Illyricū, Gallias'ue aut Hiſpanias magnopere uagatos, aut alibi, quàm
Romæ circaq;, ſine dolore quidem ullo, aut ſine pernicie uitæ: ſed tanta fœditate,
ut quæcunq; mors præferenda eſſet. Grauiſſimū ex his lichenas appellauere græ
co nomine, latine (quoniam à mento ferè oriebatur) ioculari primum laſciuia (ut
eſt procax natura multorum in alienis miſerijs) mox & uſurpato uocabulo menta
gram. Et paulò poſt: Non fuerat hæc lues apud maiores patreſq; noſtros: et primū
Tiberij Claudij Cæſaris principatu medio irrepſit in Italia, &c. Hæc igitur Plinius
de lichenibus tradit, quum tamen Hippocrates autor Plinio uetuſtior, & in Græ-
cia natus, Europæ parte nō parua, in ſuis libris, & præcipue in eo, qui inſcribitur
Aphoriſmi, crebrā faciat de lichenibus mentionē: quod nō feciſſet, ſi eius ætate to-
tius ferè Europæ hic morbus fuiſſet incognitus, quē nos putamus, ut in libro no-
ſtro de morbo gallico ſcripſimus, etiā ante Tiberij Claudij Cæſaris principatū, Ita
liæ fuiſſe cognitū, licet nō multis, quia carebat nomine: donec medici græci, qui ur
bem Romanā frequentare cœperunt, eundē morbū ſuæ linguæ uocabulo liche-
nas nominantes, fecere illuſtriorē: ſicuti ijdem græci dolorē inteſtini laxioris primi
colicū, quo nomine nunc quoq; utimur, uocitātes, fuere in cauſa, ut Tiberius etiā
princeps primus id malū in Italia ſenſiſſe à Plinio ſcribat̃. Idem puto in phalangio
cōtigiſſe, huius ſcilicet uocabuli ſignificatū potius Plinij ætate fuiſſe Italiæ ignotū,
quàm uenenum ſiue reptile uenenatum: Nam & hoc ipſum magis, quàm aliud ſu
ſpicandi plurimam mihi dedit occaſionem quorundam ætatis noſtræ, uel qui pau
lò ante hanc uiguerunt inſcitia medicorum, quæ me aliquando deriſui fecit obno-
xium. Nam quum ſermo haberetur inter medicos, è quorum numero ego quo-
que unus eram, licet tunc eſſem cæteris iunior, atque ideo minoris autoritatis co-
ram uiro grauiſſimo, atque eodem potentiſſimo, qui à pueritia in aula Alfonſi illu
ſtriſſimi

A ſtriſſimi regis Arragonũ fuerat educatus. Quum, inquam, ſermo incidiſſet de reptili uenenato, quod Apuliam maxime infeſtat, uulgò tarantula nominato, cunctis alijs qui aderant medicis ſenioribus aſſeuerãtibus, nullam fieri de hoc animali apud ueteres mentionem, me autem uno contradicente, atque id à græcis priſcis phalangion nominari cõtendente, ab Arabicis autoribus rutelam, uiſus ſum penè delirare palam uiro quem dixi rerum, fortunæq; potente, coram quo hæc diſputatio agebatur, contra me ferentes ſententiam: Quoniam ſe ſuis auribus id cebat audiſſe, medicos quoq; Alfonſi regis Arragonũ aſſerentes, antiquos medicos nihil in ſuis libris de tarantula ſcriptũ reliquiſſe. Quæ ſanè aſſertio medicoum multo plus habet erroris quàm Pliniana: Siquidem hæc Italiæ tantum, illa uero omnibus terris ſuperiori ætate tarantulam facit incognitam: Alioquin de ea ſub uocabulo aliquo uel græco, uel barbaro mentio apud priſcos haberetur, quam tamen illi fuiſſe habitam uiſi ſunt omnino pernegaſſe.

Sub quo nomine Auicenna de tarantula inter reptilia uenenata ſcripſerit, & error iuniorum medicorum, male eam ſcorpionibus annumerantium. XIIII

QVidam uero medici, etiam ex recentioribus, qui de uenenis ſuos tractatus inſcriptos reliquerunt, de rutelis, phalangijs, ac præterea tarantulis meminere. Verum tarantulas, nõ ad Caput de rutelis, ſed potius de ſcorpionibus referunt. Vnum tamen ſcorpionũ genus, quod tertium numero ponunt, etiam tarantulam à Raſi uocari teſtantes, ab Auicenna uero ſebel uel ſebegi. At (ut dixi) quæ hodie tarantula nominatͬ, apud Græcos phalangij, apud Arabes rutelæ nomine celebratur: argumento, quod omnia ferè quæ græci de phalangijs, eadem ſcribat Auicenna de rutelis, Galenum inſuper citans, de ſpeciebus rutelarum ſcribentem, quæ idem autor ſcripſerit de generibus phalangiorum. Sed ad Plinium reuertamur, à quo libenter ad medicos celebres facimus digreſſionem, ut eius errores multo leuiores aliorum cõparatione faciamus: niſi quod & huic Plinij in phalangio errori, quẽ ſuprà tetigimus, alter ſanè grauior annecti poteſt, quo uidetur ipſemet à ſeipſo in ſuis ſcriptis diſſentire Plinius: Siquidem libro undecimo tractans de generibus araneorum, inter quæ primum phalangia connumerat, ſuperuacuam tamen eorum cenſet commemorationem, ob magnam illorum, ut inquit, notitiam, ut uideatur pariter Plinius eius quod dixerat libro undecimo, oblitus, poſtmodum libro uigeſimonono, phalangia Italiæ ignota ſcripſiſſe. Dicet fortaſſis quiſpiam, ea phalangia, quæ hoc in libro ſcribit Plinius eſſe Italiæ ignota, diuerſa ab illis quæ libro undecimo ponit inter genera araneorum. At hoc cõmentum tum omnibus aduerſatur autoribus, qui de omnimoda phalangiorum uarietate ſcripſerunt, tum præſertim eſt ipſi Plinio contrarium, qui id genus phalangiorum, quod à ſimilitudine formicarum græce myrmecion nominatur, & inter alia Italiæ ignota libro uigeſimonono numerauit, & inter araneorum genera libro eodem pariter collocauit. Aeque Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium octauo, araneorum & phalangiorũ genera una diuiſione partitur, ut non poſſint hæc eſſe uulgaris notitiæ, atque ob id nec dictu neceſſaria, ſi Italiæ fuerit phalangiorum genus, quemadmodũ libro allegato Plinius ſcribit, ignotum.

(Margin: B; Cap. 14; Cap. 4)

C *Hermolaus Barbarus in epigloſſe, arteria & gula defenditur, & Plinij patronus accuſatur male Plinianũ codicem emendans: & quomodo eo in loco Plinij uerba legi debeant, oſtenditur.* XV

SEd iam herbis reptilibusq; relictis, uenio ad alteram diſputationem, quæ etſi de nominibus eſſe uideatur, ad duas tamen medicinæ attinet partes, quarum altera anatomice, altera pathognomice à Græcis nominatur: in quibus optarem Hermolaum ita ſicuti in altera, quæ herbarum doctrinã continet, fuiſſe exercitatum. Non tamen mihi eadem deerit pro ampliſſimo uiro excuſatio, qua etiam Plinium aliquando circa herbas errantem excuſauimus, minus mirum uideri debere dicentes, Plinium uirum in reipublicæ Romanæ adminiſtratione occupatiſſimum, illa ignoraſſe, in quibus etiam Auicenna, qui medicinæ princeps ætatis noſtræ medicis fuiſſe uideatur, non parum erraſſe deprehenditur. Cur enim non poſſim Hermolaum, non minorem dum uixit, in republica Veneta uirum, quæ ferè Romanam magnitudinem æquauit, ſimili ratione in aliena præſertim profeſſione defendere? ſicubi in his quæ ad medicinam attinent, uel falſò putaſſe aliquid, uel inepte alios errantes excuſaſſe à Plinij patrono reprehenditur, ueluti in epigloſſe, arteria, & gula, & in lactibus, in quibus Theodorum Gazam conatur protegere Hermolaus, in argemis & albuginibus, in ſtrumis, & pluribus alijs: quæ licet & ipſa uideantur ad artem medicam pertinere, quia tamen quæſtio eſt magis de nominibus, quàm de rebus ipſis, ueluti quæ ſint curæ minutioris, à me *indefenſa conſultò relinquentur. Cur* uero in epigloſſe, arteria, & gula, putet *Plinij* patronus erraſſe Hermolaum, non intelligo: quoniam de his neque in Plinianis caſtigationibus, neque in gloſſematis ad Alexandrũ pontificem, quic-

D quam ab eo reperi ſcriptum: Niſi forte Plinij patronus Hermolaum culpat, tanquam indiligentem Pliniani codicis caſtigatorem, quod locum illum libri undecimi capite trigeſimoſeptimo, ubi Plinius inter alias humani corporis partes de epigloſſi, arteria, ac gula facit mentionem, inemendatum reliquit: Quem Plinij patronus putet ſe recte emendauiſſe, ita ſcribendo: Sub ea minor lingua, quæ nulli oua generantium, opera eius gemina duabus interpoſitæ fiſtulis: Interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atq; cor pertinens: Hanc operit in epulando epigloſſis, ſpiritu ac uoce illac meante, ne ſi cibus ac potus in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera exterior eſt, appellatur ſanè gula, qua cibus atq; potus deuoratur: Tendit hæc ad ſtomachum, inde ad uentrem. Sic quidem legendo uerba codicis putat Plinij patronus uerũ ſenſum Plinio reſtituiſſe: neque uidet quantum adhuc ipſa uerba ita correcta errorem contineant. Vt enim illud taceam, quod etiam in æra ac lolio Plinij errori tribuimus, non decere Plinium hominem latiniſſimum in eodem penè uerſu eandem rem modo latine, modo græce nominare. Alterum in his habetur erratum, & quidem maximũ, quod etiam Plinij patronus in ſua Anatomice poſuit, adeò quod nullum ipſe habet excuſationis locum in eo errore, cui non modò in Plinij emendatione uiſus eſt conſentire, ſed præterea etiam in ſuo opere proprio confirmauerit, in quo pariter ad Plinij, uel Pliniani codicis male à ſe emendati imitationem, ex duabus fiſtulis arteriam quidem ad cor atque pulmonem pertinentem, poſuit interiorem, gulam uero qua cibus & potus deuoratur exteriorem, contra naturæ poſitum, qui uiam uocis ac ſpiritus fecit exteriorem, cibi autem ac potus interiorem, quæ res etiam in homine uiuo citra diſſectionem poteſt dignoſci, primo ſe gutture, unde uox halitus'que procedit, in parte anteriore colli repræſentante. Hoc

autem

A autem guttur Plinij patronum, non modò in emendatione Pliniana, ſed etiam
in ſua Anatomice poſuiſſe in parte poſteriori, indicāt ipſius uerba libro tertio ca=
pite octauo eius operis in hunc modum ſcripta: Binæ ab oris faucibus canaliculæ
coëunt, quarum altera breuior, interior' que eſt, tracheam arteriam, uel pharynga
Græci, Latini guttur, uel ſpiritualem fiſtulam appellant. Altera uero longior, ex=
teriorq; eſt, iſophagum Græci & ſtomachum, Latini gulam, & cibalem fiſtu=
lam uocant. In quibus uerbis plura ſunt errata. Sed grauius ex illis primo perſe=
quemur, in quo Plinij patronus ſibi contradicit: Nam libro & capite dictis, gulam
ponit in parte colli anteriore, alioqui non eſſet exterior, tracheæ arteriæ interiori
collata, niſi forte, id quod poſterius eſt, & dorſo proximius, putet exterius: quod
uero prius, & reſpicit pectus, uelit interius appellare: qua appellatione nulla eſſe
poteſt abſurdior. Poſtmodum libro eodem capite decimoſeptimo de gula ita ſcri=
bit: Et nunc gulæ ratio reddenda eſt, quæ poſt tracheam arteriam poſteriorem
locum tenet, ex quo dicto ſequitur tracheam arteriam gulæ comparatione eſſe
exteriorem, & conſequio anteriorem, quam tamen in Plinij emendatione fecit
interiorem, atque ideo poſteriorem. Quo fit, ut eadem colli pars, ſiue trachea
arteria, ſiue gula, poſitum habeat interiorem & exteriorem, poſteriorem & an=
teriorem. Verum hæc contradictio, non in diuerſis capitibus tantum, ſed in uno
etiam, ſcilicet octauo eiuſdem libri apparet. Nam circa eius capitis finem ſcribit
Plinij patronus hæc uerba, de trachea loquēs arteria: Ante gulam poſita eſt, quia
cor in priore parte collocatum eſt. Quamuis autem eadem contradictio in uer=
bis Plinij libro undecimo, à Plinij patrono emendatis non appareat, non tamen *Cap.37*
& ille error ſit minimus, quin meo iudicio maximus, ſi parte quidem colli priore
B cibum & potum deuorari, poſteriore autem ſpiritum, ac uocem commeare Pli=
nius exiſtimauerit, ut ſanè eum exiſtimaſſe fateri ſit neceſſarium, niſi eadem uer=
ba aliter, quàm à Plinij patrono caſtigentur. Quare nos qui ubi poſſumus errorū
culpam qui in Plinianis codicibus uel impreſſis uel manu ſcriptis inueniuntur,
in impreſſores atq; librarios, & male Plinium emendantes, potius reijciendam,
quàm ipſi autori adſcribendam iudicamus, totum hunc Plinij locum, de cuius ue
ritate diſputamus, ita ſcribendum exiſtimamus: Sub ea minor lingua epigloſſis
appellata. Opera eius gemina, duabus interpoſita fiſtulis. Exterior earum arteria
ad pulmonem atq; cor pertinens, hanc operit in epulando, ne ſpiritu ac uoce illac
meante, ſi cibus ac potus in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera inte=
rior eſt, appellatur ſanè gula, qua cibus atq; potus deuoratur. Tendit hæc ad ſto=
machum, & reliqua. Sic quidem uerba Plinij legendo ille error euitatur, quem
Plinio quiſpiam meritò poſſet obijcere, modo linguam minorē, modo epigloſſin
eandem gutturis partem nominanti: Nam in noſtra emendatione, in qua poſt ea
uerba, lingua minor, ſtatim illa alia epigloſſis appellata ſubijcimus, nō eſt affecta=
tio græcitatis, ſed declaratio quomodo uno uocabulo lingua minor à Græcis no=
minetur: declaratio inquam, non ſolum apud Plinium, ſed etiam alios autores la=
tinos ſæpe uſitata. Ac præterea de medio tollitur alter grauiſſimus error, quo tra=
cheam arteriam habere in collo poſitū poſteriorem ipſum putaſſe Plinium poſſe=
mus iudicare, ſi ut male emendati codicis uerba præſeferunt, hanc quidē ſcripſiſ=
ſet interiorem, gulam uero exteriorem. Noſtra quoq; emendatio alteram amouet
Plinij uerbis contradictionem, diuerſam ab illa quam Plinij patrono paulò an=
te obiectauimus. Nam ſi, ne, particula prohibitiua præponatur uerbis illis, Si
potus, ut in ſua emendatione præponit Plinij patronus, & non prioribus, ita le=
gendo, ut nos legendū ducimus, ne ſi ſpiritu, ac uoce illac meante, illud ſequetur

C abſurdū,tracheam eodem momento temporis opertam eſſe & apertā: Siquidem in epulando operitur,ſpiritu uero ac uoce meante aperitur:nam ea operta à minore lingua,neq; uox neq; ſpiritus per eam poteſt meare. Hanc aūt emendationē noſtram codicis hoc in loco Pliniani, mire cōfirmat autor eius libri qui Cornucopia inſcribitur, uir non modò uocabulorum, ſed plurimarum etiam rerum, id quod ſui indicat lib. titulus,cognitione præclarus,Plinij uero præcipuus imitator,adeò ut uideri poſſit multis in locis eius paraphraſtes, de eiſdem rebus,de quibus Plinius in hunc modum ſcripſit: Arteria eſt quæ ad pulmonem ducit,tegiturq; epigloſſe,quam & minorem linguam uocant,ne ſi potus cibus ue in epulando uoce meante in alienum deuiauerit tramitem, torqueat: Et hæc exterior eſt, gula uero interior,qua cibus atq; potus deuoratur: tendit hæc ad ſtomachum, inde ad uentrem. Vidit homo eruditus ſe, ſi tracheam arteriam interiorem,gulam uero poneret exteriorem, facturum ex homine monſtrū: ſi etiam, ne,aduerbium prohibendi eodem quo Plinij patronus ordine collocaret, acturum rem nihilominus impoſſibilem, homines ſcilicet tecta ab epigloſſi uia, quæ ad pulmonem ducit loquentes. Huius uero rei impoſſibilitatem ſciunt medici docti, uel etiam philoſophi,qui quomodo animal uocem emittat, nō ignorant. Sic quidem ego, & autor Cornucopiæ, Plinium à tam craſſis erroribus quibus eum fecit obnoxium Plinij patronus, liberauimus.

Perottus Plinij paraphraſtes multis locis eſt.

Errores Plinij in uno tantum libri undecimi capite ſcilicet trigeſimoſeptimo collecti,ad anatomicen animalium pertinentes. XVI

D VTinam tam facile multa alia in eodem libro,atq; eodem capite,errata ita poſſemus emendare,ut culpa magis in librarios, quàm in ipſum autorem referretur. Quia uero nos ingenue fatemur hoc neſcire facere, & plura eorum ad anatomicen,tum humani corporis,tum reliquorum animalium pertinent, libuit Plinij patroni hominis non raro in ſua ſe anatomice iactantis ingenium experiri, ſi ſciat ipſe Pliniū, quem in ſuam clientelam recepit, etiam in iſtis quæ à nobis notabuntur,propugnare. Erunt autem ex eodem libro undecimo, atq; eodem capite trigeſimoſeptimo,in quibus Plinius de arteria,epigloſſe,& gula uerba facit,excerpti:ne quis forte ſuſpicetur nos uelle expaciari, ex uarijs Plinij libris plures huius autoris errores ſedulo perquirentes,quos poſſimus alios ſuper alios coaceruare. Quod ſi etiam facere ſtuduiſſemus, non malo animo erga Plinium id egiſſemus, ſed bono potius, ut Plinij patronum ad alias Pliniani codicis emendationes, quæ magis autorem ipſum ab erroribus uindicarent,excogitandas incitaremus. Verū hi in præſentia ſufficient, ex quibus prudens lector dijudicabit, quantū Plinij patrono laboris parare potuiſſemus, ſi non in unum unius libri caput, ſed in plura multorum librorum inquirere,& nihil intactum, aut indiſcuſſum relinquere uoluiſſemus. Primum quod in capite libri undecimi trigeſimoſeptimo, nunc examinando notatu dignum nobis occurrit, eſt Plinij uerborum repugnantia,error nō paruus à doctis iudicandus. Nam quum de cornibus loquitur animalium, mobilia hæc ut aures in Phrygiæ armentis ait. Deinde paucos poſt uerſus ita de eiſdem cornibus ſcribit: Cæterorum oſſibus adhærent, ceruorum tantum cutibus enaſcuntur. Sed Plinij patronus pro Plinio reſpondeat,quo pacto in Phrygiæ armentis cornua aurium habebunt mobilitatem, niſi & in his quemadmodum in ceruis,è cutibus enaſcantur: Neq; enim ex carne cuti ſubiecta ortum habere poſſunt: quoniam ut autor eſt Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium tertio, cutis caput nulla carne interpoſita tegit. Quare reliquū eſt,ut ex oſſibus capitis oriantur,

A ac propter originis continuitatem ſoliditatemq́ꝫ, eandem cum ipſis ſeruent immobilitatem. Si igitur ceruis tantummodo è cutibus cornua naſcūtur, ut uidetur ſentire Plinius, ſolis his, non aūt Phrygiæ armentis erunt mobilia, ut aures. Ariſtoteles ſanè libro de hiſtoria animalium tertio, cornua cuti potius quàm oſſibus adhærere, eo probat argumento: quoniam & in Phrygia, & alibi boues ſunt, qui cornua perinde ut auriculas moueant. Quo etiam in loco oſtendit, ceruorum cornua non eo differre à cæteris, quoniam in ipſis è cutibus enaſcuntur, in alijs uero cornigeris ex oſſibus capitis, ſed ob id potius, quod cornua parte plurima caua ſint ab radice, quatenus ambiunt os, quod ortum à capite cauo cornu inſeritur, totumq́ꝫ implet, in mucronē tamen ſolidum exeunt, & ſimplici parte extrema conſtant, ceruis tantummodo tota ſolida, & ſparſa in ramos. Partem enim cornuū cauam in cæteris animalibus è cute naſci, libro ſecundo de hiſtoria animalium manifeſte docuerat, ac boum exemplo confirmauerat. Eandem cornuum naturam, & per genera animalium differentiam Ariſtoteles repetit libro de partibus animalium tertio, his uerbis: Ceruis duntaxat tota cornua ſolida ac decidua, tum utilitatis cauſa, tum ut onere leuentur, tum ex neceſſitate præ pondere cæteris aliquatenus caua, & in mucronem demum concreta ſunt: quoniam ad ictus hoc ſit commodius. Sed ne pars caua inutilis, qua cuti annectitur, ſolidum quoddam oſſibus exortum ingreditur eam, impletq́ꝫ totam: ſic enim ſita compactaq́ꝫ ad uim inferendam commodiſſima. Iam ex his uerbis & alijs paulò ſuprà ex libris Ariſtotelis de hiſtoria animalium recitatis, facile apparet, tam cæterorū animalium, quàm etiam ceruorum cornua, cuti potius quàm oſſibus adhærere: in reliquis tamē animalibus, ne pars caua qua cuti ab radice annectitur, debilis ſit, ſolido quodam ex oſſibus or-
B to eandem cauitatem impleri. Eatenus igitur cæterorum cornua oſſibus adhæreſcunt, quatenus ſubſtantiam quandam ſolidam, ſiue os ſit, ſiue ex oſſe orta, ſua ambiunt cauitate, eandem tamen cum cornibus ceruorū è cute capitis habent originem, alioquin Phrygiæ bobus, uel ut Plinius inquit armentis, non eſſent cornua ut aures mobilia. Similis etiam contradictionis eodem in loco, ubi agit de cornibus animalium Plinius conuincitur: Fatetur enim ceruas non habere dentes ſuperiores, ſicuti neque mares, & tamen carere cornibus: Ac non multò poſt inferius ait, ſolos camelos ex his quæ non ſunt cornigera, in ſuperiore maxilla non habere priores dentes. In hac igitur natura, & ceruæ fœminæ, & cameli communicabunt, qui neq́ꝫ cornua, neq́ꝫ dentes habebūt ſuperiores, priores ſcilicet: Hos enim ineſſe cornigeris, libro de partibus animalium tertio negat Ariſtoteles, ubi ita ſcribit: Cornigerorum nullum utrinq́ꝫ dentatum eſt: ſuperne enim primores dentes non habent: quippe quū hos adimendo non addiderit cornibus. Cur uero ceruæ quum ſicuti mares ſuperne primoribus dentibus careant, cornua tamen non habeant, cauſam eo in loco ſubiungit Ariſtoteles: ſicuti & de camelis, qui ſimiliter utrinq́ꝫ dentati nō ſunt, hoc eſt prioribus in ſuperiori maxilla dentibus uacant, ut ſcribit idem Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium ſecundo. Mox ſecundo libro de partibus animalium generalem quandā attulit rationē. Non igitur ſoli cameli, ex his quæ non ſunt cornigera, erunt altera tantum parte dentati, quando & ceruæ non ſunt cornigeræ, & dentibus æque carent ſuperioribus. Quod ſi quis Plinium dixerit de maribus, non autem de fœminis intelligere, atque ideo ſolos camelos excipere meminerit, is tam fœminini, quàm etiam maſculini ſexus, multa animalia uacare cornibus, atque ideo Plinium, quamuis ſoli cameli ſcripſerit, ſub ea tamen exceptione etiam camelorum fœminas comprehendiſſe: quando ut grammatici inquiunt, maſculinum genus concipit fœmininum: quando etiam

C ſub non cornigeris, tam fœminæ quàm mares continentur, ut qui alterum genus excipit, alterum debeat excipere. Idcirco enim Plinius dicit ex his quæ non ſunt cornigera, non aũt ex his qui nõ ſunt cornigeri: ut ſe utranq; complecti naturam uerbo neutri generis ſignificaret, tam fœminarũ non habentium cornua, quales ſunt & ceruorum, & camelorũ, quos ſolos Plinius ſcribit ex his quæ non ſunt cornigera, non habere dentes: oblitus (ut uidetur) eorum quæ antea de ceruis fœminis diſſeruerat, dum earum argumento Ariſtotelem cauſam afferentem, cur nullũ cornigerorum utrinq; dentatum ſit, quod ſuperiores quibus carent dentes in cornua abſumantur, refellere non dubitauit. Qui putant (inquiens) eos ſcilicet dentes maxillæ ſuperioris primores (de his enim loquebatur) in cornua abſumi, facile coarguunt ceruarũ natura, quæ neq; dentes habent, ut neq; mares, neq; tamen cornua. Plinium aũt decuit de philoſophorũ principe ſaniora ſentire, neq; ipſum tam facile poſſe coargui pronunciare, in re præſertim, de qua ipſemet ſibi Ariſtoteles obijcit, & ſolutione ſatisfacit, libro ſcilicet ſecundo de partibus animalium, ubi ita ſcribit: Cur ceruæ cornibus careant, quũ dentes ſimiliter habeant atq; mares, cauſa eſt, quod eadem ſexus utriuſq; natura & cornigera eſt, ſed fœminis adempta ſunt cornua: quoniã ne maribus quidem utilia ſunt, ſed uirium meliorum beneficio mares minus offenduntur. Quæ quidem Ariſtotelis uerba, aut Plinius nõ uidit, aut ſe uidiſſe diſſimulauit, ne ſicuti Ariſtotelem ſe facile coarguiſſe uideri uolebat, ita etiam facile ſummum philoſophum defendi poſſe, ex ipſius & non alterius uerbis fieret legentibus manifeſtum. Eligat ergo hoc in loco Plinij patronus utram Plinio malit adſcribere, an indiligentiam, qui omnes Ariſtotelis de natura animalium non legerit libros: an iniquitatem, qui eum, quem ſe in hiſtoria animalium

D referenda fatetur habuiſſe præceptorẽ, indicta cauſa damnare ſtuduerit, atq; argumento ceruarum conuictum pronunciauerit, non confutata illa, quam ipſe Ariſtoteles ſuper eiſdem ceruis attulerat, ſi quis forte eas uoluiſſet obijcere, ut ſanè Plinius obijcit, ratione. Scribit præterea Plinius in eadem libri & capitis parte, biſulcis bina eſſe cornua. Quod dictum ſi uniuerſaliter accipiatur, non erit omnino uerum, quoniam ſues ſunt de genere biſulcorum, & tamen cornua non habent. Quare rectius Ariſtoteles ita de eiſdem animalibus ſcripſit: Cornigerorum pars maxima biſulca: neq; etiam biſulca omnia, ſi cornigera ſint, bina habent cornua.

Lib. 11. cap. 37 Nam oryx, quod etiam Plinius fatetur in ſequentibus, biſulcum animal eſt, & tamen unicorne. Hoc ergo in loco, ubi inquit naturam biſulcis bina cornua tribuiſſe, orycem excipere oportuit, qui uno tantum armatus eſt cornu: ſicuti in eodem penè uerſu, aſinum Indicum exceperat, qui ſolus inter ſolipedes eſt unicornis. Proximus eſt à cornibus ad pilos tranſitus, quorum defluuium in muliere rarũ, in ſpadonibus nõ uiſum Plinius ſcribit, nec in uno alio ante Veneris uſum. Atqui mulieribus et pueris etiã ante Veneris uſum, & propterea etiã ſpadonibus frequenter capilli defluunt. Quod ſi Plinius de eo defluuio pilorũ ſeu capillorũ intelligit, quod uniuerſim fit, quod proprie caluicium nominatur (ut autor eſt Ariſtoteles quinto de generatione animaliũ) mirũ eſt cur Plinius caluicium rarũ eſſe in mulieribus dicat, atq; in ſpadonibus minime uiſum, ſicuti neque ante Veneris uſum: Quũ par ratio ſit de omnibus, ut Ariſtoteles etiam loco antea allato, declarat his uerbis: Mulieres non caluent, quoniam natura earum ſimilis puerorũ naturæ, utraq; enim ſterilis ſeminalis excrementi: ſpadones etiam non caluèſcunt, quoniam in fœminam mutantur, & pilos qui poſtea gignuntur, aut non producunt, aut amittũt. Si igitur ratio Ariſtotelis aliquid ualet, caluicium in mulieribus, pueris, atq; ſpadonibus æque aut rarum, aut nullum. Sed libro de hiſtoria anima-

A lium tertio idem Ariſtoteles apertum eſſe inquit, mulieres, & pueros, & ſpadones caluicij eſſe immunes. De ſtruthiocamelis etiã Plinius ſcribit, quod alitũ ſola, ut homo utrinq; palpebras habet: quaſi ſtruthio camelus uera ſit ales, & non ambigui inter quadrupedes atq; alites generis: Nam ſi ales eſſet, in ſublime uolaret, aut pennas ad uolandum commodas haberet: & ſi quadrupes eſſet, pennas nõ haberet, ſed pilos: ut quadrupedes tamen pilos ſanè habet in gena ſuperiori, ut ſentit Ariſtoteles libro quarto de partibus animaliũ, qui de palpebra genæ inferioris in ſtruthiocamelo nec unum facit uerbũ: quoniã neq; ut auis eam habet, neq; ut quadrupes. Et ſanè palpebra genæ ſuperioris in hoc animali plures habet pilos uiſu cõſpicuos. In gena autem inferiori ſunt adeò exigui, & numero, & magnitudine, ut uix hæc palpebra uideat̃. Quare ut puto, de ea nullũ Ariſtot. habuit mentionẽ. *Lib. & capite quo ſuprà.*

Dubitatio in uerbis Ariſtotelis, qui uarijs in locis de cilijs utriuſq; palpebræ loquens, uidetur ſibijpſi quodãmodo cõtradicere: Et quamuis Ariſtoteles grande naturæ miraculũ fuerit, nõ tamen omnium errorum expers ſiat, quin & in aliquibus erraſſe deprehenditur. XVII

VErum hic error Plinij ſtruthiocamelũ alitibus annumerantis, quẽ tamen Ariſtoteles ancipite cenſuit eſſe natura, neq; magis alitem referre, ꝙ quadrupedem, imò forte magis quadrupedem, quia de palpebra eius loquit̃ ſuperiore, ꝙ ut quadrupes habeat. Hic inquam error ſi error ſit nominãdus, facile Plinio cõdonari poteſt, quũ aliud ſit grauius apud Ariſtotelẽ ipſum de eiſdẽ palpebris ſiue cilijs animaliũ erratum, in quibus idem Ariſtoteles ſibijpſi uidetur repugnare: Nam libro ſecundo de partibus animaliũ, Theodoro Gaza interprete, ſcribit hæc uerba: Et inter omnia quæ pilos habent, homo unus cilium in utraq; palpebra habet. Cõtarium ſcribit hic autor libro ſecũdo de hiſtoria animaliũ, his uerbis: Cilium etiam
B quũ cæteræ quadrupedes nõ in utraq; palpebra habeãt, ſimiæ habẽt, quanꝙ prætenue atque prolixius potiſſimum in inferiore. Quum ergo ſimiæ habeant in reliquo corpore pilos, & etiam in utraq; palpebra, ut ſcribit hoc loco Ariſtoteles, poſtmodum quum alibi ſecundo ſcilicet de partibus animalium pariter ſcribat, inter omnia quæ pilos habent ſolum hominem cilium in utraque palpebra habere, ipſe ſibijpſi aperte contradicit. Hanc in uerbis Ariſtotelis contradictionem ſoluat græcus grammatiſta, ſalua Theodori Gazæ interpretatione: Aut ſi non poteſt hoc facere, me æquo animo patiatur aliquãdo ab eadem interpretatione diſſidere, ut uerum ſenſum Ariſtoteli philoſophorum principi reſtituam. Neq; tam moleſte ferat, ſicubi ſcripſerim bonum quandoq; Theodorum in ſuis translationibus dormitare: quando eadem uerba de Homero poëtarum antiſtite ſcripſit Horatius, & tamen à doctis omnibus toleratur. Quis maiora uel meliora de Plinio ſentit quàm Hermolaus; cuius exiſtimationẽ nullo modo conuelli poſſe fatetur, & quibus ille non ſapit, planè indoctos habendos cenſet: In ſuo tamen Plinianarum caſtigationum opere, in cuius præfatione ea uerba de Plinio ſcribit, eũdem Plinium crebro dicit hallucinari. Quoties in eodem opere taxat Theodorũ male quædam uerba græca latine interpretantẽ; quẽ tamen alibi omnibus præfert interpretibus, quem unum cum uetuſtate ipſa certaſſe ſibi uiſum eſſe pronunciat, quem ſibi colendum atq; imitandũ proponit, à cuius ſcriptis ſe nõ parum adiutum fatetur, & prædicat. Ego quoque etſi idem de Ariſtotele ſtatuam, quod & diuus Hieronymus, fuiſſe ipſum prodigium grande atque miraculum in tota natura, cui penè uideatur infuſum quicquid humanũ ingenium naturaliter capere poteſt: tantum tamen abeſt, ut credam eum non fuiſſe hominẽ, ac nullo modo labi atq; errare potuiſſe, ut plures eius ſententias, ueluti de proportione elementorum, de circulo lacteo, de iride, *Quandoq; bonus dormitat Homerus.*

C de numero corporum replentium locum, quæ regularia nominant, ſciam poſſe linealibus demonſtrationibus improbari, quemadmodũ me ipſum contra Auerroim ex Ariſtotelis opinione lib. tertio de cœlo ſentientem, duo talia corpora replere locum, pyramidem & cubum, unum tantum eſſe quod poſſit hoc facere cubum, uidelicet mathematicis rationibus, quibus nullæ poſſunt eſſe firmiores, opere ad id dicato arbitror demonſtraſſe. Sed hæc obiter dicta ſint contra grammatiſtas, tam latinos, ꝙ græcos, quorũ alteri Plinium, alteri Theodorũ, deos ex hominibus facere ſtuduerunt. In quorũ ſententiam Plinij patronum medicũ grauem atq; philoſophum, miror tam facile fuiſſe prolapſum: à qua ipſum uolentes dimouere, reliqua ad eandem materiam pertinentia Plinij errata, proſequemur.

Errores Plinij, de animalibus ex Ariſtotele ſuæ integritati reſtituti. XVIII

EIdem animali ſtruthiocamelo, de quo antea diſputauimus, Plinius etiã alium homini tantum peculiarẽ adſcribit affectũ, quum quædam animalia, uti ſtruthiocamelum, naturaliter caluere refert. Ariſtoteles uero libro quinto de generatione animalium, ſolum hominem ex omnibus animalibus caluere aſſerit. Nam generalem illam paſſionem, qua uel uolucribus pennæ, uel arboribus frondes defluunt, hoc defrondeſcere, illud depenneſcere, non autem calueſcere dicitur. Vnde & de ſimili ſtruthiocameli affectu libro quarto de partibus animalium uerba faciens Ariſtoteles, ipſum capite & parte colli ſuperiore glabrum, non autem caluum eſſe ſignificauit. Quia uero caluiciũ eſt capitis uitium, iam ad cerebrũ, quod in capite continetur, ueniamus, de quo paulò infra Plinius ſcribit in hunc modũ: Cerebrum habent omnia animalia quæ ſanguinem, æque & in mari quæ mollia
D appellauimus, ut polypi. Ariſtoteles uero, de quo hanc omnem de partibus animalium hiſtoriam (licet non ſatis fideliter aliquando Plinius tranſtulit) non cerebrum, ſed aliquid proportionale cerebro, polypo, & reliquis carentibus ſanguine tribuit. Hæc enim ſunt eiuſdem autoris libro de partibus animalium ſecundo uerba: Quum autem omnia contrariũ momentum requirant, quo contrarietatem ac medium aſſequũtur, in hoc enim eſſentia ratioq; conſiſtit, non in alterutro extremo ſeorſum poſito. Idcirco aduerſus cordis ſedem & calorem, cerebrum natura molita eſt: & propterea pars iſta animalibus iuncta eſt, naturam obtinens aquæ ac terræ communem: atque ob eam rem cerebrum omnia prædita ſanguine habent, ex cæteris nullum ferè, niſi per proportionem, ut polypus: Parum enim caloris obtinet omne id genus propter ſanguinis priuationem. Cerebrum igitur calorem feruoremq; cordis moderatur, ac temperiem. Ex his Ariſtotelis uerbis facile conſtat mollia, ut polypos, qui in mari ſunt, quoniam careant ſanguine, atq; ideo feruore cordis, nõ habere cerebrum. Alioqui ſuperuacuum aliquod in ipſis natura molita eſſet, quod ab omnibus philoſophantibus putatur abſurdum. Plurimum autem refert dicere alicui exanguium ineſſe cerebrum, uel aliquid proportionale, ſicuti piſcibus oſſa, uel ſpinas, quæ autore Ariſtotele oſſibus proportionantur. Vnde & Plinius ipſe hoc eodẽ capite inferius ait delphinos habere oſſa, nõ ſpinas: & cauſam ſubinfert, quoniam animal pariunt: Quaſi neceſſe ſit omnia quæ animal pariunt conſtare oſſibus. Atqui multi piſces cartilaginei generis, ut etiam Plinius ipſe libro nono unà cum Ariſtotele ſentit, animal pariunt, & tamen oſſibus carent, ut paulò poſt in hoc ipſo capite Plinius ſubiungit, uitulos marinos habere cartilaginem, non oſſa, quos tamen conſtat æque atque delphinos animal generare. Quanquam uero eandem etiam cauſam quam Plinius, Ariſtoteles afferat libro ſecundo de partibus animalium, cur delphini non ſpinis, ſed oſſibus

A conſtent, quia uidelicet ſunt de genere uiuiparorũ. Statim tamen ſubiungit rationem, cur cartilaginea omnia ſpinam ex cartilagine habent: quia uidelicet ad motũ eorũ mollior eſt. Itaq; fulcimenti genus nõ rigidũ, ſed molle eſſe oportuerit, quam etiã rationẽ oportuit afferre Pliniũ, ne uideretᷣ ſibiipſi ſine ulla excuſatione cõtradicere, ut plane etiã libro nono contradicit, ubi ſcribit ex pilo carentibus delphinos tantũ ac uiperas animal generare: & tamẽ cartilaginei generis piſces, qui & ipſi pilis nõ integũtur, illud facere Plinius æque atq; Ariſtoteles (ut nuper diximus) arbitratur. Sed ne à propoſito ordine diſcedamus, redeamus ad cerebrũ, quo quæ carent animalia, credũtur à Plinio non dormire. Multa tamen ſunt, ut ſcribit Ariſtoteles libro de partibus animalium, quæ nõ habent cerebrum, & nihilominus dormiunt, quia proportionale ſuppetit. Idem Plinius doceri ab eruditis, inquit, cerebrum aliud eſſe quàm medullam, quoniam coquendo dureſcit. Ariſtoteles uero eruditiſſimorũ eruditiſſimus, hac ratione utitur ad probandũ cerebri naturam eſſe aquæ ac terræ cõmunem. Ex quo demum quiſpiam probauerit, differre cerebrum à medulla, cuius natura ſit ignis aëriſq; cõmunis: quod eius pinguedo atq; axungia indicant. Venam etiam ab oculis pertingere ad cerebrum, à peritiſſimis tradi autoribus Plinius inquit, quod non eſt à uero alienũ, quum partim nerui qui uim ſentiendi oculis inuehunt, partim uenæ quæ alimentum afferunt, ad eoſdem perueniant. Quod uero etiam Plinius ait, credere ſe ad ſtomachum pariter uenam ab oculis deriuare, argumento, quod nulli eruatur oculus ſine ſtomachi redundatione. Hoc eum potius qui eſt inter utrunque membrum cum cerebro per neruos ab eodem cerebro prodeuntes patiendi conſenſum, quem Græci uno uocabulo ſympathian uocant, quàm aliud quicquam teſtificatur. Quia uero de oculorũ ſtru-

B thiocameli palpebris antea fecimus mentionem, iam ſeries propoſita exigit, ut reliqua circa eandem particulam Plinij errata aperiamus: Atque ut hæc omnia liquidius appareant, quid per palpebras, quid'ue per genas Plinius intelligat, nõ ex alterius quàm ipſius Plinij uerbis, quæ tum hoc in loco, tum etiam alibi legũtur, declaremus. Genas uocat Plinius membranulas illas, quæ integũt oculos, quas Græci βλέφαρα nominant. Theodorus in tranſlatione Ariſtotelis de animalibus palpebras uertit. Talem eius uocabuli apud Plinium ſignificatum indicant illa Plinij uerba, hoc ipſo in loco ſcripta: Piſces & inſecta nõ habent genas, nec integũt oculos: omnibus membrana uitri modo perlucida obtenditur. Libro etiam decimo, ubi de ſomno aquatilium diſſerit, ſcribit in hunc modum: Etiam qui de cæteris dubitant, dormitare exiſtimant, nõ oculorũ argumento, quia non habent genas. Palpebras autem Plinius appellat pilos de genarũ extremitatibus ortos, quos ut ipſe inquit, ceu uallum quoddam uiſus, ac prominens munimentum contra occurſantia animalia, aut alia fortuitò incidẽtia natura hominibus dederat. Mulieres autem (tanta eſt affectatio decoris) inficiũt: Defluere etiam palpebras Venere abundantibus ait. Quod dictum de nulla re alia, quàm de pilis quos diximus, recte intelligi poteſt. Has Ariſtoteles in libris de partibus animalium βλεφαρίδας nominauit, Theodorus cilia, neſcio an recte latine dixit: quoniam Plinius homo latiniſſimus nomen cilium in alio accipit ſignificato. Occurret mihi hoc in loco aliquis ac dubitabit, ſtante eorum uerborum, quæ modo expoſuimus, ſignificatione, quo pacto Plinius à craſſiſſimo errore poſſit defendi, qui in hoc libro undecimo, capite quadrageſimoquarto, de ſimiarum generibus loquitur in hunc modũ: Iam ſimiarum genera perfectam hominis ſimilationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris, quæ ſolæ quadrupedum & inferiorem habent genam. Nõnne hoc in propatulo falſum? & nullo modo, ſicuti de ſtruthiocamelorum palpebris, in dubium re-

Cap. 14

Lib. 11. cap. 37

Lib. 11. cap. 37

Cap. 75

C uocandũ, ſolas ſimias inter quadrupedes habere inferiorẽ genam, quum omnes quadrupedes æque ac ſimiæ inferiore gena oculos integant? Nam & Plinius ipſe

Lib.11. cap.37 in hoc quem nunc examinamus loco, etiam quadrupedes quæ oua pariunt, ut teſtudines & crocodilos, inferiore gena conniuere aſſeuerat. Hunc atq; alios Plinij locos, in quibus ipſe ſibijpſi uidet̃ manifeſtiſſime repugnare, uoluiſſem fuiſſe à Plinij patrono caſtigatos, ne poſt tot tantorumq; uirorum in emendandis Plinij codicibus diligentiã, ipſe idem opus denuo facere aggreſſus, aut Mineruæ ſtatuam reformare, ut mutaret ſoleas, aut Apellis picturã de integro pingere, ut una pauciores crepidarum ſuppleret anſas, fruſtra uideretur laboraſſe. Sed quo ipſe Plinium ciuem ſuum, quantumuis in clientelam receptum, officio defraudauit, ego factus pro accuſatore patronus, tum hoc in loco, tum etiam in reliquis, in quibus potuero bonæ famam exiſtimationis Plinij tueri, haudquaquam grauabor impartiri: ut omnes intelligant me in alijs, in quibus Plinium reprehendi, nõ calumniandi gratia id egiſſe, ſed ſtudio propugnandæ ueritatis, quam, ut philoſophum decet, puto etiam amicis in honore præferendam. Si ergo nolumus Plinium uel ſibijpſi, uel etiam ſenſui repugnantia ſcribere, oportet uerba illa de ſimiarũ generibus ita corrigere: Nam ſimiarum genera perfectam hominis ſimilationem cõtinent, facie, naribus, auribus, palpebris, quas ſolæ quadrupedũ in inferiore habent gena. Simiæ enim, ut etiam teſtatur Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium ſecundo, quum cæteræ quadrupedes inferioribus careant palpebris, uel (ut Theodorus tranſtulit) cilijs, quoniam per palpebras *Plinius pilos intelligit* illos, ut diximus, qui de genarum extremis oriuntur, ipſæ habent etiam in gena inferiore. Ego uero qui libenter quancunq; arripio occaſionem Plinium à cõtradictionibus uendicandi, admo

D neor alteram ſimilem à uerbis Plinij, uel potius codicis, amouere cõtradictionem: Semper enim fui ita animatus, ut libentius in codicem, quàm in ipſum autorem, ſi modò poſſim, errores reijciam.

Repugnantia apparens in uerbis Plinij aliquando ſcribentis, in elephantis nullum ſetarum tegumentum, aliquando in eiſdem ſetas impenetrabiles, tollitur per codicis emendationem. XIX

Cap.10 DVriſſimum dorſo tergus, uentres molles, ſetarũ nullum tegumentũ, de elephantis ſcribit Plinius libro octauo, Ariſtoteli ſanè conſentiens, qui libro de hiſtoria animalium ſecũdo, elephantũ in quadrupedum genere minime hirtũ, & libro de generatione animalium quinto, elephantos atque boues tenuiore pilo, q̃ ſues integi ſcribit. Poſtmodum libro undecimo, capite trigeſimonono, de eiſdem elephantis hæc uerba apud Plinium leguntur: Elephantorum quoq; tergora impenetrabiles ſetas habent. Ne igitur & hic Plinius & à ſeipſo, & ab Ariſtotele, atque ipſa ueritate diſcrepet, ita caſtiganda ſunt hæc poſtrema codicis uerba: Elephanti quoq; tergora impenetrabilia ſagittis habent: Nam ſi elephanti duriſſimũ

Cap.10 tergus habent, ut ſcribit libro octauo Plinius, cur non etiam idem ſit ſagittis impenetrabile, hoc eſt cum difficultate penetrabile? Hanc Plinij ab Ariſtotele atque à ſeipſo diſſidentiam etiam Hermolaus animaduertit, & conatus eſt è medio tollere, unum interponendo uerbum, atque ita legendo: Impenetrabiles quaſi ſetas habent. Multo licentius Plinij patronus, ex uno uerbo duo fecit, hoc eſt, loco ſetas, ſcripſit pro ſcutis, ita ut uerbum aliud ſupplere ſit neceſſarium, ſi ſenſus debeat eſſe integer, ſic legendo totum: Elephantorũ tergora pro ſcutis homines habent. Sed probandum erit ex hiſtorijs, homines non ſolum ad geſtanda propugnacula aliquando uſos fuiſſe in prælijs elephantis, ſed etiam eorum tergora habuiſſe pro

A pro ſcutis:alioquin ut opinor,nemo tam uiolentam admittet emendationem.

Errorum Plinij de animalium partibus repetitio. XX

SEd ad genas & palpebras animaliũ redeamus, in quibus optarem æque facile Plinium poſſe defendi,ne & Ariſtoteli,& ſenſui quoq; contraria ſcribere uideretur. Nam quod ait,nulli ineſſe palpebras, niſi quibus & in reliquo corpore pili, ſed quadrupedi in ſuperioribus tantum genæ,uel (ut legendum puto) in ſuperiori tantum gena. Hoc ſecundum dictum ueritatem ſortietur,ſi ſimiæ tantum excipiantur, quæ ſolæ quadrupedum, ut poſtmodum etiam Plinius docet, palpebras habent etiam in inferiore gena. Quæ uero uerbis ſtatim antea ſcriptis Plinius ſubiungit,nullum habent exceptionis,aut alterius excuſationis ſuffugium. Ait enim uolucribus in inferiori tantum gena palpebras eſſe: & quibus molle tergus, ut ſerpentibus & quadrupedibus quæ oua pariũt,ut lacertæ:ſtruthiocamelo uero utrinque, ut homini:quæ omnia falſa eſſe,tum ſenſus tum ratio deprehendit. Nam neque uolucres pilos habent in gena inferiore,neque ſerpentes,neque lacertæ,neq; etiam ſtruthiocamelus effatu dignam in utraq;,ſed uti quadrupedem,quod etiam antea notauimus,in gena tantũ ſuperiore. Aeque falſa ſunt reliqua omnia,quæ Plinius adnectit:Ne genæ quidem omnibus, ideo neque nictatio his quæ animal pariunt. Verius enim de his ita ſcripſiſſet,quemadmodũ ſecundo libro de generatione animaliũ Ariſtoteles:Genus hominũ,auium,quadrupedũ,tam uiuiparũ quàm ouiparum,oculos uiſus gratia cuſtodiendi tegunt,ſed uarie:Quæ enim animal pariunt geminã habent genam,& cõniuere utraque ſolent: aues tam leuiores quàm grauiores, & quadrupedes ouiparæ gena inferiore cõniuent, nictant autem aues B ab angulis,membrana obeunte. Hic autem lectorem admonitum uelim, uerbum βλέφαρον, quod Theodorus palpebram uertit,me ad Plinij imitationẽ genam interpretari. Quod ſi quis illa uerba Plinij,quæ animal generant,ad ſequentem referat clauſulam, ut ſit ſenſus, Quæ animal generant, & grauiores alitum inferiore gena conniuere, neque ita Plinius erit omni ex parte ueridicus, atq; Ariſtoteli de eiſdem rebus conſentiens. Qui quidem Ariſtoteles, ut ex uerbis eius paulò antea recitatis apparet,uoluit ea quæ animal pariunt,utraque gena conniuere,ſicuti grauiores alitum altera tantum,ſcilicet inferiore. Extremum ambitum genæ ſuperioris cilium ab antiquis uocari tradit Plinius libro undecimo, capite trigeſimoſeptimo,& uulnere aliquo diductum non coaleſcere.Idem autem accidere ſcribit Ariſtoteles,non extremo tantum ambitui genæ ſuperioris,ſed toti genæ,& æque inferiori ac ſuperiori, ſicuti buccæ atque præputio:nam hæc quoque uulnerata non ſolideſcunt. Caninos dentes caſu aliquo amiſſos, nunquam renaſci Plinius ſolus eſt autor:Nam qui idem aſſerat, apud neminẽ, quod meminerim,legi. Ariſtoteles ſanè ſecunda de hiſtoria animalium libro, eoſdem dentes in homine, in canibus, & in cæteris etiam beſtijs mutari tradit,maxillares autem in nullo animaliũ.Quare de his rationabilius crederetur, quàm de caninis, caſu aliquo amiſſos, nõ regenerari. Eodem libro ſcribit Ariſtoteles, uitulum marinũ habere linguam ſciſſam, Plinius autem duplicem: Vtrum idem uterque dicat,æſtiment eruditi: In eo certe diſſentiunt,quod Plinius leporibus circa Briletũ & Tharnon & in Cherroneſo ad Propontidem bina eſſe iocinora,pro re uera aſſeuerat. Ariſtoteles uero errorem eſſe putat eorum,qui magnitudinem intuentes, duo eſſe iocinora credunt, quod unum ſit. Plinius etiam nõ multo inferius ſcribit ei membranæ,quam Græci phrenas & diaphragma uocant, Latini ſeptum appellant, quod tamen nõ membrana, ſed muſculus potius quidam eſt, ut ſentit Galenus nobiliſſimus medicus, nullam

Lib.11. cap.37

Libro & capite quo ſupra.

C ineſſe carnem: Quod falſum eſſe pariter propriæ naturæ indicat ratio, quũ muſculus nihil aliud ſit, niſi caro neruis intertexta. Ariſtoteles autem ubi de hac hominis parte loquitur, libro ſcilicet de partibus animalium ſecundo, planè eam carnoſam eſſe ſignificat, ita ſcribens: Annectitur hoc ſeptum ſiue cinctus, coſtis parte ſui carnoſiore ualidioreq́ʒ, media autem membranoſiore. Ita enim ad robur & prætentum commodius eſt contra calorem ſe efferentem, hoc ueluti ſobolem eſſe argumentum, ex his quæ plerunq́ʒ accidunt, dicitur: Vbi enim propter uicinitatẽ attraxerint humorem calidum, cõtinuò mentis ſenſum planè perturbant: quare phrenes appellant, quaſi participes prudẽtiæ ſint. Atqui nullatenus participes ſunt, ſed propinquæ ſunt his quæ uim obtinent illam, huic mentis mutationem aperiunt. Quamobrem tenues parte ſui media ſunt, non modò de neceſſitate, quod quum carnoſæ ſint parte ſui coſtis admotæ carnoſiores eſſe neceſſe ſit, uerũ ut minus uaporis excipiant: nam ſi carne pleniore conſtarent, copiam uaporis & haberent, & attraherent. Ex his Ariſtotelis uerbis ſeptum, ſiue phrenas eſſe carnoſas, licet parte ſui media tenuiores ſint, & minus carnis habeant, unicuiq́ʒ patêre arbitror. Ex quibus etiam uerbis alter Plinij error manifeſtatur, qui huic eidem parti ait referri acceptam ſubtilitatem mentis, hancq́ʒ eſſe cauſam cur nulla ei inſit caro, quum tamen Ariſtoteles ipſam aſſerat nullius eſſe rationis participẽ, phrenas tamẽ à Græcis nominari, quoniam uicina ſit his, quæ uim obtinent illam. Cordi igitur ſecundum Ariſtotelem accepta refertur ſubtilitas mentis, ob uicinum uero ſitum ſepto, atq́ʒ huic ipſi nomine tantũ, quoniam à Græcis phrenes nominantur. Illud quoque hac in parte lectores admonendos cenſeo, in uerbis nuper adductis nihil eſſe de Theodori translatione immutatum, niſi quod uerbum illud ὑμενωδέστερον apud

D Ariſtotelem, nos membranoſius latine diximus, hoc eſt naturæ membranæ proximius. Fidelior autem nobis hæc uiſa eſt interpretatio, ne ſi phrenas parte media conſtare membrana exiliore dixiſſemus, quemadmodum tranſtulit Theodorus, Ariſtotelem ſibi aperte contradicentem faceremus, qui totas phrenas probat ex neceſſitate eſſe carnoſas, quod etiam ex ſectionibus patet, licet parte ſui coſtis admotæ ſint carnoſiores. Ac paulò poſt ubi omnia uiſcera mẽbranis includi ſcribit, talem eſſe docet membranarum naturam, ut carne penitus uacent. Hæc autem cõtradictio amouetur, ſi phrenas, qua carnoſiores, qua uero membranoſiores eſſe conceſſerimus, quum hæc ſit omnium natura muſculorum, ut nõ ſint æque omni in parte carnoſi, ſed alicubi tenuiores, ac membranæ ſimiliores, alicubi carnoſiores. Nõ parum autem refert dicere, aliquam noſtri corporis partem eſſe membranam, aut membranæ ſimilitudinem habere: Phrenes igitur non ſunt membrana, ut minus recte eas nominat Plinius, ſed membranæ quadam ſua particula aſſimilantur. Præcordijs ſubeſt uenter, inquit Plinius, ſtomachum habentibus: cæteris ſimplex, ruminantibus geminus, ſanguine carentibus nullus: Inteſtinum enim quibuſdam ab ore incipiens, quadam uia eôdem reflectitur, ut ſepiæ & polypo. E diuerſo Ariſtoteles non geminum, ſed quaternum potius uentrem ruminantibus tribuit, quemadmodum ex eius uerbis, & ſecundo de hiſtoria animalium, & tertio de partibus ſcriptis apparet. Quæ uitãdæ prolixitatis gratia, ſicuti multa alia eiuſdem autoris teſtimonia adducere ſuperſedeo, liberum unicuique relinquens, ſuo ſingula loco legenda perquirere. Quod autem Plinius pariter ſcribit, nullum exanguibus eſſe uentrem, in hoc etiam ab Ariſtotele diſcrepat, qui libro allato de aquatilibus ſanguine carentibus diſſerens, partes ad uictũ pertinentes, in quorũ numero uenter eſt, neceſſariò ineſſe omnes eiſdem aquatilibus aſſerit: Imò de polypo ac ſepia, quorũ exempla in exanguibus uentre carentibus Plinius affert, eodem

Muſculus.

Phrenes unde denominationem ſortiantur.

A dem in loco ita ſcribit: Stomachus ſiue gula ab ore prælonga mollibus eſt, quam ingluuies excipit, quomodo auibus, cum uentre coniungitur, & inteſtinum uentri annexum ſimplex uſque ad exitum tendit. Sed hic quidem Plinius deerrauit, quoniam uentrem omnium aquatilium generi neceſſariū à natura tributum, ipſe detraxit: elephanto autem plures quàm uel Ariſtoteles, uel eadem omnium parens natura conceſſit. Siquidem quatuor elephanto uentres tradit Plinius. Ariſtoteles uero inteſtinum ita ſinuoſum eſſe elephantis ſcribit, ut uentres habere quatuor uideantur. Quare quum non parū interſit, an aliquid ſit, an eſſe uideatur, eodem errore Plinius uentres in elephantis, quo etiam iocinora in leporibus multiplicauit. Ex medio utriuſq; renis exire pinguedinem, præterquam in uitulo marino, autor eſt Plinius. Ariſtoteles uero renes totos pingui opertos deſcribit, nec pinguetudinem, ſed cauum quoddam è medio utriuſq; renis prodire ait, uitulum marinum etiam ipſe ut Plinius excipiens.

Plinij uerborum contradictio de uiperæ partu, quæ etſi eadem habentur apud Ariſtotelem, interprete Theodoro Gaza, defenditur tamen Ariſtoteles, & translatio taxatur. XXI

DVplicem uiperæ uuluam, atq; intra ſe generantibus tribuit Plinius, quaſi uipera non ſit de numero eorum animalium, quæ extra ſe animal generant. Quod genus erroris etiam Plinius admiſit libro uigeſimoprimo, capite decimoſeptimo, ubi de lappa ſcribit in hunc modum: Notabile & in lappa quæ adhæreſcit, quoniam in ipſa flos naſcitur non euidens, ſed intus occultus, & intra ſe germinat ueluti animalia, quæ intra ſe pariunt. Quid enim ſibi uolunt hæc Plinij uerba? quū de piſcibus ac uiperis, de quibus etiam ſcribit Theophraſtus, loquatur, quæ tamen
B non intra ſe, ſed extra magis animal pariunt. Quare de his ipſis multo ſanè rectius Theophraſtus libro ſeptimo de hiſtoria plantarum, ubi de aparine facit mentionem, ita diſſeruit: Notabile & in aparine (ſic enim Theophraſtus græce nominat herbam, quam ut antea notaui, nō puto recte à Plinio lappam nominari) quæ ſuæ aſperitatis cauſa ueſtibus adhæreſcit, ut difficile auferri poſſit. Naſcitur enim flos in eo ipſo hirſuto atque aſpero, non exiens, neque euidens, ſed intus matureſcens, & ſemen pariēs, ut illi ſimile ſit, quod in muſtellini generis piſcibus ac uiperis euenit. Illæ enim intra ſe oua pariunt, mox animalia gignunt. Sed quid Pliniū aliorum autoritate refello, quum ipſe ſuis, quæ alibi ſcribit uerbis, poſſit retundi? ueluti his quæ libro decimo, capite de conceptu uiperæ ac partu, in hunc modū ſcribit: Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua unius coloris, & mollia, ut piſces. Tertia die Cap.62 intra uterū catulos excludit, deinde ſingulos ſingulis diebus parit, uiginti ferè numero. Hæc autem omnia de uipera Plinius ex ſexto libro Ariſtotelis de generatione animaliū, ſed parū fideliter, accipit. Nam quod Plinius dicit uiperam excludere catulos, hoc uere, & Ariſtoteli cōſone, qui uult ſolam uiperam ex omni ſerpentum genere animal parere. Quod autē tertia die dicit hoc facere, non cōuenit cum Ariſtotele, qui tempus hoc triduanum non catulis extra uterum tribuit excludendis, ſed potius poſtq; membranis obuoluti fuere excluſi, earundem membranarū diſruptioni dat, ut uerior translatio oſtendit Theodori, quæ ita ſe habet: Vipera è ſerpentibus una animal ædit, quum intra ſe oua primū pepererit: ouum hoc unius coloris, & molle, ut piſcium: fœtus ſuperne conſiſtit, nec cortice continetur, ut nec piſcium quidem, parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdū ut qui in utero adhuc ſunt abroſis membranis prærumpant. Et hæc quidem omnia recte Theodorus, & ex ſententia Ariſtotelis; reliqua uero nō

C recte,ſed cum Plinio aberrans male Ariſtotelis ſenſum interpretatur,quum de uipera ſubijcit: Singulos diebus ſingulis parit,plures quàm uiginti numero: Poſtremo enim hæc uerba,tum apud Plinium,tum apud Ariſtotelem ita interpretatum, primis repugnant, atque ex his non modò Plinius, ſed etiam Ariſtoteles trahitur in contradictionem, quæ talis eſt: Si ſola uipera è ſerpentibus animal ædit,quum intra ſe primum pepererit oua,ut ait Ariſtoteles: uel ſi ſola terreſtrium intra ſe parit oua,& poſtea catulos excludit,ut Plinius inquit:Maraſſus autem,ſiue ſerpens, qui alio nomine uulgò Scurtio nominatur,hoc idem facit: primũ ſcilicet intra uterum parit oua, deinde animal extra emittit in lucem, ut mille millies ſuis ſe uidiſſe oculis teſtantur: ſequitur neceſſariò maraſſum & uiperam eſſe eandem ſerpentis ſpeciem, uarijs nominibus lingua uulgari apud uarias gentes nominatum. Et hoc prima, tam Ariſtotelis quàm Plinij uerba demonſtrant, poſtrema autem contrarium probant,hoc modo: Vipera parit catulos ſingulos ſingulis diebus uiginti ferè numero: Maraſſus autem parit catulos uel plures quàm uiginti, ſed non ſingulos ſingulis diebus, imò omnes uno die,ut ſæpius uiſum eſt: Ergo uipera atq; maraſſus non eſt eadem ſerpentis ſpecies. Syllogiſmus in ſecunda figura nectitur. Studeat autem Plinij patronus, ut tam facile Plinium ab hac contradictione tueatur,quàm facile nos principem philoſophorum huius grauiſſimi erroris ſuſpicione liberauimus. Studeant pariter græci grãmatiſtæ, ut ſeruata hiſtoriæ animalium ueritate, Theodori Gazæ translationẽ defendant, ſicuti nos uerba ipſa græca Ariſtotelis aliter interpretantes, omnem ſuſtulimus è medio cõtradictionem: ſed hoc alio fecimus loco.

Error Plinij, duplicem uiperarum uuluam exiſtimantis: De ſeui & adipis à Plinio male facta differentia: De ſerpentibus quibus ille ſpinas tribuit. XXII

D Nunc ad alterum Plinij errorem in uerbis eiſdem refellendũ reuertamur: Neque enim uipera duplicem uuluam habet, imò unam tantum, cuius, ſicuti in cæteris quæ intus quidem oua, extrà autem animal pariunt, ea pars qua oua continentur, infrà lumbis adiungitur, & ſupra inteſtina oſtium continetur, quemadmodum tum in libris de partibus, tum etiam de generatione animaliũ multis alijs in locis, teſtis eſt locupletiſſimus Ariſtoteles. Quod ſi per duplicem uuluam bifidam ſeu bipartitam Plinius inſinuat, non erit hoc uiperarum, & ſimilis naturæ animalium peculiare, imò aliarum omnium, quæ tam intrà quàm extrà animal generant, quod etiam de bobus & mulieribus hoc eodem loco Plinius affirmat. Nam has quidem ait geminos ſinus ab utroque laterum habere, boues uero grauidas in dextro tantum ſinu ferre, etiam cum geminos ferant. Male etiam & contrà quàm Ariſtoteles inter ſeuum & adipem notat Plinius differentiam: concretum enim hunc ſcribit, & quum refrixit fragilem, ſemperq; in fine carnis. Hæc autẽ de ſeuo, non de adipe, & tertio de hiſtoria animalium, & ſecundo de partibus ſcribit Ariſtoteles. Cunctis quoq; animalibus quoddam in oculis pingue eſſe Plinius inquit, neq; ea excipit, quæ quum præduros habeant oculos, pingui omnino in ipſis uacant. Rectius autem Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium tertio, de eadem re loquitur in hunc modum: Omnium uero animaliũ cõmune, pupillæ inſtitutio eſt: Omnibus enim quæ partem hanc poſſident, nec duris oculis ſunt, adipe conſtat. Serpentibus Plinius ſpinas tribuit Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animalium eiſdem ſerpentibus, non ſpinas, ſed naturam oſſium ſpinaceam eſſe refert. Sicuti idem Ariſtoteles uitulum marinum, non cartilagine, ut Plinius, ſed cartilaginoſis oſſibus conſtare tradit.

A *Plinij error, piſces ſine neruis eſſe, & arterias priuatas ſanguine dicentis. Plinij in æra ac lolio defenſiones improbantur.* XXIII

PLinius pariter inquit, ſine neruis eſſe quædam animalia, ut piſces. Sed quum omne piſciũ genus ſanguinis particeps ſit, ut autor eſt Ariſtoteles libro de hiſtoria animaliũ ſecundo, quibus autem datus ſit ſanguis, eiſdem neruos adiunctos eſſe, idem Ariſtoteles libro de hiſtoria animaliũ tertio itidem ſcribat, piſces etiam in ſanguineo genere habere neruos eſt neceſſariũ. Cur arteriæ careant ſenſu, cauſam affert Plinius: Quoniam etiam ſanguine uacant, quaſi ſanguis, non autem neruus, uel caro ſint uirtutis tactoriæ inſtrumentũ. Sed neq; uerum eſt, arterias carere ſenſu, ſicuti neq; uenas: Neq; etiam ſanguine omnino uacant, quemadmodũ Galenus omnium princeps medicorum opere ad id dedicato cõtra Eraſiſtratum demonſtrauit. Quod ſi in uenis tantum ſanguinẽ contineri Plinius exiſtimauit, quod etiam uidetur ſentire Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium tertio, qui forte uenarum uocabulo arterias quoque comprehendit, iuxta Hippocratis uetuſtiſſimi medici conſuetudinem, cur paulò poſt Plinius aues, nec uenas, nec arterias habere dixit? quum nemini dubium ſit, aues inter ſanguine prædita, non autem exanguia animalia computari. Quare quum ſanguis ſecũdum Ariſtotelem libro allato, nulla alia conceptacula habeat præter cor & uenas, ſi aues ſanguinem habeant, ut uiſus oſtendit, quũ ſine uena ſanguis eſſe non poſſit, aues uenas etiam habebunt neceſſario. Hi ſunt partim codicis, partim ipſius autoris errores, quos ex uno unius libri capite tantum colligendos cenſuimus, ut Plinij patronum admoneremus fruſtra ſe apud ſuos ciues fuiſſe gloriatum, tanquam Plinio ex unius loci ſola aduerſus nos defenſione, ab omni errorum ſuſpicione liberato: atque inſuper ipſum do-
B ceremus plures alias ſupereſſe in codice mendas corrigendas, nec pauciora ipſius autoris errata defendenda: in quibus tamen (ſi quis ſit eorum, quæ hic aguntur inferis ſenſus) Plinius malit forte non defendi, quàm ita ſicuti in æra defendi, in qua meritò cõqueri poteſt ſe multo infelicius, quàm ſit lolium ipſum, habuiſſe patrocinium. Primus enim Hermolaus hunc Plinij errorem tali eſt ratione depre- *Lib. 18. cap. 17*
catus, quod quum nondum ſatis eſſet in Italia compertum, lolium circumligando ſe triticum enecare, Plinius tutius putauit uti uocabulo græco, quàm latino. Nos in noſtra ſuper hoc ad Hermolaum epiſtola, talem pro Plinio defenſionem ita repulimus, non magis Græcos nouiſſe æram, quàm Latinos lolium eſſe herbam amplexicaulem, quum ſit ubiq; terrarũ recticaulis: Quare ſiue græco, ſiue latino Plinius uteretur uocabulo, nullo modo potuiſſe dicere æram uel lolium circumligando ſe triticum enecare. Poſt Hermolaum quidam leguleus ſpreta & græcorũ & latinorũ interpretum autoritate, auſus eſt dicere, æram non ſignificare apud Græcos lolium, ſed herbam aliam, quam nos uulgò uolutulam nominamus. Tertius iſte, cõtra quem nunc diſputamus Plinij patronus, æram mutauit in herbã, quam melius fuerat non mouiſſe: nam adeò grauem iactauit odorem, ut anagyros uideri poſſit, quam Græcorum prouerbium iubet non moueri, ne mota peius oleat.

Plinij patroni errores nonnulli ad anatomicen attinentes notantur: Et quid per pharynga Galenus intellexerit, declaratur ex Homeri à Galeno citati, autoritate. XXIIII

SEd poſtquam ſatis de Plinij erroribus egimus, iam ad Plinij patronum, qui nobis dedit Plinium taxandi occaſionem, ſimul & ipſum refellendũ reuertamur. Nam præter contradictionis errorem, quem capite octauo libri tertij ſuæ anatomices ipſum admiſiſſe antea oſtendimus, etiam in pluribus alijs delinquit. Primum

C quod tracheam arteriam dicit à Græcis nominari pharynga: quod falſum eſt, ſi hoc uocabulum in propria ſignificatione ſumamus: Nam ut teſtatur Galenus in commentatione illius Aphoriſmi quartæ particulæ Aphoriſmorũ: Si à febre habito, tumore non exiſtente in pharynge, id eſt faucibus (ſic enim etiam Theodorus hoc uerbum uertit) caput arteriæ à Græcis larynx, id eſt guttur appellatur: Nam & Theodorus ita larynga latine nominat guttur. Spacium autem illud, quod eſt ante larynga & iſophagum, id eſt guttur & gulam, pharynx proprie ab eiſdem Græcis nominatur: in quo ſignificato dicit etiam Galenus hoc nomen ab Homero accipi, ubi idem Homerus ait, uinũ & fruſtra carnis humanæ per pharynga Cyclopis erũpere. Caueat ergo Plinij patronus, ne quam damnat Platonis opinionem, uolentis potum per tracheam arteriam ad pulmonem defluere, multo faciat in Homero abſurdiorem, ſi uoluiſſet non modò potum, ſed etiam cibum euomi à cyclope per pharynga, id eſt tracheam arteriã, ut eam Plinij patronus, uult à Græcis nominari. Galenus etiam libro quarto de membris paſſis, qui de interioribus apud Latinos inſcribit, quid per pharynga intelligat, declarat his uerbis: Pharynga autem nomino interius oris ſpaciũ, ad quod pertingit extremũ gulæ ac gutturis, neq; aliud per pharynga Galenus intelligit, quũ dicit libro ſeptimo de utilitate partiũ, tracheam arteriam per larynga pharyngi copulari. Quanquam poſtea idem Galenus circa initia libri octaui eiuſdem tractationis, ſcribat tracheam arteriam pharynga æquiuoce illi quæ eſt ante larynga nominari. Sed nos hic de proprio & uſitato pharyngos ſignificato diſputamus: Nam Galenus quoque alio in loco ſcilicet tertio libro prognoſticorum, exponens uerba Hippocratis, quæ in græco codice ita ſe habent: *Αἱ δὲ κυνάγχαι δεινόταται μὲν εἰσὶν, καὶ τάχιστα ἀποκτείνουσιν ὁκόσαι, μήτε ἐν*
D *τῷ φάρυγγι μηδὲν ἔκδηλον ποιέουσιν, μήτε ἐν τῷ αὐχένι.* Hoc eſt, ſi latine dicere libeat: Anginæ autem grauiſſimæ ſunt, & citiſſime perimunt, quæcunque neque in pharynge, id eſt faucibus, neque in ceruice, aliquid manifeſtum faciunt. Galenus inquam uerbum græcum pharyngi, quid hoc in loco ſignificet, ita declarat: Per ceruicem collum intelligitur, per pharynga autem ſpaciũ illud, quod ſe oculis repræſentat, ſi ore aperto lingua prematur, in quo duo orificia continentur, alterum ſtomachi, alterum laryngis: Hoc eſt, ſi latine loqui uolumus, alterum gulæ, alterum gutturis. Sic enim hæc uerba Theodorus uir græce ac latine doctiſſimus, ubiq; in ſuis translationibus interpretatur: ſicuti & uerbum græcum pharynga dicit latine fauces: quamuis Plinius ſummum gulæ fauces uocari dicat, poſtremum ſtomachum: Nos uero pharynga à Græcis non ſummũ gulæ, ſed locũ ad quem tam ſummum tracheæ, quàm etiam iſophagi peruenit, dicimus autore Galeno nuncupari.

Aphoriſmo 34.

Quid ſit proprie pharynx.

Platonis opinionem habes apud Macrobiũ libro Satur. 7. cap. 15.

Fauces.

Error Auicennæ ſeu potius eius expoſitorum, non recte gutturis partes enumerantium. XXV

MOnet autẽ me hic locus, qui ſoleo libentius contra homines barbaros, quàm latinos agere, præſertim uiuentes & mihi amicos, quos non taxarem, niſi ipſi prius rupto amicitiæ fœdere me carpere anticipaſſent, ut Auicẽnæ uel ſaltem eius expoſitorum errorem patefaciam, qui de his humani corporis partibus, de quibus nunc diſputamus, in ſuis libris aut cõmentationibus ſcribentes, uiſi ſunt ab Hippocrate atq; Galeno diſcordare. Auicẽna ſiquidẽ tertio ſui canonis libro, Fen nono, cap. primo de diſputationibus gutturis, hæc uerba ſcribit: Per guttur intelligimus ſpaciũ in quo ſunt meatus anhelitus & cibi. In quibus uerbis mihi uidetur Auicenna idem ꝗd Galenus uoluiſſe dicere, quũ libro quarto de interioribus ſcribit: Pharynga aũt nomino interius oris ſpaciũ, ad quod pertingit extremũ gulæ ac gutturis,

A gutturis. Solent enim Arabicæ tranſlationes pro uerbo pharynga apud græcos autores guttur latinum habere, ut ſanè habet tranſlatio Arabica, libro prognoſticorũ, loco à nobis ſuperius allegato, ubi Hippocrates pharynga nominat: quãuis ſi proprie loqui uelimus, uerbũ guttur nõ pharyngi, ſed laryngi, id eſt parti extremæ os uerſus tracheæ arteriæ, quæ pars extrema ad pharynga terminaт̃, rectius accommodetur. Sed omiſſa proprietate locutionis, quoniam diſputatio de nominibus paruam habet utilitatem, ſiue pharynx guttur, ſiue fauces latine dicatur: certum eſt ſpacium illud quod Græci pharynga nominant, non continere utrunque meatum anhelitus & cibi, ſi per meatum anhelitus totam tracheam arteriam intelligamus, per meatũ autem cibi totũ meri: Liceat enim mihi barbaros uolenti refellere, his uti uocabulis, quibus ipſi in ſuis libris utuntur, ne ſi aliter ꝙ ipſi fuero locutus, uidear ipſos nõ in re illa, de qua ipſi loquunт̃, ſed in alia potius per calumniam reprehendiſſe: Vitanda eſt enim mihi omnino huius culpæ ſuſpicio, tum in omni opere, tum præcipue in hoc, in quo me aduerſus Plinij patronũ defendo, qui me tanquam parum pudenter Pliniũ calumniantem, in ſua accuſat præfatione. Sic autem etiam uiſus eſt & ipſe Auicẽna intelligere, qui eodẽ capite remittit nos ad anatomiam epiglotti & meri, quam ſe alibi docuiſſe innuit. Manifeſtiſſime autẽ quidam ex recentioribus, qui nuper haberi cœpit in precio, in expoſitionẽ huius loci Auicennæ, ita ſcribit: In prima parte primo ait, quod gutur eſt ſpacium ſeu pars corporis, quæ protenditur inferius à radice menti ad oſſa furculæ, & in ſe continet meatum anhelitus, quem cannam pulmonis, arteriam uocalem, & tracheam arteriam uocare ſolemus, & meatũ cibi, quem medici appellant meri, & iſophagum, & uuam ſiue uuulam, quæ cooperit epiglottũ, & duas amygdalas, quæ ſunt duæ

B paruæ auriculæ in radice linguæ, & galſamat. Hæ omnes tanquam gutturis partes quas expoſitor iſte cõnumerat, aliquæ ad collum pertinent, aliquæ ad os. Trachea quidem arteria, ſiue canna pulmonis, & iſophagus, ſiue meri, ad collum: uua autem ſiue uuula, & duæ amygdalæ, ad os, & (ut arbitror) etiam galſamat, quanꝗ de uocabulo barbaro nolo decernere. Tracheam autem arteriam & iſophagum eſſe colli partes, liquidò oſtendit Galenus circa initia libri octaui, de utilitate partium, ubi probat collum eſſe factũ propter tracheam arteriam, argumento piſciũ, qui aut nullũ collũ habent, aut breue omnino, quia trachea carent arteria. Quo in loco idem Galenus inter alias colli partes etiã iſophagũ numerat. Idem pariter autor libro undecimo, de utilitate partiũ ſcribit hæc uerba: Particularũ itaq; quæ ſecundum os manifeſtæ iam factæ ſunt, quoniam neq; fruſtra, neq; defectuoſa eſt aliqua: ſed mole corporis, & conſiſtentijs, & plaſmationibus, & poſitionibus, uniuerſæ optime conſtitutæ ſunt. Etenim ſi aliquas earum non expoſuimus, euidens eſt ex prædictis: Sufficit enim in una uel duabus memorari particulis utilitatẽ uniuſcuiuſque quæ eis inſunt, ſicuti & in lingua fecimus: Quæ enim de illa ſunt dicta, cõmenſuritatem laudantibus nobis magnitudinis, habebis utique cõſiderans inuenire in omnibus ſimiliter. Nulla denique eorum eſt ita parua, ut deficienter miniſtret, neque intantum excedit magnitudinem, ut comprimat aliquam aliarum, aut ab alijs anguſtetur: ſed foramina quidem naſi apud expirationem ſufficientia ſunt, columnæ uero magnitudo ad tres utilitates competentiſſima eſt, & epiglottis tam magna, & talis mole corporis, quantum magna eſt, claudi debens particula. Ita autem & larynge, & ſtomachi porrus, hic quidem in reſpirationibus & uocibus, illæ autem in ciborũ tranſitibus ſufficientem habent magnitudinem. Similiter dentiũ unuſquiſq;, & reliqua. Hæc omnia Galenus iuxta tranſlationẽ quæ in uſu habetur, laudans naturæ artificiũ, in partium oris conuenienti formatione,

C Inter quas, ut uidere licet, & foramina naſi interiora, & columnam, id eſt uuam, & epiglottida, & laryngis, id eſt gutturis, & ſtomachi, id eſt meri, ſiue gulæ orificium una cum lingua & dentibus collocat. Sic Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium, id quod intra maxillas & labra deſcribitur, os eſſe dicit: Oris uero partes, palatum, fauces, linguam, tonſillas, dentes: Colli autem partes eſſe uult, arteriam anteriorem, gulam poſteriorem. Videtur autem Auicenna ſecundum noui expoſitoris declarationem, non porum ſiue meatum laryngis, quam recentiores abutentes uocabulo epiglottum nominant: ſed totam tracheam arteriam, non ſupremum orificiũ gulæ, ſiue meri, ſed totum meri cum uua, epiglotto, & duabus amygdalis, tanquam ſint eiuſdem membri partes, quod guttur appellatur, coniungere: quas tamen Galenus ſeparauit, & diuerſis membris, alteras ſcilicet collo, ut tracheam arteriam, & iſophagũ: alteras uero, ſicuti orificia gutturis & gulæ ſimul, ac præterea columnellam, quam recentiores uuam appellant, ori contribuit: Nam quod columnellam ſiue uuam, Galenus uelit eſſe partem oris, & nõ colli, uel gutturis, indicant uerba eius libro primo de differentijs morborum, in quibus oſtendit uuam abſciſſam eſſe palati, & non colli, uel gutturis paſſionem. Hoc uero in loco Plinij patronum admonitũ uelim, ſe non recte in ſua anatomice columellam uocare eam palati partem, quam Græci chionida uocãt, id eſt paruam columnam, cuius effigiem repræſentat: Debuit enim non columellam, ſed columnellam eadẽ ratione dicere. Nos tamen non multum de nominibus laboramus, niſi quod hominem, non magis rerum, quàm etiam nominũ in eo tractatu ſcientiam profitentem, uellemus fuiſſe plus quàm barbari ſoleant, etiam in nominibus diligentẽ. Non eſt

D autem dignũ admiratione, ſi corpora quidem, & tracheæ arteriæ, & iſophagi, ſiue meri collo Galenus demandauit, orificia autem ſiue porum eorum ori: quoniam hæc duo (ut ait in cõmentatione libri prognoſticorũ ſuperius allegata) in faucibus continentur. Fauces autem licet ſint in confinio oris & colli, ad os tamen magis uidentur, quemadmodũ & palatũ, pertinere. Quare ſi uelimus Galenũ atq; Auicennam eius interpretem concordes facere, aut ſaltem minus diſcordes, debemus illud quod ſuprà diximus, poſthabitis barbaris expoſitionibus, dicere, Auicẽnam per guttur pharynga, id eſt fauces intellexiſſe, hoc eſt (ut ipſe declarat) ſpacium illud, in quo ſunt meatus anhelitus, & cibi, id eſt orificia ipſa, tracheæ arteriæ atque meri, non tota corpora quæ ad collum ut diximus, & non ad fauces attinent. Hanc autem noſtram expoſitionẽ confirman t uerba Auicennæ, ſi diligentius cõſiderentur, paulò poſt priora ſubiuncta: Et tu iam ſciuiſti anatomiam meri, & anatomiam epiglotti: Neq; enim dixit anatomiã tracheæ arteriæ, ſed epiglotti, id eſt laryngis, ſiue ſupremæ partis arteriæ, quæ ex tribus cartilaginibus conſtat, quam Græci larynga, barbari epiglottũ, uocabulo (ut diximus) abutentes, appellant. Latini commode guttur poſſunt nominare: cuius laryngis ſiue epiglotti meatus ſecundũ Galenum in faucibus parte oris continetur: Volens nobis per hoc Auicenna inſinuare, quod per meatum ſpiritus non totam tracheam arteriam, ſed tantum laryngis ſiue epiglotti orificium intellexit. Quod idem & de ſupremo orificio meri, quod meatũ cibi nominat, & nõ de toto meri eundem ſenſiſſe Auicennã debemus exiſtimare. Atq; ita in his duabus gutturis partibus per guttur fauces intelligendo (ut barbari hoc uerbum guttur accipiunt) erunt Galenus atq; Auicenna concordes: In eo ſanè diſcordes, quod Galenus uuam non in faucibus, ſed in palato locauit: ſicuti duas amygdalas, quas ille græce pariſthmia nominat, neq; ipſas in faucibus, ſed in loco admodũ proximo, ſeu potius cõtiguo poſuit. Scio tamẽ eſſe inter Gentilem atq; Mundinũ de poſitu duarũ amygdalarũ diſcordiã, quã ad alium tractatũ

in quo

A in quæ de Mundini erroribus in Anatomice ſumus acturi, diſcutiendā reſeruamus.

Error Auicennæ atq; eius expoſitorum, in muſculis meri ſiue gulæ. XXVI

SEd quoniam de Gentile facta eſt mentio, uetuſtiore Auicennæ expoſitore, uideamus quid & ipſe de gutturis partibus ſecundum Auicennam ſentiat, & an ipſe faciat inter Galenū ac Auicennam ſua expoſitione cōcordiam, uel potius maiorem ea quæ facta eſt à nouo expoſitore diſcordiam. Verba Gentilis Auicēnam exponentis, ubi quid per guttur intelligat nititur declarare, ſunt hæc: Conſiderandum ſecundo quod guttur accipitur tripliciter. Vno modo pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione mouetur ſurſum & deorſum, & ſic ſumitur primo Canonis, Fen prima, capitulo de anatomia muſculorū gutturis. Secundo modo pro principio cannæ pulmonis præter meri, & ſic ſumitur à Gerardo Cremonenſe in gloſſis, capite de ſquinātia. Alio modo ſumitur pro ſpacio comprehendente illa quinq; membra prædicta, & ſic ſumitur hic, & tertio pro gnoſticorū. Hæc uerba poſtrema Gentilis de tertia acceptione gutturis, conantur quidem Auicennam cum Hippocrate atq; Galeno facere conſentientem: quantum uero, ſi ita guttur hoc loco accipiatur, ut putat Gentilis, diſſentiat, ſatis ſuprà fuit à nobis oſtenſum, quū quid per pharynga, pro quo habet translatio Arabica guttur, Hippocrates intellexerit, ſecundum expoſitionem Galeni declarauimus. Quare omnia quæ diximus contra nouum Auicennæ expoſitorem, faciunt etiam contra uetuſtiorē, tanto etiam magis errantem, quanto citat locum ex tertio prognoſticorum, qui eſt omnino eius expoſitioni cōtrarius. Prima uero acceptio gutturis maximam dat inter Galenum atq; Auicennam diſcordiarum aperiendarum occaſionem: quoniam capite illo libri primi de anatomia gutturis, quod Gentilis

B allegat Auicennam de gutture, æquiuoce loquitur. Primum enim quū dicit guttur duo habere paria, quæ ipſum ad inferiora trahunt, per guttur tracheam intelligit arteriam. Quū uero poſtea in fine capitis dicit: Gutturis uero muſculi, ſunt duo muſculi gutturoſi apud gulam poſiti, in tranſglutiendo adiuuantes: per guttur intelligit pharynga, id eſt fauces, de quibus ſatis ſuprà dictum eſt. Hanc autem nominis gutturis in hoc capite apud Auicennā æquiuocationem probare poſſumus ex his, quæ partim Galenus & in ſuis de Anatomice libris, de quatuor muſculis ſcribit tracheæ arteriæ, qui ipſum cōtrahunt anguſtantq;, & duobus fauciū, qui tam uoci, quàm etiam deglutioni obſeruiunt, tum ex ſimilibus quæ Aliabas etiam nono Theoricæ dicit de lacertis mouentibus iugulum per iugulum tracheam intelligens arteriam, & de muſculis mouentibus gurgulionem, quod nomen apud ipſum ſignificat fauces, ut ex multis licet cōijcere, quæ Galenus de pharynge, ille aūt de gurgulione loquitur. Vt aūt hæc omnia fiant euidentiora, et quî conueniant, quîue diſſentiant hi tres autores, Galenus, Aliabas, atq; Auicenna, de eiſdem loquentes muſculis, eorum uerba in medium adducemus: & primum Galeni de muſculis tracheæ arteriæ, in hunc modum ſcribentis: Tracheæ arteriæ quatuor ſunt muſculi ipſam contrahentes atq; anguſtantes quando intenduntur, & retrahentes os quod V literæ formam habet, & laryngem. Oriuntur aūt maiores ex ipſis ex inferiore termino lineæ rectæ oſſis Y literæ formam habentis: deinde ſecundum totius arteriæ delati longitudinem, innaſcuntur pectori in parte interiori. Viderentur aūt tibi aliquando eſſe bipartiti hi duo muſculi. Alij uero duo à lateribus & inferioribus partibus cartilaginis, ſcuti formā habentis exorti terminantur, & ipſi ad pectus apprehendentes arteriam. Alio aūt capite de muſculis faucium, idem Galenus in hunc modum ſcribit: Spacium quoddam præiacet, cōmune gulæ ac gutturis, ad quod commune ſpacium utrunq; orificium ter-

C minatur. Vocant aũt ſpacium quidem ipſum iſthmum, quoniam anguſtum eſt & oblongum: Corpus autem ipſum comprehendens, pharynga nominant, id eſt fauces: quibus utrinq; unus eſt muſculus, qui & deglutioni & locutioni obſeruit. Quæ etiam Galeni dicta magis confirmat frequens huius uocabuli pharyngos, apud Græcos (ut antea diximus) ſignificatũ, pro ꝙ Arabicæ translationes guttur habere ſolent, ut etiã probatur ex Auicẽnæ primo Canonis, capite xij. à Gentile allegato, hos duos muſculos deglutioni ſeruientes, muſculos gutturis, ſeu gutturoſos nominãtis, autoritate. Aliabas aũt qui pro trachea arteria iugulũ ſcribit, pro faucibus gurgulionẽ, de quatuor muſculis mouentibus iugulũ ſcribit in hunc modum: Porrò qui iugulũ mouẽt lacerti quatuor ſunt, incipiẽtes à pectoralis interioribus, quorũ duo oſſi cõtinuantur ſimili λάμβδα græco, & ad inferiora trahunt, & lacerti duo alij continuati, quæ umboni ſimilis eſt cartilagini, & etiam ad inferiora deducunt. Paucos infra uerſus ſcribit hæc uerba: At gurgulionem lacerti qui mouent duo ſunt, & Arabice dicti magnage, quorũ alter à dextris eſt poſitus, alter à ſiniſtris, fuitq; eorum neceſſitas, quo adiuuarent transglutionem, & uocem. Hæc Aliabas. Auicenna autem capite, quod in ſua expoſitione Gentilis allegat, uolens guttur aliquando accipi pro corpore aggregante epiglottũ, & meri, ita de eiſdem ſex muſculis ſcribit, quorũ quatuor ad tracheã arteriam à Galeno, ad iugulum autẽ ab Aliabate: duo uero à Galeno ad fauces, ab Aliabate ad gurgulionẽ: communiter autem ad guttur ab Auicenna referuntur: quod fecit errare in ſua expoſitione Gentilem. Auicenna inquam, ita & ipſe ſcribit: Guttur in ſumma duo habet paria, quæ ipſum ad inferiora trahunt: unum eorum eſt par, quod iam in capitulo epiglottis nominauimus: & alterum eſt par etiam ex thorace naſcens,
D quod eleuatur, & cum λάμβδα continuatur primo, poſtea cum gutture, & trahit ipſum ad inferiora. Gutturis uero muſculi, ſunt duo muſculi gutturoſi, qui ſunt duo muſculi apud gulam poſiti, in transglutiendo adiuuantes. Hæc Auicenna. Par autem muſculorum, de quo dicit ſe feciſſe mentionem, in capitulo de epiglotto, eſt illud par de quo in præcedenti capite dixit, quod eius origo eſt interius in thorace, & uadit ad peltalem, & eſt ſecundum par apud Galenũ dicentem, quod alij duo muſculi naſcantur à lateribus, & inferioribus partibus cartilaginis, ſcuti formam habentis, quam cartilaginem peltalem Auicenna nominat, & dicit terminari ad pectus: Licet Auicenna in hoc à Galeno diſcors, ubi eſt terminus iſtorum muſculorũ, ibi originem ponat, & contrà illuc tendere dicat, unde oriuntur. Simili errore diſcordat etiam in ſecundo pari, quod eſt primum apud Galenum, quod Auicenna ait etiã ex thorace naſci, & releuari, & cum λάμβδα cõtinuari primo, poſtea cum gutture, & trahere ipſum ad inferiora, quum tamen Galenus dicat, hos duos muſculos ortum habere ex inferiore termino oſſis habentis formam literæ υ, & deinde latos ſecundum longitudinem totius tracheæ pectori innaſci. Quæ Galeni uerba non parum differunt à uerbis Auicennæ, dicentis eos eleuari, & cum λάμβδα primum continuari, poſtea cum gutture. Nec ſolum in ortu & termino horum muſculorum Auicenna à Galeno diſcrepat, ſed etiam in utilitate: quoniam Galenus uult eos eſſe factos ad contrahendam atq; anguſtandam tracheam arteriam: Auicenna autem ad trahendam eam inferius. In quo etiam uſu, ſicuti etiam in origine, & fine, licet Aliabas uideatur Auicennæ adſtipulari, ego tamen in his quæ ad anatomicen attinent, maiorem præſto Galeno autori in hac parte medicinæ peritiſſimo, quàm Arabibus autoribus fidem, quũ Auerrois in eadem gente autor eximius, ingenue fateatur, hanc ipſam medicinæ partem ſuo tempore fuiſſe ignoratam: Et alioquin Galeni acerrimus æmulus, ipſa tamen cogente

A gente ueritate cōcedat, ipſum uel Ariſtoteli in anatomice eſſe præferendum. Sed hæc obiter dicta ſunt, uolentibus nobis expoſitionem Gentilis ſuper prima gutturis acceptione refellere: quæ præterquam quod & Galeno & etiam Auicennæ repugnat, plures etiam alias habet difficultates. Quæri enim à Gentile poſſet: ſi guttur accipitur primo Canonis, Fen prima, capite de anatomia muſculorum, pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in tranſglutione mouetur ſurſum ac deorſum, cur Auicenna eodem capite ſex tantum duorum corporum muſculos enumerat: quū muſculi alterius tantum, ſcilicet epiglotti ſecundum Galenum ſint ferè uiginti, ſecundum autem Auicennā decem & octo: quibus ſi addantur alij duo adiuuantes deglutionem, fient ſecundum alterutram opinionem uel uiginti, uel uiginti duo. Quod ſi reſpondeat Auicennā eo capite tantū de his muſculis agere, qui mouent corpus aggregans epiglottum & meri tempore deglutionis, & non alios alijs, uel meri, uel epiglotti motibus ſeruientes, Gentilem inſuper altera quæſtione uexabimus, cur Auicenna duo tantum paria nominat muſculorum, quæ guttur trahunt ad inferiora, & non etiā totidem alia, quæ ipſum trahunt ad ſuperiora: ſiquidem guttur, hoc eſt corpus aggregans epiglottum atque meri, mouetur ſurſum atque deorſum tempore deglutionis: Impoſſibile enim uidetur, ut duo motus contrarij per eoſdem muſculos fiant, quum unuſquiſque muſculus uerſus proprium principium referat particulam quam mouet, ut Galenus & libro undecimo de utilitate partium, & pluribus alijs edocet locis. Vellem Gentilis uiueret, ut his meis quæſtionibus uel dubitationibus reſponderet: Sed quod mortuus non poteſt, Plinij patronus uiuens pro Gentile reſpondeat, quandoquidem & ipſum ſimiles angunt quæſtiones, qui in ſua anatomice epiglottidis, gutturis, ac gulæ triginta duos muſculos ſimul enumerat, nec quot epiglottidi, quot gutturi, quot'ue gulæ, ſingulis ſcilicet ſeorſim aſſignet, nobis inſinuat. Quod ſi per guttur tracheam intelligit arteriam, & ſuperiorem eius terminum, quod Græci & laryngen, & bronchi caput aliquando nominant, erunt ipſius quidem arteriæ muſculi quatuor, ut ſuprà monſtrauimus ex Galeni atque Aliabatis autoritate: laryngis uero ſecundum Galenum uiginti ferè numero, ſecundū Auicennam aūt qui larynga epiglottū nominat, decem & octo. Quare ſimul iuncti erunt uel uigintiquatuor, uel uigintiduo. Decem ergo ſupererunt, epiglottidi & gulæ diſtribuendi. Sed Plinij patronum ſeorſim interrogabo, apud quem autorem legerit epiglottida, quam Plinius nominat linguam minorē, habere muſculos: an apud Auicennam primo canonis Fen prima, capite de anatomia muſculorū epiglotti? Verum Auicenna in hoc capite, ſicuti & in alijs, in quibus de epiglotto facit mentionem, per epiglottū non linguam minorem intelligit, ſed larynga, hoc eſt membrum conſtans ex tribus cartilaginibus, creatum (ut inquit) ut ſit uocis inſtrumentum. Quod etiam Galenus de larynge, nō aūt de lingua minore dicit, quod idem de broncho in gutturis ſuprema parte ſito, ipſe Plinij patronus per hæc uerba innuit: Bronchus in gutturis ſuprema parte ſitus eſt, pelliculare membrum, muſculoſum, neruoſum, cartilaginoſumque, ut argutius ſit, in quod percuſſus ſpiritus, ſonus aut uox ipſa perfectius elidatur. Equidem neſcio quo pacto poſſit ſe Plinij patronus à tam craſſo errore defendere, niſi planè deficiat ad Barbaros, & ſe per epiglottida non minorem linguam, ſeu operculum quoddam tracheæ arteriæ, ut antea epiglottida expoſuit, ſed id uocis inſtrumentum, quod illi abutentes uocabulo epiglottum appellant, dixerit intellexiſſe: Sed quantumuis transfuga, neque ſic noſtræ obiectionis laqueos effugiet: Sic enim & epiglotto uocis inſtrumēto principali uiginti ut uult Galenus, muſculi contribuentur, tracheæ arteriæ quatuor,

C Quare ex trigintaduobus muſculis epiglottidis, gutturis ac gulæ, reſtabunt octo gulæ ſeorſim aſſignandi. Gulam aũt, ſiue (ut Græci loquuntur) iſophagũ, aut meri, ut Arabes, octo habere muſculos neque apud Græcos autores, neq; apud barbaros uſquam Plinij patronus, quantũuis ſtudeat, poterit reperire. Quo fit ut multis modis Plinij patronus aberret, quũ etiam muſculos epiglottidi attribuat: quos ſi recte loqui uolebat, broncho debebat tribuere: quanq; etiam in broncho delinquat: nam id membrũ pelliculare, muſculoſum, neruoſum, cartilaginoſumq;, præcipuum uocis, de quo ipſe loquitur, inſtrumentum, non bronchus à Græcis ſed bronchi caput nominatur: quoniã, ut inquit Galenus, & ipſam arteriã bronchum nominant. Quare quũ Plinij patronus ſcribit bronchum eſſe in gutturis ſuprema parte conſtitutũ, nihil aliud dicit, niſi guttur eſſe in ſuprema gutturis parte: ſiue tracheam arteriã in ſuprema arteriæ parte, rem dictu ridiculã, conſtitutã: Nam ſecundum Plinij patronũ tracheam arteriam Latini proprio uocabulo guttur nominãt. Et hæc quidem priuatim contra Plinij patronũ, uel male muſculos ſupputantem, uel barbaris utentem uocabulis, ſint à nobis dicta. Communiter aũt cõtra ipſum atq; Gentilem, immo omnes ferè medicos barbaros, & recentiores qui barbaram medicinã ſequunt̃, illud de gula ſiue meri dicere poſſumus, quod etiã de epiglottide, id eſt minori lingua diximus: gulam, aut iſophagũ, aut meri, quocunq; nomine, uel græco, uel latino, uel barbaro uocare libeat, nullos habere muſculos motui illi obſeruientes, quo gula deorſum fertur. Larynx autem, aut epiglottus, aut guttur, *hæc enim omnia nomina illi inſunt* membro, præcipuo uocis inſtrumento, quod male à Plinij patrono bronchum appellari diximus, quũ ſit nõ bronchus ſimpliciter, ſed bronchi, id eſt aſperæ arteriæ caput, ſurſum mouet̃ tempore deglu-

D tionis: Is enim motus eſt mere naturalis, non autem, ut medici iuniores ſentiunt, ex naturali & animali cõpoſitus: Quare ad eum nulli muſculi ſunt neceſſarij, ſed illi tantum quos Græci Inas, medici recentiores uillos, per quos uis attractiua naturalis ſuũ exercet opus. Et hoc eſt propriũ Galeni dogma, quod multis in locis librorũ ſuorum de uirtutibus naturalibus manifeſtat: Quare nuſquam in ſuis de Anatomice libris, ſiue alijs, in quibus de uarietate loquit̃ muſculorũ, ullam facit de muſculis iſophagi, id eſt gulæ mentionẽ. Sed neq; Auicenna ipſe primo Canonis, ubi de omnibus muſculis per ſingula membra tractat, copioſius meri muſculos nominat alicubi, ſed ſolũ muſculos gutturis, quos dicit adiuuare deglutionẽ: per guttur pharynga ſeu fauces intelligẽs, ut antea declarauimus. Aliabas quoq; tertio Theorices de lacertis meri nec unũ facit uerbũ, ſed tantum de lacertis gurgulionis, hoc eſt fauciũ, ut etiã ſuprà mõſtrauimus, quos dicit ſeruire deglutioni. Aliud aũt eſſe fauces, aliud meri, etiam ſuprà docuimus, quũ ex Galeni autoritate fauces ad os, meri autẽ ad collũ pertinere, ex Galeni probauimus autoritate. Auicenna etiam Fen decimatertia libri tertij, capite quarto de cauſis impedientibus deglutiones, inter alias cauſas quæ ſumũtur ex ipſo meri, uel ex membris uicinis, ſi putaſſet muſculos ineſſe meri, debuit etiã illorũ paralyſim, quæ poſſet accidere, cõnumerare. Cur enim non ita de muſculis meri, ſicuti de muſculis epiglotti, qui aliquando abſceſſum, ſiue apoſtema patiuntur, atq; ita ſui uicinitate ad meri difficilem faciunt deglutionẽ, nihil fuerit Auicenna locutus, nulla alia cauſa poteſt aſſignari, niſi quod nouerat epiglottum multos habere muſculos, meri aũt muſculos ignorabat. Non me tamen latet, Auicennã ſi nõ loco allegato, alibi tamen aliquando meri muſculos nominare, atq; ideo uideri in his ſibi quodãmodo repugnare. Nam idem Auicenna primo ſui Canonis libro, Fen prima, capite ultimo doctrinæ ſextæ, aperte dicit tranſglutionem duabus compleri uirtutibus, quarũ una eſt

attractiua

A attractiua naturalis, & altera attractiua uoluntaria: & prima quidem ſuam cōplet operationem per uillum, qui ſecundū longitudinē protenditur, qui eſt in ore ſtomachi, & iſophago: Et ſecundæ cōpletur operatio per uillum lacerti tranſglutiendi. In quibus uerbis uidetur innuere Auicenna, iſophagū ſiue meri ita habere uillos inſtrumenta uirtutis motiuæ animalis, ſicuti etiam naturalis, niſi quod hoc in loco uillos lacerti, non lacerti meri, ſed potius faucium qui adiuuant deglutionē, potuit Auicenna intellexiſſe. In eandem ferè ſententiam de duabus uirtutibus, altera naturali, altera animali adiuuantibus deglutionē loquitur Auicenna libro tertio, Fen decimaſexta, tractatu primo, ubi ſecundā cauſam aſſignat, cur meri ſit dilatatus, his uerbis: Et ſecunda eſt cauſa, quod penetranti in meri non attribuit̄ ex uirtutibus naturalibus niſi uirtus una, quamuis uoluntas adiuuet ipſum ex partē una, & eſt attractiua: Adiuuat ergo aperiendo uiam, & dilatando ipſam.

In uerbis Auicennæ contradictio, ex uijs cibi duo tantum extrema moueri per lacertos, meri ſcilicet & ſicteri, ſcribentis, & alio loco etiam colon inteſtinū moueri per lacertos inſinuantis: Rurſus de gulæ partibus diſputatio contra Plinij patronum inſtituitur. XXVII

APertius autem circa finem eiuſdem capitis Auicenna oſtendit, in meri eſſe lacertum, & conſequio motum uoluntarium, ſcribens in hunc modum: Et nō mouetur aliquod iſtorum membrorū, quæ ſunt uia cibi per lacertos, niſi duo extrema, ſcilicet caput, & eſt meri, & inferius, & eſt ſicteri. In quibus tamē uerbis uidetur Auicenna oblitus eorū, quæ ſcribit Fen decimaſexta eiuſdem libri tertij de quadam colica, per modū criſeos ad paralyſim inteſtini colon cum ſenſus incolumitate terminante: Nam ſi talis terminatio (ut ita dixerim) per modū criſeos fieri
B poteſt, ut eodem in loco concedit Auicenna, ſequit̄ neceſſariò, quod ex membris quæ ſunt uia cibi, cuiuſmodi ſunt inteſtina, non ſolum meri & ſicteris, ſed etiam colon inteſtinū per lacertos moueatur, alioqui non poſſet pati paralyſim manente ſenſus incolumitate: Siquidem paralyſis aut ſenſum offendit, aut motum, aut utrunq;. Sed hunc Auicennæ errorem, & unde habuerit occaſionē, nos alibi latius manifeſtauimus. De lacertis etiam intrinſecis meri, in quibus uult Auicenna fieri tertiam ſpeciem ſuffocationis apoſtemoſæ, loquitur libro pariter tertio Fen octaua, capite tertio de ſuffocationibus. Ex quibus omnibus locis à nobis in medium adductis probari poteſt, Auicennam uoluiſſe meri habere lacertos, atq; ita moueri ipſum, nō modò ex ſua ui naturali, ſed etiā animali, quæ per lacertos operatur. Quot tamen ſint iſti lacerti, & in qua parte tunicæ ſint, intrinſeca an extrinſeca, nihil in ſuis libris, quod equidem ſciam, ſcriptū reliquit: Sicuti neq; Aliabas, qui ſolum de muſculis loquitur gurgulionis, & uoci, & deglutioni ſeruientibus. Quos ſi quis in meri corpore uelit collocare, ſequetur non modò tracheam arteriam, & eius caput, quod arabes epiglotton nominant, ſed etiam iſophagum ſiue meri, & eius itidem caput, ſiue orificium eſſe uocis inſtrumentum, quod de arteria quidem atq; epiglotto omnes medici atq; philoſophi fatentur. De meri autem & eius orificio, quod ſolis cibis ac potibus natura fabricauit, nemo auſus eſt ſcribere. Hunc Auicēnæ errorē, uolentis meri habere muſculos intrinſecos, ex quorum tumore ſiue apoſtemate animal ſtranguletur, ſecutus eſt Iacobus Foriliuienſis in expoſitione aphoriſmi quartæ particulæ aphoriſmorū, cuius aphoriſmi initium: Si à febre habito, tumore non exiſtente in faucibus. Vbi idem Iacobus quatuor ſpecies enumerat ſquinantiæ, & tertiam numero ponit illam, quæ fit in lacertis intrinſecis meri. Eſt autem error Iacobi eo in loco geminatus, quoniam nō mo

C dò falſò muſculos meri intrinſecos nominat, qui nulli ſunt, ſed falſò etiam allegat & Hippocratem tertio prognoſticorũ, & Galenũ quarto interiorũ, de tali ſpecie ſquinantiæ, intrinſecos meri muſculos obtinente, mentionẽ faciẽte: quũ tamen neq; Hippocrates, neq; Galenus in expoſitionibus ſuis, ſiue in tertium librũ prognoſticorũ, ſiue in aphoriſmum antè allatũ, neq; etiam libro quarto interiorũ, ubi & ipſe quadripartitam ſecundũ medicos facit anginæ diuiſionẽ, quicq; de tali ſpecie loquantur, in qua muſculi intrinſeci, iſophagi ſiue meri ſint apoſtemati: liceat enim mihi cõtra barbaros diſputanti, eiſdem aliquãdo uti, quibus illi in omni ſuo ſermone utuntur uocabulis: Nam à barbaris medicinæ autoribus, non in nominibus, ſed in rebus magis ipſis diſſentio, & eis non uocabulorũ, ſed anatomices potius adſcribo ignorantiã: quoniã meri muſculos tribuũt, quos meri nõ habet, uelu ti intrinſecos. Si qui uero muſculi ſunt extrinſecus ipſum cõtingentes, duo in parte anteriori uerſus guttur, duo in parte poſteriori uerſus colli uertebras, neutrum par ſeruit motibus meri: ſed alterũ quod cõtingit anterius, motũ præſtat cartilagini gutturis, quæ clypealis nominatˀ: alterũ uero contingens exterius, ad colli facit flexiones, ut ex Galeni Anotomicis, & libro ſeptimo de utilitate partium licet perpendere. Quare relinquitˀ, motũ meri per ſe, & nõ per aliud eſſe ſolũmodo naturalem, ut aperte ſentit Gal. libro quarto de potẽtijs naturalibus: uel ipſum potius præſtare muſculi in animalibus miniſteriũ, q̃ moueri per muſculos. Vt hoc quoq; poſſe aliquos exiſtimare lib. primo de motibus muſculorũ nobis Gal. inſinuauit. De uirtute aũt attractiua naturali, quã nos ſolam abſq; animali putamus ineſſe meri, ſeu græce iſophago uelimus dicere, aut latine gulæ, etiã Plinij patronus in ſua Anatomice loquitˀ, quem ubi de Auicen. aut aliorũ medicorũ erroribus agitur, no

D lumus intactũ præterire, ut illi ſtimulos inijciamus, nõ modò Plinium, ſed unà ſe atq; alios medicos, qui ſimilium à me redarguuntˀ errorum propugnandi. Hic igitur Plinij patronus libri ſui de Anatomice tertij, capite xvij. de gula ſcribit hæc uerba: Ea duplici membrana cõſtat, uarioq; uillorũ ordine: altera ſtamine per latitudinem procedente cibum expellit, qui quũ attrahitˀ, cædit nec læditur: altera uero interior deorſum trahit uillorum oblongo ſtamine cibum: ea uis catheltice dicitur, faucium peculiaris, qua in epulando craſſam, congeſtamq; materiam per fauciũ anguſta farcimus. Equidem hominẽ laudo, qui in actu deuorandi nullam aliam uim gulæ tribuit, præter naturalem, quã Græci catheltịcem uocant, uillorũ oblongo ſtamine cibum trahentẽ. Verũ alteri ſubijcitˀ notæ: quia quũ alio loco ſui operis ita muſculos gulæ, ſicuti epiglottidi, & tracheæ tribuat arteriæ, cenſeri poteſt putare naturã aliquid feciſſe fruſtra, gulæ ſcilicet muſculos: Ad quẽ eñ uſum illos gulæ natura dedit, niſi uel ad attrahendũ, uel expellendũ cibum: niſi forte crediderit uillos oblongos membranæ interioris, aut latos exterioris eſſe uillos muſculorũ utriuſq; mẽbranæ propriorũ: quæ falſa fuerit exiſtimatio, & tam Galen. q̃ etiã Auicẽnæ cõtraria, qui uolunt eoſdẽ uillos duabus ſeruire uirtutibus naturalibus, alteri attractiuæ, alteri expulſiuæ nominatis. Verba aũt illa quæ poſtea Plin. patronus eodem in loco ſubiungit (In deuorãdo enim guttur, cuius pars gurgulio eſt, ſurſum uerſus gulam trahit) neſcio quem ſenſum habeant, niſi uelint illum motum ſignificare, de q̃ Gentilis loquitˀ, quũ ſcribit guttur aliquãdo accipi apud Auicennã pro corpore aggregante epiglottũ, & meri, quod in tranſglutione mouetur ſurſum & deorſum. Per gurgulionem aũt puto Plinij patronum intelligere partem illam ſupremã tracheæ arteriæ, quã Arabes epiglottũ, Græci larynga nominant, præcipuũ uocis inſtrumentũ. Vtrum aũt hanc partem uir, qui non modò medicus, ſed etiam latinus medicus, in ſuo ſermone haberi uelit, & minime barbarus,

A barus, recte gurgulionē nominauerit, nolo in præſentia diſputare: quoniā omnis de nominibus diſputatio, ut Plato inquit, eſt ſuperuacua, his præſertim quibus magnarum rerum inueſtigatio proponitur: niſi forte quis rem parui momenti putet, ſcire quomodo cibus aut potus deuorent. Ego contrà, meritò puto illos eſſe deridendos, qui quum hæc neſciant, id eſt ſeipſos ignorent, ſperant ſe altiora poſſe perueſtigare, quæ humanis ſenſibus patêre nequeunt. *Diſputatio de nominibus ſuperuacua.*

Error Mundini atq; Gentilis, & multorum recentiorum in motu deglutionis, in quo motu, & inuicem, & ſibijpſis uarijs in locis contradicunt. XXVIII

HIc tamen quē dixi motus, de quo Gentilis, & Plinij patronus (ut arbitror) loquitur, non paruā habet difficultatē, propter ambigentes medicorū ſententias, licet omnes ferè recentiores in hoc uideant cōuenire, quod quū cibus deuoratur, gula ſiue meri, ſimul cum epiglotto uerſus fauces & os mouent. In qua hæreſi eſt etiam Plinij patronus, quāuis in parte euariet: quoniā ipſe ait guttur, cuius pars gurgulio eſt, in deuorādo ſurſum uerſus gulam trahere. Contrà Mundinus, atq; omnes ferè recentiores Auicennæ expoſitores Mundinū ſecuti, ſcribunt q̄d epiglottus hora tranſglutionis nō mouet ſurſum, quia aliquo modo moueat ex ſe, ſed quia trahitur ab iſophago. Quare ſecundū ipſos, & Galenū etiā, quem citant in libro de motibus liquidis, nō gurgulio pars gutturis, ſiue epiglottus in hora deglutionis ſurſum uerſus gulā trahit, ſed gula potius eadē hora ſurſum uerſus trahit epiglottum, quem Plinij patronus neſcio an recte (ut dixi) nominet gurgulionem. Hanc aūt eſſe Mundini ſententiā, indicāt eius uerba, quæ cauſam etiā huius motus epiglotti, non ex ſe, ſed ex accidenti afferunt. Sunt aūt hæc: Verū eſt quod meri agiliter ſeparatur à trachea uſq; ad epiglottū: ibi uero difficulter: propterea
B quia tunica meri diſperſa eſt in epiglotto, & ideo ab eo nō facile ſeparat, & hoc fecit natura ſagaciter ad hoc, ut in hora tranſglutionis, quū meri eleuat ad os ad attrahendū cibum, epiglottis etiā eleuetur, ne ſui duritie & ſoliditate impediat tranſitū cibi, & iſta continuatio nō fuit neceſſaria in tota arteria, quia ipſa ſecundū totū præter epiglottū nō eſt cartilaginoſa. Et ex hac anatomia manifeſtatur ſententia Galeni in libello de motibus liquidis, q̄d epiglottis hora tranſglutionis nō mouet ſurſum, quia aliquo modo moueat: nec ex ſe, ſed quia trahitur ab iſophago propter continuationē dictam. Hæc Mundinus Gal. citans, & tamen in multis ab eodem Galeno diſſentiens: Tunica enim de qua loquit, per quā meri epiglotto cōtinuatur, per totā extenditur tracheam arteriā, & totū epiglottū, atq; etiam in partibus interioribus: per fauces aūt, & os, & linguam in partibus exterioribus, ut planè Galenus oſtendit circa initia ferè libri ſeptimi de utilitate partiū. Quare hæc duorum membrorū per tunicā unam cōtinuatio longius extenditur, quàm Mundinus opinat. Hac eadem interiori parte meri uillos habente oblongos, quibus attrahit cibum, fieri non poteſt quin tempore deglutionis ijdem uilli contrahantur, & longitudo meri eodem tempore abbreuietur: Quare fit ut tantum epiglottus ſurſum uerſus retrahatur, quantum meri ad inferiora deglutiendo mouetur. Hos aūt motus, & deſcenſus meri, & aſcenſus epiglotti, quodam in loco ſuæ Anatomices Galenus comparat ſimilibus motibus in inſtrumento, quo aqua exhauritur è puteo apparentibus: Nam in deſcenſu uaſis, lignum cui uas per funem alligatur, aſcendit: uaſe aūt aſcendente lignū deſcendit. Sic enim etiam, ut inquit Galenus, ſtomacho, uel iſophago à deglutione ceſſante, larynx, ſiue epiglottus manifeſte uidetur ad inferiora deſcendere. Hic ergo eſt ille motus per accidens, quo Galenus dicit in libro de motibus liquidis epiglottū moueri, tēpore q̄ cibus deuorat, haudquaquā talis, qualem Mundinus atq; Gentilis uidentur imaginari, attollen-

C te ſe ſcilicet ad ſuperiora meri, etiã epiglottũ attolli, & ſe demittente, demitti. Imò ut ex uerbis Galeni licet conijcere, obuerſus omnino. Neq; etiã hi duo motus aſcenſus & deſcenſus meri atq; epiglotti ſunt motus animales, hoc eſt facti per muſculos, ut etiã uiſus eſt exiſtimaſſe Gentilis, quũ dixit guttur aliquando accipi pro corpore aggregante epiglottũ & meri, quod in tranſglutione mouetur ſurſum & deorſum, & ſic ſumi primo canonis, Fen prima, capite de anatomia muſculorum gutturis: ſed potius naturales, hoc eſt facti uirtute uillorũ meri, qui in ſe cõtrahuntur tempore deglutionis, & ea ceſſante relaxant, licet motus meri ſit per ſe, motus aũt epiglotti ſit ex accidenti, ut etiã Galenus ſentit libro de motibus liquidis. Miror aũt Gentilẽ, diligentẽ alioquin Auicẽnæ lectorẽ, atq; etiã expoſitorẽ, hos motus aſcenſus atq; deſcenſus, tam in epiglotto ꝙ etiam meri, non animaduertiſſe, ac ſaltem Auicenna docente didiciſſe, nõ ui animali fieri muſculorũ, ſed naturali potius uillorũ tunicæ ueſtientis os meri, & epiglottũ: quando & ipſe Auicenna hoc ipſum docet, Fen tertiadecima lib. tertij, cap. primo de anatomia meri et ſtomachi, ubi cauſam reddit, quare hæc tunica ita ueſtiat partem interiorẽ meri, ſicuti & epiglotti, & oris (ut diximus) exteriorẽ, in hunc modũ ſcribẽs: Et nõ ueſtitur interior pars eius pãniculo extenſo uſq; ad poſtremũ ſtomachi, adueniente ei ex panniculo tegente os, niſi ut attractio ſit cõtinua, & adiuuet ad ſubleuandũ epiglottũ ad ſuperiora, tum ſit deglutitio, cum extractione meri ad inferiora. Idem Auicenna nõ multo poſt eodem capite ſcribit hæc uerba: Et eſt ex duabus tunicis, quarũ interior longitudinales habet uillos, propter illud quod ſcitur de neceſſitate attractionis, & propter hoc cõtrahit̃ ſtomachus, quũ ſit deglutitio, & eleuat̃ epiglottus. In his enim uerbis Auicenna nihil aliud uoluit niſi quod Galenus inſinuare, ꝗd cum
D meri deſcendit in deglutitione, epiglottus aſcendat, & contrà. Vtrunq; aũt motum eſſe naturalẽ, utpote factus à panniculo, ſiue uillis panniculi tegentis os, atq; meri, et ſtomachũ, atq; unà epiglottũ. Alioquin epiglottus ad motũ meri per accidens nõ moueret̃, niſi & ipſe quoq; in hoc panniculo cum eodem meri cõmunicaret. Miror inſuper Plinij patronũ rem diuerſam ab omnibus alijs, qui de anatomice ſcripſerunt, in ſua Anatomice ſcribere nõ dubitaſſe, guttur cuius pars gurgulio ſit, in deuorando ſurſum uerſus gulam trahere: quum ſecundũ Mundinũ non epiglottus gulam, ſed gula aſcendens epiglottũ faciat aſcendere: ſecundũ autem Galenum atq; Auicennã gula ſiue meri ſe contrahendo deſcendens, epiglottũ cogat aſcendere: ſecundum Gentilem uero epiglottũ & meri ſimul in tranſglutione ſurſum moueantur aut deorſum: Nam ſi eoſdem muſculos habent ſuis motibus ſeruientes, ut planè Gentilis uidetur exiſtimare, non equidẽ uideo, quî aliter poſſit hic motus corporis epiglottum atq; meri aggregantis contingere, quum præſertim muſculi ſemper ad ſua principia referant eam quam mouent particulam, ut etiam fuit ſuperius à nobis contra eundem Gentilem ex Galeni autoritate argumentantem demonſtratũ. Idem tamen Gentilis, Fen decima tertij, capite de anatomia epiglottis & cannæ, ſcribit hæc uerba: Conſiderandũ quod pars cannæ pulmonis, quæ dicitur epiglottũ, ubi non eſt iſta diminutio cartilaginis, in hora deſcenſus boli aſcendit ſurſum, & ideo ipſa nõ cõprimit̃, ſiue à bucella, & ideo nõ dolet homo, neq; nocet̃ anhelitus, ſed totã cannam nõ fuit poſſibile ſuperius trahi, & ideo ne fiat cõiunctio boli tranſeuntis in actu anhelandi, & ne preſſura fiat in canna, nõ fuerũt perfectæ circulationis. In quibus uerbis uiſus eſt & ipſe Gentilis cognouiſſe, quũ bolus deſcẽdit, epiglottũ aſcendere. Vtrũ uero epiglotto aſcendẽte meri deſcendat, uel unà aſcendat, ut Mundinus putauit, nec qualis ſit iſte motus, an naturalis, an animalis, ex uerbis his poſſumus exploratũ habere: ſicuti ex pri-

mis

A mis de gutture accepto pro corpore aggregāte epiglottū & meri, quod in tranſglutione mouetur ſurſum & deorſum, idem uidetur cum Mundino ſentire: ac præterea huiuſcemodi motum fieri uirtute muſculorū, quū alleget Auicennam primo canonis, Fen prima, capite de anatomia muſculorum: Ex quibus quatuor trahunt guttur deorſum, duo uero adiuuant deglutionē. Quare diligentius conſiderantes, inueniemus inter primæ expoſitionis uerba, atq; ſecundæ contrarietem: Secunda enim nobis innuit aſcenſum epiglotti quū bolus deſcendit, eſſe naturalem: ſi quidem (ut antea declaratum eſt) huius motus cauſa ſunt uilli oblongi tunicæ interioris meri, quæ etiam tunica eſt epiglotto cōmunis. Prima uero ut probauimus, oſtendit eundem motum eſſe animalem, quod ſecundū medicos, qui uim animalem à naturali diſtinguunt, non poteſt cōtingere, licet duæ uirtutes ad eundem motum peragendū poſſint coniungi: quemadmodum ad leuandam aluum inferiorem ſimul agunt & uis naturalis expulſiua inteſtinorum, & uis animalis muſculorum, qui in parte uentris ſuperiore collocantur: Quas duas uirtutes nos etiam opus deglutionis adiuuare concedimus, & tamen negamus meri habere muſculos, ſicuti neq; inteſtina habent, præter ultimum Rectum nominatum, quod in ultima ſui parte quæ ſedes appellaẽ, muſculū habet, qui prohibet ne nobis inuitis exeant excrementa alui inferioris. Quare Galenus libro ſexto de membris paſſis, ſiue de interioribus, ut nunc inſcribitur, dixit deiectionem alui partim eſſe naturalem, partim animalem, & tamen motum quo alimentū, chylus uidelicet, à uentriculo fertur ad inteſtinū ieiunū, & ab illo ad tenue, dixit eſſe mere naturalem, quoniam in hoc uirtus motiua animalis nō operatur, quū hæc inteſtina non habeāt muſculos: Sic & nos motum cibi ab orificio gulæ uſq; ad fundū

B uentriculi, eadem ratione dicimus eſſe tantūmodo naturalem, & uim animalē nullum in hoc habere locū, ſed tantū in admouendo cibum ad gulæ orificiū. Ad hoc enim & motus linguæ, & muſculi duo in faucibus collocati operanẽ, atq; eatenus deglutio poteſt dici motus animalis: quia hac operatione nō præcedente, nō poſſet cibus poſtmodū ui naturali attractiua meri, ad inferiora deſcendere: Et hoc eſt quod puto uoluiſſe Auicennā dicere, quū dixit Fen prima primi, capite de operationibus: Et ſimiliter tranſglutiendi operatio duabus cōpletur uirtutibus, una eſt attractiua naturalis, et altera eſt attractiua uoluntaria: Et prima quidē ſuam cōplet operationē per uillū, qui ſecundū longitudinē protenditur, qui eſt in ore ſtomachi, & iſophago: & ſecundæ cōpletur operatio per uillum lacerti tranſglutiendi. Vellem aūt ut in hoc loco Auicenna, ſicuti nobis declarauit id quod non erat admodū obſcurū, ubi ſcilicet eſſet locatus uillus oblongus, per quē uirtus attractiua naturalis ſuam exercet operationē, quē dixit eſſe in ore ſtomachi & iſophago, ita q̄d magis latebat, aperuiſſet, poſitū ſcilicet uilli lacerti tranſglutiendi, an eſſet in iſophago, an in pharynge, id eſt faucibus, in quibus illū Galen. proculdubio collocauit, ut ſatis fuit à nobis ſuprà declaratū: Quāuis Auicen. poſtmodū libro tertio eum in capite meri eſſe nobis inſinuauerit, ubi ſcribit ea uerba, quæ etiā ſuprà recitauimus: Et nō moueẽ aliquod iſtorū membrorū quæ ſunt uia cibi per lacertos, niſi duo extrema, ſcilicet caput, & eſt meri: & inferius, & eſt ſiſteris. Pharynx aūt nō eſt iſophagi, ſiue meri caput ſecundū Gal. ſed illud ſpaciū oris ad q̄d caput meri terminaẽ, ut etiā ſuprà à nobis fuit declaratū. Miror aūt de expoſitoribus Auic. tam uetuſtioribus q̄ recentioribus, qui in his in quibus ſunt Galen. atq; Auicen. concordes, ſicuti in contractione ſtomachi tempore deglutionis, & eodem tempore eleuatione epiglotti, ab eorum cōmuni opinione receſſerunt: Vbi aūt fuere diſcordes, ſicuti in muſculis faucium atq; meri, nullam inter eos diſcordiam nota-

C uerunt, neq; duos medicinæ principes in eandem ſtuduere reuocare cōcordiam, cui præcipue ſtudio, quū Iacobus de partibus nouiſſimus Auicennæ expoſitorū uideatur incumbere, in hac parte uiſus eſt quodãmodo dormitare, quaſi Auicennæ conſentiens, & idem putans Galenum atq; Auicennam de his muſculis dicere, qui ſint harū extremitatū proprij, alterius ſuperioris, quæ uocatur caput meri, ſiue gulæ: alterius inferioris, quæ à iunioribus medicis partim barbare, partim latine loquentibus, nominatur anus atq; ſicteris. Idem tamen Iacobus prima canonis, Fen prima, capite de anatomia muſculorum, id in quo Galenus atq; Auicenna cōueniunt, de motu epiglotti ſurſum uerſus, & motu iſophagi uerſus deorſum tempore deglutionis animaduertit, & Galenum allegat ſuper his motibus ſexto de iuuamentis membrorum. Verum & ipſe, ſicut etiam Gentilis, non meminit ſe poſtea tertio canonis, eoſdem motus contrarios, meri ſcilicet atque epiglotti, non muſculis, qui ſunt uirtutis motricis animalis inſtrumenta, ſed magis uillis tunicæ meri interioris, qui uirtuti attractiuæ naturali obſeruiunt, contribuiſſe. Quare diligentius conſiderantibus, doctrina Auicennæ cum tot expoſitoribus, qui partim alij ab alijs, partim ijdem à ſeipſis in uarijs locis diſcordant, chaos quoddam uideri poſſit, qua confuſionis obſcuritate nihil poſſit eſſe humanæ uitæ periculoſius.

Doctrina Auicennæ chaos quoddam.

Nos ſanè ad hanc amouendã, atque extirpandã & noſtræ ætatis hominibus lucem aliquam ueritatis aperiendam, partim librorum Galeni medicorū principis tranſlationibus, partim in eoſdem commentationibus, die noctuq; laboramus: Quamuis certò ſciamus nos hoc labore noſtro apud illos, qui malunt didiciſſe, quàm diſcere, plus odij quàm gratiæ conſecuturos. Sed iam ad id quod reliquū eſt noſtri inſtituti redeamus: Erat autem noſtrum inſtitutū non modò nos in his, in quibus D fuimus à Plinij patrono notati, ſed & unà Hermolaū, qui pariter accuſatur, defenſare: quamuis Plinij patronus meo nomini in ſua parcat præfatione, Hermolao nō parcat: ſiue quod maiorem gloriam ex Hermolai, quàm ex noſtri æmulatione ſe aſſequi poſſe ſperauerit, ſiue hoc noſtræ amicitiæ dederit, quam illi gratiam rependimus, nuſquam ipſum in toto opere nominantes, ſed ſolum patroni Plinij appellatione inſignientes.

Hermolaus defenditur Theodorum excuſans meſenterion lactes dicentem, & Plinij patronus accuſatur, quod male meſenterion medium inteſtinum interpretetur. XXIX

HIc ergo Plinij patronus etiam in lactibus accuſat Hermolaum, tanquam inepte Theodorū excuſantem. Sed quî poteſt eſſe inepta excuſatio, quū uir doctus alterum doctrina parem, ſicubi aberrantē animaduertit, quoniam humanū ſit aliquando aberrare, idem erratum ſi non omnino uera, ſaltem probabili ratione defendit: ubi præſertim non rei inſcitia, ſed potius uocabuli fuiſſe deprehenditur, quam nos toties Plinij patrono, in eius anatomice condonamus, nō uocabulorum, ſed rerum potius ignorantiã redargui in ſcribentibus debere iudicantes. Hoc tamē in loco ſumus utrunq; facturi, hoc eſt, non tantum res, ſed etiam nomina perſcrutaturi, quandoquidē id faciendi nobis Plinij patronus dedit occaſionē, qui Theodorum damnat, non recte meſenterion lactes interpretantē, & Hermolaum carpit, in hoc Theodorū inepte (ut ipſe inquit) excuſantē. Vicinitatē membri (ait Plinij patronus in ſua Anatomice) dediſſe quibuſdam errorem, quò lactes pro meſenterio ſæpe dixerint: Hunc prius animaduerterat in Theodori tranſlationibus Hermolaus, de quo mirari ſe dicit, quod lactes pro meſenterio acceperit. Si quis tamen Theodorum tueri uelit pro meſenterio lactes interpretantem, ſciat, inquit, partem, & id quod continetur, pro eo quod continet acceptam. Sic quidem

A quidem Theodorum Hermolaus excuſat, uel potius dat alteri excuſandi uiam: quam ſicuti ego non omnino probo, ita Plinij patronus ineptam cenſet, ipſe forte magis inepte iudicandus de meſenterio ſcribere, meſenterion idcirco tale apud græcos nomen adeptum, quod medium ſit inteſtinum, quum meſenterium non ſit inteſtinũ, ſed potius in medio inteſtinorum collocatum: unde & illi apud Græcos nomen, à poſitu ſcilicet ſuo: ſicuti & alterum apud eoſdem Græcos eſt à propria ſubſtãtia ſortitum, quod meſareon appellatur: quoniã omnes, quæ ad ipſum ex hepate uenas feruntur, unà cum adiacentibus arterijs circumquaq; ambit atq; complectitur. Talem enim duarum appellationũ Galenus noſter in ſuis de Anatomice libris rationem aſſignat. *Meſenterion unde dictum.*

Error eorum, qui inteſtinum à iunioribus medicis duodenum nominatum, à pyloro non diſtinguunt. XXX

NEc minus Plinij patronus in primi ex gracilioribus inteſtinis, qui unà cum alijs lactes cõplet, peccat nomenclatura, quod dicit pyloron à Græcis uocari, quod idem etſi Celſus dicat, & Celſum ſecutus Hermolaus, hoc tamen nõ adeò eſt illis errori tribuendũ, qui plus eloquentiã, q̃ medicinæ artem profitent̃, quantum Plinij patrono, qui eiuſdem profeſſor artis Galenũ magis atq; Auicennã ubi ambo concordant, debuit in nominibus medicinalibus imitari. Vterq; aũt autor pyloron, ſeu portanariũ (ſic enim Auicenna & medici iuniores Auicennã ſectantes nominant) inter gracilia inteſtina nõ numerant. Sed primũ quidem ex illis ait Galenus ἔκφυσιν, id eſt exortum nominari, quia ex pyloro primus exoriat̃, aut dodecadactylũ, ſeu ut nunc medici loquuntur duodenũ, quia ad longitudinẽ duodecim digitorũ extenditur. Auicenna quoq; Fen ſextadecima tertij, capite de anatomia inteſtinorũ, quæ ſunt numero ſex, primũ ait eſſe duodenũ. Supra uero Fen decimatertia, capite de anatomia meri & ſtomachi, ſcripſerat de portanario, & duodeno, hæc uerba: Et in inferiore parte ſtomachi eſt foramen, cui continuat̃ inteſtinum duodecim digitorũ: & hoc quidem foramen nominat̃ portanarius, & eſt ſtrictius foramine ſuperiore: quoniam eſt tranſitus eius quod eſt contrariũ ei, & iſte quidẽ meatus clauditur uſq; quo cõpletur digeſtio. Ex quibus Auicennæ uerbis, quæ hoc in loco ſcribuntur, duo elici poſſunt quæ etiã Galenus ſentit, portanariũ non eſſe primũ inteſtinũ, ſed id foramen cui continuat̃ primum inteſtinũ, & eſſe ſitum in inferiore parte ſtomachi, ita quod potius eſſe ex ſubſtantia ſtomachi, q̃ inteſtinorũ debeat iudicari. Licet de hoc idem Auicẽna poſtea Fen ſextadecima, capite antea allegato, contrariũ determinauerit, ſcribens in hunc modũ: Et inteſtinum duodenũ eſt fundo ſtomachi continuatũ, & habet orificiũ ſequẽs ſtomachũ, & nominatur portanarius. Item paulò inferius eodem capite de amplitudine orificij duodeni: Et eius quidẽ amplitudo, eſt amplitudo orificij eius quod nominatur portanarius. Verũ Auicenna præter id q̃d ſibijpſi uarijs in locis uidet̃ repugnare, eſt etiã in hoc Galeno cõtrarius, qui multis in locis innuit pyloron eſſe imã uentriculi partem: ſicuti quũ libro ſecundo artis paruæ, hominẽ pituitoſum quotidie euomentem bilem, dicit huic affectui fuiſſe obnoxium: quoniam meatus qui biliofum eructat humorem, non paruam huius partem ad pylorum uentriculi tranſmittebat. Sed manifeſtius idem Galenus pylorũ eſſe ex ſubſtantia uentriculi, non dodecadactyli ſeu duodeni declarat alijs uerbis, libro ſexto de aggreſſibus anatomicis in hunc modum ſcriptis: Statim autem uidebis, ſi diligentius animaduerteris, in locis quæ portæ hepatis nominant̃, meatum qui ex bilis conceptaculo uenit ad exortum inteſtinorum, non multum poſt illum qui pylorus nominatur;

C Hunc autē ipſum pyloron in quibuſdam animalibus uidebis craſſiorem, habentem ſecundum propriam circunſcriptionem ſubſtantiam uentriculi, ubi primum ex ea enaſcitur inteſtinum. Nonnulli uero nondum eum inteſtini appellatione dignum putant, priuſquam implicari incipiat, ac propterea quidam uocant ipſum exortum ſimpliciter: nonnulli cum hac adiectione δωδεκαδάκτυλον. Ex quibus Galeni uerbis, ſi quiſpiam diligentius ipſa perpenderit, id quod nos dicimus, poterit intelligere, inteſtinū, quod à iunioribus duodenum nominatur, quod nnonulli ex uetuſtioribus neq; inteſtinum appellandum eſſe iudicarunt, quoniam non eſſet implicitum, diuerſum eſſe à pyloro propriam habente ſubſtantiā, imam uentriculi partem, ſed craſſiorē, neq; ad pyloron, ſed paulò inferius, hoc eſt, ad exortum, ſiue duodenum, bilem tranſmitti per propriū meatum, ab ea ueſica quæ conceptaculum bilis nominatur, prodeuntem.

Error Mundini, & aliorum Mundinū ſequentium in meatu ferente bilem ad inteſtina: Et opinio Galeni atq; Auicennæ concors in eo fuiſſe monſtratur, quamuis Galenus rectius de eodem meatu mandante bilem ad ieiunum inteſtinum, loquatur. XXXI

DE quo meatu, unus'ne ſit, an geminus, & ad quem locum terminetur, ſcio à medicis iunioribus pleriſq; ignorari, qui Mundinū ſequentes, putant meatum hunc circa ſui initia eſſe unum, demū in proceſſu in duos ſecari ramos, quorum maior in pluribus hominibus feratur ad duodenum, alter uero minor ad fundum ſtomachi, ut ex calore bilis ad eum peruenientis ſtomachus ad concoquendum cibum fortior efficiatur. De quo tamen uſu Galenus neq; libro quarto de utilitate partium, neq; uſquam alibi in ſuis ſcriptis fecit mentionem: Quin potius libro quinto de utilitate partium quærit, cur natura non æque meatum fecit bilem importantem ad uentriculum pertingentem, ſicuti ad exortum ſiue duodenum? Et reſpondet, nō eſſe hoc naturæ negligentiæ adſcribendum, ſed potius benignitati, quæ paruo commodo, quod ex tali meatu uentriculus erat aſſecuturus, aliud multo maius incommodum noluit corrogari, cōtinuam ſcilicet ciborū euomitionem, quos flauæ bilis acritudine uentriculus irritatus non poſſet eo quo cōcoqui debent tempore retinere. Sententia ergo Galeni eſt, quam etiam libro ſecundo de temperaturis ſiue complexionibus manifeſtat, meatum hunc non ſemper eſſe duplicē, ut uidetur ſentire Mundinus, qui aliter neſcit ſoluere Galeni dubitationem, tertio de Virtutibus naturalibus: quomodo per idem collum cyſtis fellis attrahit choleram & expellit, ſed aliquando ſimplicem, & quū ſimplex eſt ad inteſtinum medium inter pyloron atq; ieiunū, id eſt, ad exortum, ſiue duodenum peruenire. Quū uero duplex ſit, ramum eius maiorem ad ſtatim dictum exortū ſeu duodenum pertingere, alterum autem minorem ad uentriculi fundum paulò ſupra pyloron, & hoc maxima ex parte: Rariſſime autem contingere, ut loca permutentur, & maior ad fundum uentriculi, minor uero ad exortum ſiue duodedenum perueniat. Ex hac aūt permutatione magnum dicit accidere incōmodum: quoniam continuo uentriculus flauam recipit bilem, & ſubinde euomere cogitur anteq; cibum aſſumat. Quod ſi retineat, magnum ex eo ſentit detrimentū. Quibus uero meatus eſt omnino ſimplex, his bilem uniuerſam Galenus inquit ad ieiunum defluere inteſtinum. Ex quibus Galeni dictis poſſumus plura colligere: Primum magis hominum naturæ conuenire huius meatus ſimplicitatem, quàm duplicitatem: Secundo loco, ſi duplicitas adſit, conuenientius maiorem ramum ad primum inteſtinum, exortum uel duodenum nominatum, peruenire: Nam ſi contrariū eueniat, eſſe naturæ multum aberrantis peccatum, ſicuti parū aberrat,

quū

A quum ex ſimplici duplicem facit,& minorem tranſmittit ad fundum uentriculi,ut minus ei poſſit officere. Hanc autem Galeni opinionem de bilis meatibus, confirmant uerba Auicennæ libro tertio,Fen decimaquinta,tractatu de anatomia fellis, in hunc modū ſcribentis : Et pluribus hominibus eſt meatus unus continuus cum duodeno. Et paulò poſt ſubiungentis hæc uerba:Et nō fuit creata in pluribus fellibus uia ad ſtomachum,ut lauarentur humiditates cum cholera,ſicuti lauantur humiditates inteſtinorum,niſi quia ſtomachus læditur per eas,& patitur nauſeam,& corrūpitur digeſtio in ipſo,per illud quod miſcet̄ cibo de humore illo. Idem Auicenna Fen prima,primi,doctrina quarta, capite primo, duas tantū choleræ exponit utilitates: Vnā,quæ eſt,ut ipſe ait,inteſtina à ſtercore & uiſcoſo phlegmate abluere: Aliam, inteſtina ani & muſculos pungere,ut quid ſit ei neceſſarium ſentiat, & egeſtiones emittat:Tertiam autem quam Mundinus ſcribit, choleræ euntis ad fundum ſtomachi ad confortandum digeſtiuam,omnino Aicenna reticet.Quare fruſtra Auicēnæ expoſitor,quicūq; ſit ille,cuius expoſitio cum alijs habet̄ impreſſa, in expoſitione primi capitis,Fen decimaquinta tertij ſcribit hæc uerba : Conſiderandum primo,quod ſi cholera uadat ex felle ad ſtomachum, ſolum uadit ut digeſtionem iuuet,non ut abſtergat,uel mundificet:Et ideo paruus fuit meatus, qui ex felle uenit ad ſtomachū.Sed in quibuſdam propter errorem in principio generationis econtra fit,ut hic Auicenna,& ſecūdo de cōplexionibus Galenus. Hanc autem conſideratione ̄ eſſe ſuperuacuā,non ſolum Galenus libro ſecundo de complexionibus,ſed etiam Auicenna hoc loco demonſtrat, quū dicat in pluribus eſſe meatum unum continuum cum duodeno, quod etiam Galenus innuit ſecūdo de complexionibus.Quod ſi ex uſu naturæ foret,etiam alter meatus paruus,qui choleram ad fundū ſtomachi deportaret, non eſſet in pluribus meatus unus,ſed duo:
B Etſi enim aliquando natura aberret in principio generationis, in pluribus tamen ſortitur finem quem intendit , ſicuti in pluribus hominibus quinque generat digitos,in paucioribus autem ſex aut quatuor. Vellem autem ut expoſitor Auicennæ cauſam reddidiſſet , ob quam pauca quidem bilis per paruum meatum tranſmiſſa ad fundum ſtomachi,poſſit ſtomachū cōcalefacere,non poſſit autem ipſius abſtergere ſuperfluitates : uel omnino rationem attuliſſet , cur paruus igniculus ſit neceſſarius illi membro calefaciēdo, cui tot fornaces,omentū,ſplen,hepar, & ipſum præterea cor,principiū & fons caloris naturalis,ſuum calorem impertiūtur.Neq; enim temere Galenus dubitauit,nō cur uentriculi calefaciendi gratia, ſed cur eius ſuperfluitates abſtergendi,non ita ad ipſum natura meatum feciſſet, bilem apportantem,ſicuti ad inteſtinū à iunioribus medicis duodenū appellatum.Nàm ſecunda dubitatio nō caret ratione,quū idem uentriculus plurimas adceruet ſuperfluitates,et ut Auicenna inquit,ſit lacuna phlegmatis.Prima autē futilis uideri poteſt: eſt enim ac ſi dubitaretur,cur foco ardenti parua ſtipula non adiungeretur. Cauſam autem ob quam Mundinus exiſtimauerit ſolui dubitationem Galeni libro tertio de uirtutibus naturalibus,dicentis per idem collum attrahi choleram, & expelli:quoniam (ut Mundinus inquit) idem eſt collum uſq; ad quandam diſtantiam, poſtea bifurcatur:cauſam inquam talis ſolutionis ignorare me fateor : quoniam ſi aliquid ualeret, tunc oporteret etiam collum matricis eſſe bifurcatū, quum æque per ipſum attrahatur expellaturq;,ſicuti per collum ueſicæ felleæ,ſiue cyſtis fellis: De utroque enim collo Galenus loquitur tertio de uirtutibus naturalibus, & per utrunq; uult fieri non minus expulſionem,quàm attractionem,ſicuti per eundem meatum gulæ ſiue meri & cibus attrahitur, & aliquando expellitur , ut in uomitu cōingit. Plinij autem patronus multo plus quàm Mundinus, aberrat:In ſua enim

C Anatomice hoc collum nõ ſolum bifurcauit, ut Mundini utar uocabulo, ſed etiam trifurcauit: Nam primum ex ipſis in medium iecoris dicit deriuari, alterum euidentiorem deferri ad pylorum omnium maximũ ad inteſtina productũ, quæ lactes nominantur. Ex ſecundo autem qui ad pylorum deriuat, tradi ait à quibuſdam, oriri alterum qui in imum ſtomachũ tendit, negari ab alijs. Hoc autem non eſſe perpetuum, idem Plinij patronus aſſerit, & recte quidem: quoniam hæc quoq; eſt Galeni ſententia, ut retrò declarauimus: Non recte autem, atq; omnino à Galeno diſſone, præter illum qui defertur ad pylorum, alterũ ſcripſit, & quidem maximũ ad inteſtina produci, quæ lactes nominãtur. Ex eorum enim numero præter ieiunum & tenue, etiam pylorus eſt, qui duodecim digitorum menſuram cõtinet, ut Plinij patronus ſcribit, capite de tribus inteſtinis gracilioribus: in quo etiam capite ſcribit ad hoc ipſum inteſtinum meatum fellis pertinere. Quod quum ſcripſiſſet, nõ debuit poſtea alio capite, præter hunc meatum fellis qui fertur ad pylorũ, hoc eſt, ad primum ex his, qui lactes complent inteſtinum, alterum maximum facere, qui ad lactes producatur: quoniã antiqui medici, ueluti Galenus atq; Auicenna, quemadmodum ſuprà oſtendimus, unum tantum fellis meatum prodidere, qui à ueſica quæ eſt bilis cõceptaculum, ad primũ inteſtinorum deriuat, quod Plinij patronus pyloron nominat, Galenus exortum & dodecadactylon, Auicenna & reliqui medici iuniores duodenum. Quanquam ſciam Plinij patronum ſe poſſe in hoc Auicennæ autoritate defendere, qui tertio canonis, Fen decimaſexta, capite de anatomia *inteſtinorum, ſcribit choleram citrinam* uenire ad ieiunum inteſtinum. Vnde forte Plinij patronus poſſit argumentari, quod nõ ad pyloron ſolũ, ſed etiam ad ieiunum alter fellis meatus producatur. Sed meminerit Plinij patronus nõ eſſe alium

D meatum inteſtino ieiuno neceſſarium, propter bilis flauæ receptionem, ad quem ſatis ſuperq; de ea, à primo inteſtino, ſiue pyloros, ſiue exortus, aut duodenum nominetur, deſcendit. Quare magis proprie Galenus loquitur, quum ſcribit libro ſecundo de temperaturis ſiue cõplexionibus, ſuprà à nobis allegato, quibus ſit iſte meatus ſimplex, bilem uniuerſam ad ieiunum defluere. Magis inquam proprie, quàm Auicenna loquitur, dum defluere, & nõ uenire talem humorem ad ieiunũ ſcripſit inteſtinũ, ut qui ſciret eſſe potius eius humoris ex alio inteſtino ſuperiore defluxum, quàm aduentũ. Quod etiam ſcire oportuit Auicennam, ne alioqui uarijs locis contraria ſentiret: Siquidem idem Auicenna, Fen decimaquinta tertij, capite de anatomia fellis, ſcribit fellis meatum in pluribus hominibus cum duodeno cõtinuari. Et hæc quidem de meatibus bilis dicta ſufficiant, in quibus Plinij patronus non parum, meo iudicio, ut antea oſtendi deerrauit, & tanto minus, quàm alij medici, qui barbaram medicinam profitentes, ex malo intellectu uerborũ Auicennæ atq; Galeni duos eſſe meatus etiam in naturali diſpoſitione credidere: alterum qui uadat ad pylorũ, alterum ad duodenum: tanto inquam minus debet excuſari, quanto ipſe nõ barbarorum, ſed Galeni præcipue ſectator, tum in alijs, tum in his quæ ad ad anatomicen maxime attinent, uult exiſtimari.

Error quorundam medicorum recentium, atq; ipſius Auicennæ repugnantia, de inuolutionibus inteſtinorum. XXXII

SEd nõ minus idem Plinij patronus in ipſis inteſtinis, tum à uero, tum à Galeni ſententia recedit: ut quum ſcribit inteſtinum ieiunum non ita eſſe implicitum, ut reliqua: Hoc enim falſiſſimum eſt, & dictis autorum, & his quæ ſenſui manifeſtantur, omnino cõtrarium. Primum enim inteſtinum, quod idem Plinij patronus pyloron, alij duodenum nominant, eſt multo minus implicitum, imò nullo modo implicitum,

A implicitũ:ob quam cauſam quidam, ut Galenus non uno in loco,ſed pluribus teſtatum reliquit,neq; inteſtinũ nominandũ cenſuerunt,neq; (ſi eidem Galeno credimus) tenue inteſtinũ eſt magis ꝙ ieiunum implicitum, imò aut æque, aut etiam minus : Siquidẽ multitudo inuolutionũ in inteſtinis,tum aliam ob cauſam,tum ob hanc etiam eſt neceſſaria,ut plures uenæ ad ipſas terminẽtur.Quod uidetur ſentire nõ Galenus tantũ,in ſuis Anatomicis ſcribens, ieiunũ inteſtinũ in multas inflecti inuolutiones,quàm plurimum uaſorum habentes : ſed etiam Auicenna,qui ait unam inter alias cauſam eſſe inuolutionũ continuationem orificiorũ uenarum ſugentiũ. Quare ubi plures ſunt uenæ, ibi plures eſſe inuolutiones non modò ſit uериſimile,ſed propemodũ neceſſariũ. Plures autem eſſe uenas in ieiuno inteſtino ꝙ in tenui,Galenus quoq; teſtatᷓ libro ſexto de aggreſſibus anatomicis,ubi ſcribit tenue inteſtinum eandem habere cum ieiuno ſubſtantiam,tantũ differre duobus,& quia nunꝙ uacuum inueniᷓt,& quia nõ habet tantam uaſorũ multitudinem. Hanc maiorem uenarũ in ieiuno multitudinẽ etiam Auicenna capite ſuprà allegato confirmat. In eo tamen à Galeno atq; etiam à ſeipſo diſſentit, quoniã poſt ieiunũ uult duodenũ plures habere uenas,quàm reliqua inteſtina. Galenus nõ duodenũ,ſed potius tenue, ſecundũ tenere locum in uenarũ abũdantia nobis inſinuauit, quum dixit ea uerba,quæ nuper adduximus:Inteſtinũ ieiunum in multas inflecti inuolutiones,quamplurimũ uaſorũ habentes. Auicenna quoq; idem ſentire cogitur,ſi uelit alteram ſeruare cauſam multitudinis inuolutionũ in inteſtinis,quæ eſt ſecũdum ipſum cõtinuatio orificiorum uenarum ſugentium: Vbi enim ſint multæ uenæ,ibi multas oportet eſſe inuolutiones:Quod ſicubi nullæ ſint inuolutiones, nec ibi tantam eſſe uenarũ multitudinem eſt exiſtimandũ.Nullas autem ineſſe duodeno inte-
B ſtino inuolutiones pariter Auicenna fatetur Fen decimaſexta, capite de anatomia inteſtinorũ,uidelicet ubi ſcribit hæc uerba:Et pars inteſtini ſubtilis,quod ſequitur duodenũ,nominatur ieiunum:& in hac quidem parte eſt initium inuolutionis,& circuitionis,& reflexionis, & quaſi ſint ei uiæ plurimæ. Si ergo inuolutiones tunc primũ initium habent, quum primũ ieiunum inteſtinum poſt duodenũ exoritur, ſequitur ipſum duodenũ nullas habere inuolutiones,& conſequẽ neq; uenarum multitudinem.Quare ſi Auicenna nolebat in ſuis ſibi ſententijs repugnare,debebat dicere, poſt ieiunum in tenui eſſe uenarum meſaraicarũ multitudinem:in quo & idem Auicenna fatetur eſſe reuolutionem unam poſt aliam:idcirco & id nominat nõ ſolum inteſtinũ longum,ſed etiam inuolutũ & reuolutum,quaſi ipſum habeat,plures etiam quàm ieiunũ inteſtinũ reuolutiones: Vnde quiſpiam poſſit colligere maiorem in eo eſſe uenarũ multitudinem,quàm in ieiuno,nedum ꝙ in duodeno. Tenue autem inteſtinũ plures habere quàm ieiunum reuolutiones Celſus quoq; cõcedit:quem autorem Plinij patronus nõ ſolum in ſententijs, ſed etiam in uerbis ſtuduit imitari, licet plus quàm Celſus errauerit, qui libri ſui de medicina, uolumine quarto, nõ ſcribit ieiunũ inteſtinum minus eſſe ꝙ reliqua implicitũ:Ex his enim uerbis ſequereᷓ duodenũ eſſe magis implicitum:quod partim Galenus, partim Auicẽna negat, qui uult & ipſe reuolutiones primũ incipere in ieiuno inteſtino.Non inquam id ſcribit Celſus quod Plinij patronus,ſed tantũ hæc uerba: Ab ea ſcilicet iunctura,quam pylorũ uocant,ieiunum inteſtinũ non ita implicitũ, inde tenuius inteſtinum in ſinus uehementer implicitum.Ita quod debemus intelligere fieri nõ inter pyloron atq; ieiunũ, ſed tantum inter hoc & tenue, utrum eorum ſit uel magis uel minus implicitũ,cõparationem,quam Plinij patronus etiam ad pyloron fieri,& pyloron eſſe magis ꝙ ieiunum implicitum,rem penitus falſam in ſua Anatomice ſignificauit. An uero ieiunum ſit magis quàm tenue implicitũ,

C ut partim ex Galeni, partim ex Auicennæ uerbis colligi poteſt, an contrà, ut Celſus apertiſſime nobis oſtendit his uerbis: Tenuius inteſtinũ eſt in ſinus uehementer implicitum, & ieiunum non ita implicitum: non auſim decernere, ſed ex ſectionibus uidendum relinquo.

Error Mundini in ſua Anatomice, dicentis inteſtinũ ieiunum eandem habere quam rectum nomina tum rectitudinem: Error Celſi in analogia & deriuatione nominis pylori. XXXIII

ILlud hic auſim pro certo affirmare, Mundinũ in ſua Anatomice errare, ſcribentem ieiunum inteſtinũ eandem habere, quam rectum inteſtinum rectitudinem: Hoc enim ueriſſime potuit de duodeno dicere, de ieiuno autem protulit falſò, ſicuti & illud alterũ, quod ad ileon ſiue tenue inteſtinũ plures ueniant uenæ meſſaraicæ, quàm ad aliquod aliud inteſtinum, Galeno atq; Auicenna cõtraria aſſerentibus: primũ ſcilicet ex inteſtinis gracilibus ieiunum inteſtinũ inuolutiones ſuſcipere: Galeno uero duabus differentijs ieiunum à tenui manifeſte ſeparante. Et quia tenue non inuenitur uacuum, & quia non habet idem tenue tantam uenarũ multitudinem, neq; illud uerebor dicere, licet minus libenter, ubi de erroribus agitur, faciam de uiris eloquentibus mentionem: non inquam uerebor dicere, Plinij patronum unà cum Celſo aberrare, ſcribentes idcirco pylorum inteſtinum hoc nomen apud Græcos eſſe ſortitũ, quoniã portæ modo per partes inferiores ea quæ excreturi ſumus, *emittit*: Neq; *enim ad hunc finem inteſtina*, præſertim gracilia à *natura ſunt facta, ut per ea excrementa alui inferioris* emittantur, ſed potius ut ſint *inſtrumenta* ciborũ *diductionis*, qui per uenas meſſaraicas nominatas, ad hepar debent tranſmitti. Rectius ergo Galenus noſter pylorum dicit ea ratione ita fuiſſe

D nominatũ, ſiue pro ima parte uentriculi, ſiue pro primo inteſtino huic annexo accipiatur, ut ueluti ianitor iuſtus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum cõuerſum atq; cõcoctum. Talem autem chyli bene concocti ſubſtantiam certum eſt per pylorũ ad inferiora inteſtina diduci, nõ ut excernat̃, ſed potius ut intra corpus retineat̃, ui hepatis in ſanguinẽ tranſmutãda, ex quo omnia mẽbra debent nutriri. Quare Galenus libro quinto de utilitate partiũ, aperte pronũciat inteſtina nõ eſſe ſuperfluitatũ excretionis, ſed alimentorũ potius, ut diximus, inſtrumenta. Quod ſi unà cum chylo, ut nõnulli opinant̃, illa etiam per pylorũ exeant, quæ uel ſuæ quãtitatis uel qualitatis ratione ab hepate repudiata, poſtea ſumus excreturi, non tamen horum ratione meatus iſte à Græcis fuit pylorus appellatus, ſed altera potius, quam paulò antea ex Galeni autoritate approbauimus.

Error Auicennæ atq; eius expoſitorum, exiſtimantium ſtercus in ſtomacho generari, & ſubſtantialem ſumere figuram. XXXIIII

DEinde quod non eſt de nomine, ſed de re ipſa contentio, Plinij patrono negabimus alui excrementa, quæ ſtercora nominantur, formam ſuam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho, ut partim ex his uerbis quæ modo confutauimus, partim ex alijs quæ in ſua Anatomice ſcripſit, uidet̃ exiſtimaſſe, ubi ſcilicet ait excrementa in colo inteſtino diutius immorari, atq; ibi quandam effigiem ſuſcipere. Quid enim per hæc uerba Plinij patronus nobis inſinuat? niſi ſe quoq; in eadem hæreſi eſſe, in qua & Gentilis, & Iacobus Forliuienſis, & omnes ferè Auicẽnæ expoſitores, qui uolunt nõ ſolum ex Auicennæ, ſed etiam Galeni ſententia ſtercora ſuum eſſe, ſeu formam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho: colorem autem atq; figuram in inteſtinis: Neque animaduertunt, q̃ multa abſurda ex tali opinione ſequantur, quæ non modò Hippocratis atq; Galeni dogmatibus aduerſantur, uerũ

& ſenſui

A & ſenſui atq; experientiæ repugnant. Habetur Hippocratis aphoriſmus ſeptima particula Aphoriſmorũ, in hunc modũ ſcriptus: In ileo uomitus & ſingultus, malum. In cuius aphoriſmi expoſitione Galenus inquit accidere hæc in ileis exitialibus, in quibus ſtercus aſcendit ad ſtomachũ. Ego uero non uideo, cur nõ eoſdem caſus poſſit efficere ſtercus in ſtomacho genitũ, quos facit aſcendens ab inteſtinis ad ſtomachũ. Quare ſi ſtercus ſuum eſſe habeat in ſtomacho, ut uolunt ſuprà memorati uiri, quotidie homo fieret ileoſus, quotidie uomeret ac ſingultiret. Neq; id foret neceſſariũ, quod de ileo ſcribit Galenus lib. tertio de potentijs naturalibus, in tali paſſione nõ poſſe ſtercus exire per os, niſi prius pertranſeat totũ tenue inteſtinum, & pylorũ, atq; uentriculum, & gulam, ſi in ſtomacho prius ſuam habuiſſet idem ſtercus generationẽ, quam in inteſtinis habere gracilibus declarat idem Galenus eodem libro tertio de potentijs naturalibus, duobus in locis, primo quidem ubi ita ſcribit: Oſtenſum autem eſt & prius, quod nihil ſubitò in contrariam transfertur qualitatem. Quomodo igitur panis fiet ſanguis? Quomodo beta, uel faba, uel aliquid aliud, niſi prius aliquã aliam alterationẽ ſuſceperit? Quomodo autem ſtercus in inteſtinis gracilibus ſubitò generabitur? Quid in iſtis uehemẽtius ad alterationẽ exiſtit, quàm in uentriculo? nũquid tunicarũ multitudo, uel proximiorum uiſcerum appoſitio, uel moræ tempus, uel natiua quædam in inſtrumentis caliditas? Item eodem libro inferius ſimilia uerba Galenus ſcribit, ex quibus colligere poſſumus, ſtercus ſecundũ ipſum, in inteſtinis gracilibus, & non in uentriculo primũ generari. Sunt autem hæc: Neq; enim cibi quidem antiquã mutant qualitatem adeò uelociter, ut quum in tenuia inciderint inteſtina, ſtatim ſint ſtercus. Bilis autem nõ multo magis, uel urina, ubi uenas exierint, mutant qualitatem, citiſſime B tranſmutationẽ ac putrefactionẽ ſubeuntia. Apparet autem ex his Galeni uerbis utroq; in loco cõſcriptis, ſtercora fieri in inteſtinis tenuibus, nõ per ſeparationem & depurationem à chylo, ut Iacobus Forliuienſis in ſua quadam ſcripſit cõcluſione quæſtionis tactæ, ſecunda particula Aphoriſmorum, in qua quærit, quo in loco fex uel egeſtio ſuam recipit formam: non inquam per ſeparationem & depurationem, ſed alteratione magis, quæ ad ſubſtantiam terminatur. Vnde & idem Iacobus tertiam ſcribit cõcluſionem, quam dicit poſſe probabiliter ſuſtineri: aliquando fecem, tam quo ad ſubſtantialem, quàm ad accidentalem formam in inteſtinis acquiri. Hoc autẽ nõ aliquando fit, ſed ſemper in hominibus ſanis, ut ex uerbis Galeni ſuprà allegatis patere poteſt. Cui tamen Galeno Iacobus cõtrariam adſcribit opinionem, quod ſcilicet forma ſubſtantialis in corpore naturaliter diſpoſito & debite, recto acquiritur in ſtomacho. Hæc enim eſt prima cõcluſio Iacobi quæſtione allegata. Secunda autem altera tacta, quod ſeparatio & depuratio fecis à chylo, & accidentalium diſpoſitionum acquiſitio, quibus fex à chylo diſcernitur, acquiritur in inteſtinis. Per quas duas concluſiones putauit Iacobus ſe inter Galenum atque Auicennam feciſſe cõcordiam, quaſi prima concluſio foret ex Galeni, ſecunda autem ex Auicennæ opinione, & neutra alteri cõtradiceret. Quod ſi ita eſſet, ut Iacobus exiſtimauit, tunc omnis cõtradictio inter Auicennam atq; Galenũ tolleretur. Verũ res contrà ſe habet: nam ut ex antea dictis apparet, Galenus eſt ipſe qui ſentit ſtercus in inteſtinis tenuibus generari, ſicuti Auicẽna in ſtomacho. Quam Auicennæ eſſe opinionẽ poſſum nihilominus ex pluribus Auicennæ uerbis demonſtrare: Nam Fen ſextadecima tertij, capite de anatomia inteſtinorũ, aſſignans cauſas Auicenna, ob quas orificiũ duodeni ſit ſtrictius quàm meri, inter alias hanc quoq; ſcribit: quoniam penetranti in meri non attribuitur ex uirtutibus naturalibus, niſi uirtus una: penetrãs autẽ in inteſtino primo patitur à duabus uirtutibus, quarum

Aphor. 10

C una eſt expulſiua, quæ eſt in ſtomacho, & altera eſt attractiua, quæ eſt in inteſtinis, & adiuuat eam fex, quæ prouenit propter ſummam cibi, & fit facilis propter illud expulſio per uiam temperatæ amplitudinis. Quæ poſtrema uerba indicāt manifeſte, feces, quæ alio uocabulo ſtercora nominant̃, in ſtomacho ſecundū Auicennā generari, alioqui ui attractiua duodeni, & aliorū inteſtinorū nō attraherentur. Vnde coactus eſt dubitare Gentilis, quid ſit illud quod inteſtina principaliter trahūt, ſi tractus fecis eſt adiuuatiuus, & ſoluens dubitationem ſcribit hæc uerba: Quod principalis attractio cibi ab inteſtinis ſit, ut inteſtina uoluptuent̃, & ex eo ſumant aliquid, & quia fex in inteſtinis eſt proportionalis, ſicuti urina in ueſica, ideo iuuat hanc attractionē fex, quæ prouenit ex ſumma cibi. Item paulò poſt ſoluens Gentilis aliam dubitationē, an inteſtinis ſit uirtus attractiua, in eandem ſententiā per hæc uerba ſcribit: Dicendū quod in inteſtinis eſt attractiua uirtus: Nam ſi inteſtinis eſt aliqua uoluptuatio eius quod eſt in eis, igitur illud attrahūt. Nam attractio ex uoluptuatione dependet, quū attrahens attrahat propter uoluptuari. Sed inteſtina uoluptuantur eo quod eſt in eis, quū aliquam ex illo refocillationē recipiant, ſaltem gracilia, & etiam groſſa aliqualiter uoluptuant̃ in fece, quemadmodū canes in ſuperfluitatibus, ſic inteſtina in fece, ueſica in urina, & fel in cholera, ut tertio de uirtutibus naturalibus. Hæc quidem Gentilis, qui in ſuis uerbis uidetur ſentire, ita feces trahi ab inteſtinis, ſicuti à ueſica urinā. Galenus uero ne chylum quidē uult trahi ab inteſtinis, ex quo nutriūtur, nedum feces: Neq; uero à ueſica urinā, ſed alterū quidē à *uentriculo* per *pyloron* ad *inteſtina* propelli, urinam uero à renibus ad ueſicam per *meatus urinarios*, ut de inteſtinis Galenus ipſe multis teſtat̃ locis, quos nullam omnino uult habere attractiuā, atq; ideo fibris ſeu uillis carere rectis. De

D ueſica autē libro ſexto de interioribus manifeſte declarat. Auicenna quoq; paulò ſuperius afferens pariter rationem, ob quam duodenū ſit ſtrictius, q̃ meri, ſcribit hæc uerba: Et illud quod penetrat in hoc inteſtino eſt lenius & planius, & ſubtilioris quātitatis propter digeſtionē ſuam in ſtomacho, & cōmixtionem ſpumæ aquoſæ fecum. Quæ uerba exponens Iacobus de partibus nouus Auicēnæ expoſitor, ſcribit in hunc modū: Et res quæ tranſeunt per portanariū & duodenū, ſunt leniores his & planiores, id eſt minus aſperæ, ſeu magis lenes & ſubtilioris ſubſtantiæ, uel minoris molis, uel gracilioris: Primo cauſa digeſtionis, quā in ſtomacho acquiſierunt, quæ illic permiſcuit ſubtilia cum groſſis, & ipſa adæquauit: Secundo propterea, quod quæ ſibi admixtæ ſunt ſpumæ aquoſæ fecū, ſubtiliant̃. Hæc ille. Verum Auicennæ rationes probantes primū inteſtinum eſſe ſtrictius q̃ meri, præter id quod ſatis uident̃ abſurdæ, ſunt etiam aliter uitioſæ, quia alteri contradicūt, per quam poſtea Auicenna probat ſecundū inteſtinum ſemper uacuum reperiri, unde ieiunū nominatur: quia uidelicet cholera citrina uenit ad hoc idem inteſtinū pura, hoc eſt impermixta fecibus, ut exponūt Auicennæ expoſitores: Nam ſi fex chylo cōmixta trahitur ab inteſtino duodeno, à quo ſtatim deſcēdit ad ſequens inteſtinū ieiunū nominatū, quomodo poterit cholera citrina pura, hoc eſt impermixta fecibus, peruenire ad inteſtinū ieiunum, in quo offendit feces chylo cōmixtas, ſicuti & in alijs ſequentibus? Neq; enim poſſunt dicere integram fecum à chylo ſeparationem fieri in inteſtino duodeno nominato, qui aiunt feces chylo permixtas uſq; ad monoculum & colon quoq; peruenire: Quod indicāt & ipſius Auicennæ uerba capite allegato de inteſtino monoculo ſcripta, in hunc modum: Et de eis eſt, quoniam hoc inteſtinū eſt initium reliquarū conuerſionum cibi ad feculentiam, & præparationis ſuctionis futuræ, accidentis ei ex neceſſitate, licet nō ſit in illo illa ſuctio. In quibus uerbis uidet̃ Auicenna ſentire fieri fecum à chylo ſequeſtrationem

Ieiunum inteſtinum unde dictū

per

A per uenarum meſſaraicarum ſuctionem, etiam in craſſioribus inteſtinis. Galenus uero quarto de utilitate partium ſimilem ſequeſtrationem, non quidem fecum, ſi per feces ſtercora intelligamus, ut intelligũt Auicennæ expoſitores, ſed partium chyli terreſtriũ, quæ poſtea in inteſtinis gracilibus in ſtercora tranſmutantur, uult primum in uentriculo fieri, ut uerba eiuſdem Galeni libro allato indicant, in hunc modum ſcripta: Promptuariũ autem hoc quod cibum totum ſuſcipit, ceu diuina & non humana exiſtens creatio, laborat circa cibaria primo labore, ſine quo inutile eſt, & in nullum cõmodum animali. Expurgat enim ex eis, ſicuti qui circa tritici elaborationem artifices, ſi quid terræ, aut lapidũ, aut ſylueſtrium ſeminũ infertur nocere corporibus natorũ: Ita & uentris uirtus ſi tale aliquid fuerit, pellit inferius. Reliquũ uero totum, quod fuerit natura benignũ, adhuc benignius efficiens uenis, quæ ad eum & inteſtina perueniunt, diſtribuit. Quorum uerborũ ſenſum nõ recte accipientes quidam Auicennæ expoſitores, ſcribere non dubitarũt eſſe Galeni, ſicuti Auicennæ opinionem, ſtercora ſuam formã ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho. Nos uero dicimus materiã quidem, ex qua fit ſtercus, in uentriculo gigni, ſed nondum eſſe ſtercus, donec ad inteſtina gracilia perueniat, ſicuti & materia urinæ, ſcilicet aquoſa ſuperfluitas, & ipſa in ſtomacho ſiue uentriculo, ex cibis & potibus generatur, quæ eſt etiam materia ſudoris. Non tamen propterea dicimus, aut urinã, aut ſudorem, formam ſuam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho, ſed alterum in uenis, ſeu magis in renibus, ut Theophilo placet, alterum uero in membris, ad quæ eadem aquoſa ſuperfluitas unà cum ſanguine delegatur. Eſt em̃ hæc uehiculum alimenti, tum eius quod à uentriculo per uenas meſſaraicas defertur ad hepar, tum quod ab hepate ad totum corpus nutriendũ tranſmittit̃. Quare

B Gentilis & Iacobi Foriliuienſis rationem, qua nituntur probare ſtercus ſuam formam ſubſtantialem ſuſcipere in ſtomacho, quoniam idem ſit dans formam iuuatiuo & nocitiuo, poſſumus ita refellere: Sudor eſt aquoſitas ſanguinis, ut non modò Galenus libro undecimo de ſimplici medicina, & libro de ſalubribus primo, ſed etiam Auicenna ſecundo Canonis, atteſtantur: & tamen ſanguis formã ſuam ſubſtantialem in hepate recipit, ſudor autem in alijs membris. Simile argumentũ ex urina poſſumus facere, quæ eandem habet cum ſudore materiã, ut Galeno libro paulò antea allegato, undecimo ſcilicet, de ſimplici medicina placet, & tamen formatur in renibus, ut Theophilo placere diximus, quod etiam confirmat Egidius, & tamen ſanguis, cui urina eſt ſuperfluitas, in hepate generatur. Cur uero ex urina non modò renum, ſed in primis hepatis atq; uenarum diſpoſitiones poſſimus dijudicare, non eſt difficile ratione comprehendere, quum materia illa aquoſa, ex qua fit urina in renibus, plurimum à uenis atque hepate patiatur, antequã à renibus attrahatur, atque in urinam liquidam conuertatur. Sic ex ſtercore, tam ſuper uentriculi, quàm etiam inteſtinorum affectibus dijudicamus: quoniam licet ſtercus in inteſtinis generetur, materia tamen ex qua fit ſtercus, plurimã habuit prius in ipſo uentriculo alterationem, ut ſuprà ex Galeni libro tertio de potentijs naturalibus autoritate monſtrauimus, loco quo ſcribit multas eſſe neceſſarias alterationes, antequam panis in ſtercus tranſmutetur.

Defenditur Hermolaus dicens ſtrumas adeſſe adenas: Et probatur contra Plinij patronum, quod probè nouerit inter leucomata atq; argemata differentiam. XXXV

SEd iam hanc rancidam fœtidamq; de ſtercorũ generatione diſputationẽ, quæ uel ſuo odore legentium nares poſſit offendere, relinquamus, atq; ad id quod ſecundo loco facere propoſueramus, ad Hermolai ſcilicet in his quæ ad medicinã

C attinent, defenſionẽ reuertamur, quẽ uideo inſuper à Plinij patrono taxari, quod ſtrumas, adenas dixerit, quæ ſtrumæ, ut taxator obijcit, non ſunt adenes, ſed in eis naſcuntur, neq; in omnibus. Quam quidem obiectionẽ miror à Plinij patrono factam, Paulum Aeginetam, ut audio interpretante, apud quem autorẽ legere potuit chœradas, quas latine ſtrumas, uulgò ſcrofulas nominamus, eſſe adenas induratos. Quare nõ poteſt Plinij patronus Hermolaũ reprehendere, ſcribentem ſtrumas eſſe adenas, niſi illum pariter damnet, quẽ interpretaẽ autorẽ. Accuſat etiam Hermolaum, leucomata & argemata idem eſſe falſò putantem: ſed caueat ipſe, ne ſit falſus accuſator, néue maiori utatur licentia, quã illa, qua me in ſua præfatione ſcribit ad Plinij tanti autoris calumniam fuiſſe inuitatũ: Nam quod ipſe Hermolaum non minorem noſtra ætate uirum inique reprehenderit, indicãt ipſa Hermolai de argemis atq; leucomatis uerba in hunc modum ſcripta: Argemata uidentur idem ferè eſſe quod leucomata, hoc eſt albugines, quanquam in Loto herba Dioſcorides uideatur ſeiungere, quũ & ad argemata & leucomata pollere illam tradit, niſi quis nõ leucomata eo loco, ſed glaucomata ſcribendum eſſe cenſeat. Hoc quidem in loco Hermolaus, ſint'ne argemata atq; leucomata idem oculorũ uitiũ, nihil decernit, ſed propter quandam utriuſq; affectus in colore ſimilitudinem, non ſine ratione dubitat. Circa finem tamen totius operis, hoc eſt Plinianarũ caſtigationũ, & gloſſematum in Plinium, ubi lectorem cõmonet, quid de eius labore debeat iudicare, differentiam *inter argemon atq; leucoma* apertiſſime ponit ex Pauli autoritate, licet *(ut poſtea ſubiũgit) didicimus*, ut refert Pauſanias, argemon idem putauerit eſſe, quod leucoma. Verba Hermolai, loco quo diximus hæc ſunt: Argemon differt à leucomate, hoc eſt albugine: Ait Paulus, argemon hulcus eſt eius orbis, qui uocatur iris, id eſt arcus cœleſtis in oculo, extrà rubens, intrà candidũ. Albugo cicatrix eſt oculorum altiuſcula, ſicuti in ſummo nubecula. Vtinam Auicenna tam bene albuginem ab argemo diſtinxiſſet: nam ex definitione albuginis, quam tertio Canonis idem Auicenna affert, quomodo albugo ab argemo differat non apparet, niſi Plinij patronus ita hac differentiam ex Auicennæ uerbis manifeſtet, quemadmodũ ego, tam ex Hermolai ſcriptis Paulum allegãtis aperui: Quod ſi fecit, hanc euidentẽ ipſius in Hermolaũ calumniã æquiori animo tolerabimus. Sed iam uideo me in enarrãdis uel Plinij patroni, atq; aliorũ medicorũ erratis, longius quã propoſuerã fuiſſe euagatũ, quamuis neq; per ſingula capita Pliniani codicis, aut Anatomices eius patroni diſcurrentẽ, ſed tantũ illa notantẽ, quæ in noſtri aut Hermolai defenſiões incurrebãt, adeò ut quã ab initio ludũ putarã de Plinij erroribus diſputationẽ, uideã eſſe factã utilem quidẽ, ſed penè odioſam cõtentionem. Cui tamen primus Plinij patronus nõ paruam dedit occaſionẽ, dum me Pliniũ in æra taxantẽ, nõ rationibus atq; argumẽtis, quod æquo animo ferre potuiſſem, ſed dicterijs atq; cõuicijs, quantũuis illi antiqua amicitia deuinctũ, in ſua Plinianarũ emendationum præfatione ſtudet dehoneſtare. Nũc me ſciolũ, atq; obgarrientẽ in autorẽ tot antea ſeculis celebratũ, nunc laruas ad pugnã irritam euocantem, nũc indoctũ atq; ineruditũ, cui Plinius nõ ſapiat, nunc parũ pudentẽ & licentioſum appellans calumniatorẽ, & pleraq; alia in me præcipue dictitans, quæ etiã Socratẽ omniũ patientiſſimũ iniuriarũ, potuiſſent ad iram prouocare. Me ſanè, licet nõ minus moralẽ, quã etiã alias profitear philoſophias, ita irritarũt, ut uel mea natura repugnãte, coactus fuerim par pari referre, & ea ſcribere, quæ uel amicũ qui me prius momorderat, remorderent. Quẽ tu Franciſce Totte admonebis, futurus quidã inter nos ueluti caduceator, ſicuti primus pugnæ dediſti teſſerã. Tu inquam Plinij patronũ admonebis atq; exhortaberis, ut ſi Plinij manibus uult afferre gaudia nõ mœrores, hãc de

Argemon.

D

Albugo.

A Plinij erroribus diſputationem in poſterum ſinat eſſe ſopitam. Aut ſi eam omnino renouandam duxerit, modeſtius illam quàm inchoauerat, peragat, atq; ita pertractet, ut debet inter amicos de nulla re alia magis, quàm de ueritate contendentes pertractari. Neq; enim ego odi mihi contradicentes, ſed potius maledicentes, uel eo maxime, quod me incitant, id quod nolim ſi poſſim libenter facere, ad maledicendum. Nam & mihi nuper mouere ſtomachũ grammatiſtæ quidam, qui uix ultra primas progreſſi literas, audent etiã de altioribus ſtudijs iudicare. Sed garriant ipſi quantum uelint, eorũ garritibus meæ poſthac aures obſtruentur, ne hac ætate cum illis de grammaticæ regulis diſputando, uidear quodammodo repueraſcere. Si qui uero in his quæ ad medicinã, aut uniuerſam attinent philoſophiã, in quibus latiſſimos obtuli campos, cõtra me uolentibus dimicare, non adeò pro Plinio, quàm etiam Auicẽna, atq; alijs medicis ſectatoribus Auicẽnæ, qui à me in hoc opere fuere notati, glorioſum uoluerint ſubire certamen, parati ſumus eadem quã ab ipſis deſideramus, modeſtia reſpondere, uel noſtros errores, ſi nos ac non illos erraſſe demonſtrauerint, retractaturi, uel aliorum magis ac magis, ſi debiliter defenſi fuerint confirmaturi, atq; inſuper alios quamplures, id quod nuper in Plinium fecimus, aceruaturi.

LIBRI TERTII FINIS.

HIERONYMVS MENOCHIVS LVCENSIS MEdicus, Nicolao Leoniceno philoſopho, medicoq; ſummo S. D.

QVVM multa ſint eruditiſſime uir, quæ homines ad diligendũ alliciant, B uirtus præcipue inter ea uim maximam obtinere uidetur. Quũ igitur ſuperioribus diebus tuã interpretationẽ curatiuæ artis Galeni à Conſtantio Piſtorienſi Cancellario mihi conceſſam diligenter perlegerim, nonnulla etiam tua de dipſade ſcripta, aliqua etiam in Piſtoriũ quendã, à Franciſco Totto Lucenſi cõmuni amico hic uiderim, ad te amandũ ſupra modum adductus ſum: etſi prius ſemel tantum iſtic te de morbo, quẽ gallicũ appellant, affatus, tuam præſtantiam diligere cœperã. In his ſanè tuis ſcriptis multa reperi, quæ mihi cordi fuere, ſed præcipue unũ de cane rabido, de quo olim in domo Aldi Romani Venetijs coram Nicolao Zoccha Veneto medico uerba fecerã multa, quoniã Dioſcoridem græce legeram, multosq; alios iuniores latinos, talem grauiſſimum morbum eiusq; curationẽ ex arte ponentes, experientia etiam cum Ariſtotelis uerbis pugnabat, nec mihi licere arbitrabar, in tantũ philoſophũ inuehi. Quapropter tibi gratias ago ingentes, habeoq;, quia grauiſſimũ è mente mea ſcrupulũ ademiſti. Tua uero dipſas mihi immẽſam ſitim (ut eius morſus eſt) incuſſit, legendi aliquid ex tua officina prodiens. Hortor itaq;, ut quoad per tuas occupationes licet, Galeni reliqua uolumina interpretanda aggrediare, uel ſi aggreſſus es, iam ædere feſtines. Quid enim mendoſius eius latinis libris circũfertur? quid'ue magis terrum? Adeò enim eius libri deprauati, ut quiuis uel mediocriter eruditus, latine eos legere aſpernetur. Et quanquam eorũ lectioni multum inſudet, ex ea tamen nullum ſæpe, interdum prauum ſenſum elicere poſſit, quũ græca librorum Galeni lectione nihil ſit elegantius. Enitere igitur eum à barbaris uindicare: ſolus enim potes. Quod ſi facere dedignatus fueris, uereor ne ut barbari Turcæ ſcilicet magnã partem Græciæ diripuere tenentq;, ſic barbari noſtri temporis medici ſuis interpretatiunculis Galenum funditus peſſundent, lanientq;. Libera igitur à tali calamitate tantum uirum. Quod ſi feceris, deo primũ rem gratam facies, deinde hominibus

C uiuentibus futuriſq; ſalutare quoddam communeq; remediũ excogitabis. Noſt enim probe quot errata, quantiq; momenti in hac medica arte quotidie perpetren tur. Sed de his aliâs. Ego ſi quid hic tuæ excellentiæ cauſa agere poſſum, meã ope ram, domũ, meq; ipſum totum tibi offero, néue etiam ſine magna mea utilitate à te reſponſum expectem, rogo ut mihi declarare per literas digneris, ſub quo capite apud Dioſcoridem græce contineatur id, quod nos caſſiam fiſtulam appellamus, quomodoq; ab eo uocet. Item à tua excellentia intelligere optarẽ, ubi idem Dio- ſcorides agat de manna, & quid ſit apud ipſum μαίνα βαίσ, Item quid ixias. Me enim non pudet, nec unquam puduit, & ſi pauca ſciam, quæ ignoro, ab aliquo do cto uiro, qualem te dudum noui, aliquando diſcere. Nec me auaritiæ accuſes uel- lim, quia tecum inire amicitiam, uel potius confirmare, cum non parua mea utilita te decreui: Talem enim te eſſe apud me prædicauit Franciſcus Tottus meus, imò tuus, ut libenter quemuis, uel ignotum erudias. Turpe inſuper putabam ab uber rimo fonte limpidiſſimæ aquæ me ſitientem diſcedere, quũ præſertim à tua dipſa- de ictus, eum dudũ optauerim. Valeat tua excellentia, cui me plurimum cõmen- do. Quinto Calendas Decembres, M. D. III

NICOLAVS LEONICENVS HIERO NYMO MENOCHIO LVCENSI PHILOSOPHO AC MEDICO PRAESTANTISSIMO S. D.

D QVAM mihi nuper reddidit Franciſcus Tottus Lucenſis com munis amicus epiſtolam diſertiſſimam, planè mihi indicauit te non eſſe ex numero illorũ, qui barbaram philoſophiã ac medi cinam profitentur: Alioquin nõ tam eleganter ſcriberes, neq; tantopere noſtras translationes, aut noſtra ſcripta, quibus præ cipue barbaros autores uellicamus, cõprobrares. Equidẽ hac tua epiſtola lecta, cœpi de ſeculo noſtro bene ſperare, quũ ui- deam me tales habere uiros, idem mecũ de tota philoſophia, & medicinæ arte ſen tientes: qualis tu unus es, & alter Conſtantius noſter Piſtorienſis, uel quidam alij, exigui ſanè numero, ſed bello uiuida uirtus. Quibus ſi non potero, id quod tu ma xime optas, & ut facere proſequar exhortaris, ob ætatem iam ingraueſcentẽ adim plere, iuuabit ſaltem lucernã prætuliſſe, atq; iter aperuiſſe, quo poſſit tetra iſta bar baries, quæ pridem omnes bonas artes occupauit explodi, ſeu funditus profliga- ri. Quare tuum ac cæterorum quos recta ſtudia delectant, erit officiũ, ut quod ego unus nõ poſſum efficere, mecum ſimul facere ſtudeatis, & quam ſibi laudem qui- dam literatores dudum uſurparũt uindicatæ Italiæ à barbaris, multo iuſtius nobis aſciſcamus, qui non ſermonem latium recuperamus, ſed omnes planè homines à mortis periculo eripimus, dum expulſis ſeculi noſtri tenebris, ueterẽ medicinam in lucem reuocamus. Hoc ſanè mihi uidetur uere philoſophari, nõ de uocabulis, ſed de rebus ad hominũ ſalutem plurimũ neceſſarijs, cum barbaris decertare. Lo- quantur ipſi ut uelint, & uiperam tirum, uel quouis alio uocabulo nũcupent, mo- do quis ſerpens ſit tirus, qui ad theriaces cõpoſitionem recipi debet, nõ ignorent.

Auicenna atq; Albertus ignorarunt quæ ſerpens eſſe tirus: Thuſcia medicamentorum & uenenorum feraciſſima. I

HAc ſanè inſcitia & Albertum cognomẽto Magnum, & Auicennam quoq;, cui medicinæ principatũ tribuit hæc ætas, in dipſade noſtra laboraſſe demon ſtrauimus. Quæ ſi tibi tantã ſitim induxit (ut ſcribis) iure tuo poteras, ut ab ea ſer-

pente

A pente morſi, uno oris hiatu noſtri fontis aquas exhaurire. Cur enim tam pauca in tuæ epiſtolæ calce petijſti? Cur etiam tuas quæſtiones partitus es, nõnullas epiſtolæ, nonnullas chirographo cõmittendo? an quia uerebaris ne nimiũ auare amicitiæ noſtræ primordijs, uel cõfirmatione potius abutereris? An quia id quod eſt ſuſpicabaris, nõ fontem apud nos, ſed riuulum tantũ ſcaturire, quem facile poſſit immodicus potus exiccare? Conabor tamẽ pro tempore in his quæ ex me ſcire concupiſcis, tuo honeſtiſſimo deſiderio ſatisfacere: forte illud aliquando uberius impleturus, ſi tibi cõtigerit mecũ uagari in tuæ patriæ montibus, quos ad hunc ipſum finem uiſere inſtitui, ut poſſim herbas in ipſis naſcentes tam ſalutares, quàm etiam noxias cõtemplari: Neq; enim me latet Tuſciam eſſe & medicaminũ ac uenenorum quoq; feraciſſimam, hoc idem Theophraſto, libri de hiſtoria plantarum nono uolumine, & Aeſchyli autoritate cõfirmante: hoc dudum fuiſſe mei animi inſtitutum teſtem facio Franciſcũ Tottum, cui ob morum integritatem, & doctrinæ præſtantiam, ſoleo omnes meos cogitatus aperire: ob idem meæ mentis propoſitum, neque illa quæ tu mihi tua humaniſſima epiſtola offers, omnino reſpuo. Forte illis, ſi ita neceſſitas tulerit, uſurus ad id opus, quod etiam tibi ſpero placiturum, qui non es in ea hæreſi (ut arbitror) in qua omnes ferè medici iuniores uerſantur, hanc herbarum & aliorũ ſimplicium medicamentorũ indagationem, nõ ad medicos, ſed ad ſeplaſiarios ſeu pharmacopolas pertinere, opinantes. Quod ſi ſenſiſſet Hippocrates ille primus medicinæ parens, & qui illi ſucceſſere medici ueteres, non iuuiſſet eos ire per ſolitudines, & quærere herbas alias alijs diebus anni: ſed (ut ætate noſtra fit) ſediſſent in ſcholis, potius de rebus nullius ad uitam momenti diſſerentes, & fata hominum non ſua, ſed aliena fiducia gubernantes.

Tuſcia ferax omnis generis herbarũ.

B *Galenus male ab Auicenna allegatur in fructu, quem Arabes carnubium, Græci ceratia nominant, Latini ſiliquam dulcem: Per caſiam fiſtulam aliud intelligũt Græci, aliud Arabes.* II

VErum ne imitari uideamur illam quam præcipue damnamus garrulitatẽ, iam ad illa ueniamus quæ à nobis in tuæ epiſtolæ calce quæſiſti: Quorũ primum eſt, ſub quo capite contineatur caſſia fiſtula apud Dioſcoridem: &, quod eiuſdem quæſtionis eſt, ſub quo capite etiam manna, qua æque atq; caſſia fiſtula medici iuniores ad molliendam aluum utuntur. Quare ad utranq; reſpondeo, autores græcos (de ueteribus loquor) de neutra facere ſpecialem mentionẽ, uel quia ipſas non nouerunt, uel forte in uſu medicinæ non probauerunt. Siquidem Galenus ſimilem caſſiæ fiſtulæ fructum, quod à Græcis ceratia, ab Arabibus corrupto, ut puto, uocabulo carnubium nominatur, omnino improbat, adeò ut libro ſecundo de alimentis optet, uel melius eſſe opinetur, quod nunquam ad ſuæ gentis homines ex locis in quibus naſcitur, deferretur. Quorũ occaſione uerborum mihi ſubit admirari, quomodo Auicenna, qui ſe Galeni fatetur interpretem, illum tamen perperã alleget, dicentem quod hic fructus non defertur ad alias regiones: Fruſtra enim Galenus optaſſet, ne deferreẽ ad ſuos, ſi ad alias regiones ex ſolo in quo gignitur non deferebatur. Dixi autem ceratia eſſe ſimilem caſſiæ fiſtulæ fructum: quoniam & color corticis idem, & medulla etiam dulcis, ſicuti caſſiæ fiſtulæ, & præterea ſimilibus ſeminibus eadem medulla diſtinguitur, ut non ſolum ſenſus, ſed etiam Serapionis probat autoritas, qui capite de caſſia fiſtula inquit, quod intra cannas caſſiæ ſunt laminæ ex carne nigra, & parietes diuidentes inter eas, & inter laminam & laminam ſunt grana, ſicuti grana xilocaractæ, & eiuſdem magnitudinis, quorum color eſt inter glaucedinem & luborẽ. Per xilocaracta autem debemus intelligere fructum, quem Græci tum ceratia, tum etiam xilocaracta nominant, Latini

C ſiliquam dulcem: Arabes autem (ut antea diximus) carnubium. Sed & eadem eſt ſiliquæ dulcis, quæ etiam caſſiæ fiſtulæ proprietas: Nam utriuſq; medulla quũ recens eſt, laxat uentrem, quũ uero exiccata, potius contrahit: Quod de ſiliqua dulci Dioſcorides, Galenus, & Paulus, ac Plinius quoq; teſtatur apud nos. De caſſia fiſtula autem cõſtat medicorum experientia. Hic tamen medicos iuniores commonefacere oportet, etiam in libris Græcorum, ſicuti Dioſcoridis atq; Galeni de caſſia fiſtula legi, ſed non de illa, de qua tu quæris, quæ uim habet aluũ molliendi, atq; ideo à quibuſdam recentioribus ſiliqua pharmaceutica nominatᷣ: ſed de quadã ſpecie caſſiæ ligneæ, quæ σύριγξ, id eſt fiſtula, ab eiſdem Græcis nominatur. Quapropter diligentius aduertendum, ne quum in libris Græcorum caſſiam fiſtulam ſcriptum inuenimus, alterã putemus intelligi, de qua Arabes autores loquunᷣ. Quo quidem in errore ſcio pleroſq; medicos recentiores frequenter implicari, qui corti ce caſſiæ fiſtulæ Arabicæ medicinæ ad citanda menſtrua utuntur, quum caſſiam ligneam potius ad eundem uſum debeant recipere, ex Dioſcoridis & aliorum medicorum græcorum autoritate, qui alteram caſſiam fiſtulam uidentur neglexiſſe, ſicuti & alios arborum fructus, quos autores Arabes, & medici iuniores illos ſequentes, in frequenti uſu habent, omnino deſpexerunt.

Iuiubæ ab Arabibus autoribus in uſu medicinæ probantur, à Galeno damnantur: Fructus quem Græci mixam dicunt, Arabes ſebeſten uocant. III

IVíubas quidam Arabes autores, Serapio præſertim, ad multos uſus medicinæ cõmendant: Vnde & medici iuniores aquam in qua decoctæ ſunt iuiubæ, calida & tenui pituita laborantibus, ad potandum exhibent. D Galenus tamen libro ſecundo de alimentis, capite de ſericis, id eſt zinzifis uel iuiubis, ingenue fateᷣ ſe nõ habere aliquid de ipſis teſtificari ad ſanitatis conſeruationem, aut ægritudinum curationem: Sunt enim (ut inquit) cibus mulierum & puerorum effrenatorum, paucíq; alimenti, & indigeſtibiles: ſimul cum hoc, quod neq; euſtomachũ eſt alimentum, palàm quod & ipſum dant paucum corpori. Quid tritius eſt ſermone medicorum, quàm ſebeſten uel eclegma, ſiue (ut uocabulis uſitatis apud iuniores medicos utamur) electuariũ de ſebeſten? De hac tamen tam famoſa apud Arabes ac iuniores medicos medicina, neq; Dioſcorides, neq; Galenus quicquam commeminerunt. Paulus uero utroq; ætate poſterior, hoc tantũ de mixa dixit, quod eſt fructus arboris minor quidem prunis, uiribus autem ſimilis. Mixam autem eſſe fructum, quem Arabes ſebeſten nominant, minime dubitamus, quod & ſenſus ipſe Pauli uerbis idem cõfirmantibus probat: Eſt enim, ut ille inquit, mixa pruno quidem ſimilis fructus, ſed minor eo. Plinius quoq; libro decimotertio de naturali hiſtoria, capite ſcilicet quinto de Syriæ arboribus, de prunis in Damaſco monte natis, & mixis unà loquitur, & ait utrunq; fructum iam eſſe familiarem Italiæ. Forte autem hoc ſtudium noſtrum facturum eſt ſcientiæ medicinæ utilitatem, ſi res illas, quas ſolent medici recentiores barbaris tantum nominibus enunciare, & non niſi à barbaris mendicare, iam latinis aut græcis uocabulis indicauero, & poſſe etiam in Italia inueniri demonſtrauero. Dudum enim tiris precij autoritatem ademimus, alios eſſe in Italia ſerpentes, multo quàm tiri Aegyptij ad theriaces compoſitionem utiliores oſtendentes: factíq; iam ſumus illis odioſi, qui non uera remedia, ſed nomina magis uenditant. Verum hæc tibi, & tui ſimilibus ſcribimus, qui ex arte medicinæ non adeò quæſtum, quàm ſalutem hominum quærunt, & in Italia ægrotantibus malunt latine, quàm Arabice medicari.

Mixa fructus.

Simonis

A *Simonis Genuenſis de manna & zucharo opinio improbatur: Dubitatio de zucharo Candi: Auicenna male in zucharo Candi à Montagnana allegatur.* IIII

DE manna, de qua etiam quæris quid ſit apud Dioſcoridẽ, ſi Simonis Genuenſis probarem ſententiã, qui in litera M. cap. de melle, ait antiquos Græcorũ non habuiſſe zuchari notitiam, quo nos utimur in uarijs cõpoſitionibus, dicerem quid ille loco allegato in ſuis uerbis inſinuat, mannam apud Dioſcoridem eſſe, ſacharum ab eodem Dioſcoride in capite de melle nominatum. Verũ ego aliter ſentio, ſacharum apud ipſum, ſicut etiam apud Galenum, eſſe id quod nos uulgò zucharum nominamus: & Græcos ueteres de ſacharo ſiue zucharo quidem ſpecialiter quandam ſpeciem mellis eſſe dixerunt: de manna autem generatim tantummodo, non autem ſpeciatim fuiſſe locutos: licet Meſues falſo Galenũ tribus in locis alleget de manna loquentem, ſcilicet capite de manna, & capite de ſcamonea, & capite de confectione mannæ ex inuentione Galeni: Manna enim apud græcos autores nõ eſt medicina molliens uentrem, ſed potius adſtringens, & frequentius manna thuris, quæ manna ſimpliciter nũcupatur: Nam (ut inquit Galenus libro decimotertio artis curatiuæ) ea quæ manna uocatur, eſt cõcuſſio thuris, quæ paruam quandã uim adſtringendi participat, atq; ob id ad quædam melior eſt ipſo thure. Hoc enim uim ſolam ſupprãdi habet, & quod minime ſtipticũ exiſtit, maximeq; illud quod pinguius eſt, & colore albius: quemadmodũ quod hoc flauius eſt, magis exiccat. Illi autem quæ manna uocatur, parum quoddam ex cortice thuris admixtum eſt, à quo uim ſtipticam habet. In eandem ſententiam ſcribit Plinius libro duodecimo de naturali hiſtoria, capite decimoquarto de thuris natura & generibus eius inſcripto. Hæc enim ſunt eius uerba: Micas concuſſu eliſas mannam

B uocamus. Quanquã uitio codicis nõ mannam, ſed mammam legatur: ut iam obiter ſit tuæ tertiæ quæſtioni ſatisfactum, quid ſit manna thuris apud Dioſcoridem. *Lib.1. cap.80*
Suprà autẽ dixi autores græcos de manna, caſſiæ fiſtulæ compari medicina, etſi nõ ſpeciatim, ſaltem generatim ſcribere: quoniã poteſt hæc manna uentrem ſoluens, ad caput de melle, apud eoſdem græcos autores referri, ſicuti etiam ſacharũ, quod ſpecies mellis, tum à Dioſcoride, tum etiam à Galeno ponit. Hæc enim ſunt Dioſcoridis de ſacharo uerba: Vocatur autem quoddam etiam ſacharũ, ſpecies mellis exiſtens, quod in India cõcreſcit, & in Arabia felici inuenitur in calamis, ſimile ſecundum ſubſtantiam ſali, & ſub dentibus inſtar ſalis cõfringitur. Licet Simon Genuenſis, ut ſuprà notauimus, ſacharũ hoc de quo Dioſcorides, non zucharum nobis dictum, ſed quandam mannæ ſpeciem eſſe putauerit, ut hac una tantum ratione Meſues poſſit excuſari, Galenum allegans de manna ſcribentem, ſi per mannam ſacharum intelligit, quod Dioſcorides atq; Galenus ſpeciem mellis arbitrantur. Manna enim de qua Arabes autores ſpecialius loquũtur, parum differre à zucharo & melle patet autoritate tum Serapionis, tum etiam Auicennæ: quorũ alter tereniabim, quæ eſt ſpecies mannæ, mel roris appellat: Alter uero ſuacharũ haoſcer mannæ ſpeciem eſſe dicit. Neq; obſtat, quod mel ferè ubiq; naſcat̃, & ſit apum opus, manna autem paucis in locis, & ſit naturæ tantum munus: quoniam ſi hæc ratio ualeat ad probandũ mannam non debere ad caput de melle reduci, etiam de ſacharo probaret, quod tempore Dioſcoridis, ſicuti ex uerbis huius autoris ſuprà notatis apparet, in India tantum, & felici Arabia inueniebat̃ in calamis: & tamen inter ſpecies mellis non ſolum à Dioſcoride, ſed etiam à Galeno connumerat̃: qui duo autores eodem capite de utroq; ſcripſerunt. Quanquam Auicenna uidetur ſalem Indum, de quo Dioſcorides, non ſolum à melle, ſed etiã à zucharo diſtinxiſſe: ſiquidem quarto Canone, & zucharũ taberzeth, & ſalem pariter Indum inter re-

C media nominat, quæ ad linguæ faciunt aſperitatem: ſed zucharũ taberzeth, quum hæc aſperitas ex uiſcoſitate prouenit: ſalem autẽ Indum, quũ ex ſiccitate: Adeò ut appareat Auicennã ſalem Indum aliud eſſe à zucharo taberzeth exiſtimare. Per ſalem tamen Indum & Auicennæ expoſitores, ſicuti Gentilis & Herculanus, zucharum candi intelligũt. Verum hæc expoſitio uerbis Auicennæ repugnat, quarto Canonis, capite d: aſperitate linguæ febricitantiũ, inquientis, ſalem qui aſportatur ex India eſſe in colore ſalis, & dulcedine mellis. Intelligit autem Auicenna, ſicuti & Paulus, à quo Auicenna hoc remedium iiſdem ferè uerbis accepit, de ſale albo, qui pro condimento cibis admiſcetur: zucharum autem candi nominatũ non eſt colore album omnino, ſed potius ſubluteum. Illud præterea quæri ab Auicenna & eius expoſitoribus poſſit, cur zucharũ taberzeth ad aſperitatem, quæ ex uiſcoſitate prouenit, habeat efficaciam: zucharum autem candi ad alteram quæ fit ex ſiccitate, quum zucharum taberzeth, eodem Auicenna autore, ſecundo Canone, uim habeat leniendi, quod de zucharo candi nulla conſtat autoritate aut ratione: niſi per zucharum candi rubrum intelligamus. Quoniam ſecũdum Auicennam ſuimenum & rubrum uehementioris ſunt lenificationis: Verum zucharum candi à zucharo rubro etiam apud medicos iuniores diſtinguitur. Forte autẽ hic error expoſitorum, ſalem Indum zucharũ candi interpretantiũ, non magni eſt ad uitam momenti, quando & zucharum candi res factitia ſit, cuius materia eſt zucharũ album. Illud potius eſt *inueſtigatione dignum*, nunquid zucharum candi debeat febricitantibus ad ſitim ſedandam exhiberi, *in ore retinendum*, ut pleriq; medici noſtro tempore faciunt, & Montagnana in quodam cõmento innuit faciendum, qui ait zucharũ candi à uiris illuſtribus ſalem Conſtantinopolitanũ nominari, & colli

D gendum eſſe ait prima quarti, de cura ſitis in febribus. Quod tamen nulla ſpecies zuchari competat ad ſitim extinguendam, niſi forte zucharum haoſcer, quod eſt quædam ſpecies mannæ, patet autoritate Auicennæ, qui ſecundo Canone ſcribit hæc uerba de zucharo haoſcer: Et non facit ſitim ſicuti reliquæ ſpecies zuchari, quoniam eius dulcedo eſt parua, & eſt bonum ſtomacho & hepati. Ex quibus uerbis duo colligere poſſumus, zucharũ haoſcer, quod eſt manna, cadens ſuper aluſar, & eſt ſicuti fruſta ſalis, tum zucharũ, tum etiam mannam nominari, & reliquas ſpecies zuchari facere ſua nimia dulcedine ſitim, excepta illa quæ zucharum haoſcer nuncupatur. Quare quum zucharum candi ſit modus zuchari diuerſus à zucharo haoſcer, non uidetur ullam ad ſitim extinguendam habere efficaciam. Et ſi uerũ fateri uelimus, male Auicenna à Montagnana allegatur prima quarti, capite de cura ſitis in febribus: In eo enim capite nulla uerba ſunt, ex quibus aliquid de zucharo candi poſſimus colligere, quod ſit inter alia remedia ad ſitis extinctionem pertinentia ab Auicenna nominatum.

De ixia ueneno quid ſit: Plinius non eſt citra erroris ſuſpicionẽ, uenenũ ixiam nominans: quoniam tale uenenũ eſt aliud à uiſco: Sed tamen per abuſionẽ uocabuli à cõtradictione uindicatur. V

DE ixia autem, de quo & in epiſtola quæris, quid ſit apud Dioſcoridẽ, & in chirographo, quid apud Auicennam & medicos iuniores, non facile eſt reſpondere, propter nominis non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Arabes ambiguitatem: Nam & chamæleon albus & niger, ixias à Græcis nũcupatur, & præterea quoddam ueneni genus, quod non modò ixias, ſed etiam ulophonos cognominatur: Quanquã & hæc cognominatio etiã radici chamæleontis nigri, quæ & ipſa uenenum eſt, ab eiſdem Græcis tribuatur. De utraq; autem radice ſcilicet & chamæleontis nigri, & ixia ueneno, agit Paulus in tractatione uenenorum. Dioſcorides uero

A uero in eadem tractatione, de ixia tantummodo, cuius etiam ueneni in libris ſuis de ſimplici medicina ſcriptis ſæpiſſime meminit. Nam capite de abſinthio, inquit ipſum cum uino cõferre ad ixiam & cicutam. Item capite de caſtoreo, ſiue de teſtibus caſtoris, inquit eos bibi cum aceto cõtra pharmaca pernicioſa, ſed peculiariter ixiam. De oxymelite etiam ſcribens, quomodo paretur, poſtmodũ inter alias utilitates hanc quoq; ſubiũgit, quod iuuat illos qui meconium uel ixiam biberint. Item capite de tragorigano ait, quod omnes eius ſpecies contra ixiæ potũ cum uino utiles ſunt: & pluribus alijs in locis, quos nolumus, niſi quantum ad propoſitum noſtrum attinet, cõmemorare. De ixia ueneno Dioſcorides loquitur. Quare ſi quæris quid ſit ixias apud Dioſcoridem libro ſexto, capite uigeſimoprimo, poſſum in præſentiarũ reſpondere, eſſe proprij generis uenenum, radicem & ipſum, ut Paulus ubi de uenenis agit, teſtificatur, licet cuius plantæ ſit radix non explicet, tamen à radice chamæleontis nigri diuerſam, quemadmodũ ex eodem Paulo cõſtat, qui duo capita, alterum de radice chamæleontis nigri, alterũ de ixia, inter uenena facit, ut etiam paulò ante ſignificauimus. Hoc idem ueneni genus animaduerto Plinium ſæpiſſime in ſuis de naturali hiſtoria libris uiſcũ, neſcio an recte, nominaſſe, atq; eadem remedia contra uiſcum ſcripſiſſe, quæ Dioſcorides contra ixiam uenenum, de quibus paulò ante uerba fecimus. Nam libro uigeſimo, capite decimoſeptimo, de tragorigano ita ſcribit: Tragoriganũ ſimile eſt ſerpillo ſylueſtri, urinam cit, tumores diſcutit, cõtra uiſcum potum, uiperæq; ictum efficaciſſimũ. Item libro uigeſimotertio, capite ſecũdo: Oxymel, inquit, antiqui profuiſſe fatentur cõtra uiſcum. Item libro uigeſimoſeptimo, cap. ſeptimo, his uerbis utitur: Abſinthij genera plura ſunt, aduerſanẽ uiſco cicutæ cum uino. Libro pariter trigeſimotertio, cap. *Lib.3.cap.25*

B tertio ita ſcribit: Teſtes caſtorũ medentur poti cõtra uenena, auxiliantur priuatim cõtra uiſcũ ex aceto. Sed & idem Plinius libro uigeſimo, cap. decimotertio, ait rutam folijs tritis cum uino ſumptis ualere cõtra aconitum, & maxime uiſcum. Quo etiam remedio Dioſcorides utitur in libro de uenenis, contra potũ ixiæ ueneni. Itidem Plinius libro uigeſimoquarto, cap. ſexto, laudat reſinas tanq; uiſco aduerſantes. Dioſcorides in eodem libro cõtra ixiam uenenũ reſinam abietinam præcipue cõmendat. Ex quibus omnibus, tum Plinij, tum etiã Dioſcoridis uerbis inuicem collatis, luce clarius apparet Pliniũ id ueneni genus, quod Græci ixiam uocant, uiſcum (ut diximus) appellaſſe. Auicenna quoq; quarto Canone de uiſco tanq; ueneno loquiẽ, & eadẽ ferè ſigna ſcribit atq; remedia, quæ Dioſcorides in ixiæ ueneni potione. Multi tamen medici iuniores hoc nõ animaduertentes, putant tam Plinium q; etiam Auicennam de uiſco loqui, quo aues decipiuntur. Ego autem non uideo quomodo aut Plinio aut Auicennæ cõueniat, uiſcum aucupũ inter uenena cõnumerare. Plinius ſiquidem libro decimoſexto, cap. ultimo, de uarijs uiſci generibus accuratiſſime ſcribit: tantũq; abeſt ut aliquod ipſorũ dicat eſſe uenenũ, quod uiſcum in robore arbore natum, certa tamen religione decerptum, dicat ſecũdum Druidũ opinionem, contra omnia uenena eſſe remedio. Superſtitionũ tamen eodem in loco Plinius improbat opinionem, nõ refellit, quod multo magis fuerat faciendum, ſi uiſcum eſſe uenenũ exiſtimaſſet. Neq; minus Auicenna ſecũdo Canone de uiſco, tanq; ſalubri medicina plurima refert, nullam nobis dans quod ſit uenenum mortiferum ſignificationem. Quare fateri oportet, utrunq; autorẽ, aut ſibi ipſis in uarijs locis repugnare, aut quum de uiſco tanq; ueneno loquũtur, abuti uocabulo, quoniam ixias pro ueneno ſumptũ non ſit uiſcũ, licet ſit nomen à uiſco deductum: Sicuti enim chamæleon albus & niger ideo ixias nominatur, quia in quibuſdam locis uiſcũ gignit ſub alis foliorũ, ut inquit Plinius libro uigeſimoſecũdo,

C capite decimooctauo: Vt autẽ Dioſcorides, iuxta radicem, ita ixias uenenũ, ut hoc nomine uocaretur, habuit à caſu, qui eius ſequitur potionem. Nam ſicuti uiſcũ quæcunq; illi adhæſerint, retinet, ita ixias uenenum hauſtũ contrahit omnes corporis ſuperfluitates. Nos quidem ita Pliniũ per abuſionẽ uocabuli à cõtradictione uindicamus. Viderint autem medici iuniores, quo pacto Auicennam tueantur, quem uolunt quarto Canone de uiſco aucupũ, inter alia uenena fuiſſe locutum. Nam quidam ipſorũ, qui ſatis prolixum tractatũ de uenenis ædiderunt, Auicennã allegant talis uiſci intus aſſumpti remedia ſcribentis: Neq; ſanè admodũ foret admirandũ, ita in hoc ixia Auicennã, ſicuti in altero, ſcilicet in radice chamæleontis nigri (hunc enim & ipſum ixiam à Græcis, licet diſſimili ratione diximus nuncupari) nominis uicinitate fuiſſe deceptũ. Sic enim quæ ixiæ ueneni ſunt propria, ixo, id eſt uiſco, tanquam ueneno, quarto Canone Auicenna tribuit.

Error Auicennæ chamæleam cum chamæleonte confundentis, quem errorem & Serapio, & omnes Arabes ſunt ſecuti. VI

NOn diſſimili errore Auicenna quæ chamæleonti albo aut nigro conueniunt, alteri frutici adſcribit, quem Græci chamæleam, Arabes mezereon appellant. Eſt autem chamælea non ſolum figura, ſed etiam uiribus multum à chamæleonte albo uel nigro diuerſa: Et chamælea quidẽ ideo hoc nomen ſortita eſt apud Græcos, quia habet folia ſimilia oliuæ. Chamæleon autẽ albus & niger (ut inquit Lib.3.cap.10 Dioſcorides) ſilybo, uel ſcolymo aſſimilatur. Qui uero in Creta inſula herbam adhuc à Græcis chamæleontem uocatum uiderũt, teſtantur ipſam eſſe aculeatam, & ferre uiſcũ, ut de ipſa tum Dioſcor. tum etiam Plinius prodiderũt: quo uiſco etiam inquiũt Cretas pennas ſagittis agglutinare. Aiunt præterea herbæ illi, quam nos D carlinam nominamus, eſſe ſimilimã, quam quidã putant ideo carlinã à noſtris no-Carlina herba minari, quia fuerit Caroli regis inuentũ. Ego potius carlinã una litera uariata, pro cardina dictam exiſtimo, quoniã ſit è genere carduorũ, ſiue herbarũ aculeatarum. Ideo autem chamæleon herba à Græcis nũcupata, hoc nomẽ apud ipſos obtinuit, quia mutat cum terra in qua gignitur colores, more chamæleontis animalis, quod & ipſum ſtabilem nõ habet colorẽ, ſed quencunq; proxime attingit, admittit, præter rubrũ & candidũ. Quãuis autem in chamælea frutice, & chamæleonte herba aculeata, ſit non modò nominũ, ſed etiam naturæ ratio diuerſa, Auicenna tamen atq; Serapio, & omnes ferè Arabes, ambarũ proprietates in uno capite confuderunt. Quem quidem errorẽ licet apud Serapionem manifeſte deprehendere, capite de mezereon, id eſt chamælea, in quo ſcilicet capite mezereon deſcribit eodẽ modo, quo Dioſcorides chamæleam, & eaſdẽ mezereon medicinæ tribuit proprietates, quas Dioſcorides, quẽ etiam Serapio allegat capite chamæleæ. Sed paulò poſt eodem cap. etiam Paulũ Serapio adducit de mezereone albo & nigro loquentem. Nigrũ tamen & album nõ ſunt mezereonis, id eſt chamæleæ fruticis differentiæ, ſed chamæleontis herbæ aculeatæ, cuius duo genera, alterũ albi, alterũ nigri, diſcrimine nõ modò à Dioſcoride, ſed etiam à Plinio diſtinguitur, imò ab ipſo etiam Serapione, qui poſtea alio in loco, & capite diuerſo de chamæleonte albro & nigro, eadem ferè ſcribit, quæ de ambobus Dioſcorides: neq; meminit ſe de eiſdem herbis capite de mezereon, feciſſe mentionẽ. Auicẽna pariter id quod ipſe alijs ſolet obijcere, caput in capite poſuit: nam ſecũdo Canonis, & chamæleæ, & chamæleontis albi & nigri proprietates capite uno de mezereon inſcripto cõplectitur, cuius plures facit ſpecies, quũ tamẽ chamælea, quã Arabes proprie mezereon uocãt, ſit ſimplex ſpecies ſecundũ Dioſcoridem, Galenũ, Paulum ac Pliniũ, qui omnes chamæleontem album & nigrũ ſui generis herbas fecerunt, à chamælea, id eſt mezereon frutice,

A frutice differentes. Hunc eundẽ errorẽ repetens Auicenna etiã ſecũdo Canone in litera K, Chamæleon, inquit, eſt ſpecies de mezereon nigra, mortifera. Eodẽ tamen libro ſecũdo Auicenna de chamæleonte tam albo q̃ nigro ſeorſim loquitur, & illas narrat proprietates utriuſq;, quas etiã capite de mezereon, id eſt chamælea, diuerſis eius ſpeciebus aſſignat. Ait præterea eodẽ cap. de mezereon, quod omnes ſpecies adminiſtrant̃ ad morpheam, & albaras, & lentigines, linitæ exterius, & quãdoq; ad miſcetur ſulfur: qui tamen medicinæ uſus uni tantũ chamæleonti nigro cõpetit, ut nõ modò Dioſcor. ſed etiã ipſe Auicenna in litera C, cap. de chamæleonte teſtifica tur. Subiũgit etiã Auicenna, quod omnes ſpecies eiuſdem mezereon adminiſtrant̃ ad impetiginem, & hulcera ſordida cum melle, & eradicant cortices. Hoc quoq; di ctum falſum eſt, ſicuti prius, quia iſta proprietas purgandi hulcera ſordida, & quæ eſcharam habent, cũ melle, nõ eſt chamæleontis albi uel nigri, quos eodẽ cap. Aui- cenna falſò innuit eſſe ſpecies mezereon, ſed chamæleæ tantũ, ut habetur ex Dio- ſcoridis & Galeni pariter autoritatibus. Hunc errorẽ continuans Auicenna etiam iiij. Can. accidentia atq; remedia, quæ chamæleontis nigri radici uenenatæ à Paulo aſſignant̃, ipſe ad mezereon, id eſt chamæleæ ſubſcribit. Et hoc eſt quod præcipue probare intendebamus, eodẽ modo erraſſe Auicennã, ixon, id eſt uiſcũ, pro ixia ue neno iiij. Can. inter uenena numerando, ſicuti eodẽ in lib. pro chamæleonte nigro mezereon, id eſt chamæleã, itidem nominũ propinquitate deceptus accepit. Sed & ſicuti Auicenna de mezereon in pluribus locis ſcribens, ſibijpſi non cõſtat, quia ali quando facit chamæleontẽ albũ & nigrũ eſſe ſpecies mezereon, & de ipſis unà cum chamælea eodẽ cap. agit. Aliquãdo ſeorſim de chamæleonte albo et nigro ꝑtractat.

Auicenna multis erroribus in ixia implicatur, quos ex parte Montagnana ſequitur. VII

B EOdem modo ixiam uenenũ quarto Canone ad diuerſa capita refert: alterũ de ui ſco, de quo ſuprà diſſeruimus, alterũ de thephiſia, quam gummi rutæ montanæ interpretat̃: hic quoq; multis ſeſe erroribus implicans. Primus error eſt falſæ expoſi tionis, qui etiam ſecũdo Canone inuenit̃, capite de thephiſia, ubi thephiſiam pariter gummi rutæ ſylueſtris exponit. Quẽ etiam errorẽ ex parte ſecutus eſt in quodã cõſi lio Montagnana, in quo homini leproſo cõſulit, & iubet applicari remedium ex ſer- pente nigro factũ, cum quo thephiſia humida, id eſt recens coniungit̃. Thephiſiam aũt Montagnana exponens, ait quod eſt ruta ſylueſtris, quæ ſi deſit, uice eius ſatiuã ſiue domeſticã rutam apponi præcipit. Verũ ſi Montagnana cap. de thephiſia ſecun do Canone cũ capite de tapſia apud Dioſcor. contuliſſet, proculdubio intellexiſſet hoc nomẽ thephiſiam eſſe apud Auicen. deprauatũ, & pro tapſia ſcribi debere the- phiſiam. Vnde ex errore ſcripturæ etiã falſa expoſitio habuit originẽ. Ex eodẽ Dio ſcoride diſcere Montagnana potuiſſet, tapſiam alio nomine, nõ rutam ſylueſtrẽ, ſed ferulã potius ſylueſtrẽ nominari. Secũdus error eſt apud Auicennã, quia quos effe ctus Dioſcorides Pauluſq; ixiæ ueneno tribuunt, eoſdem ipſe thephiſiæ, id eſt gum mi rutæ agreſtis attribuit, non animaduertens quod de eodem ixia cap. de aldibe, id eſt uiſco eodẽ in libro ſcilicet quarto Can. paulò poſt erat tractaturus. Siquidẽ capi- te de thephiſia ſcribit hæc uerba: Hæc eſt gumma rutæ montanæ. Et quãdoq; ſenti- tur in ſapore eius, ſicuti ſapor albedagori, & eſt calida, & accidit illi qui bibit eam re- tentio eorũ omniũ, quæ currunt ex utriſq; uijs, & apoſtematur lingua, & accidũt ru gitus & inflatio. Quæ omnia ſigna etiã ſcribit Dioſcorides in ijs qui ixiam uenenũ biberint. Tertius error eſt, & quidem multo prioribus grauior, quoniã Auicenna ipſe ſibijpſi in thephiſia contradicit: nam ſecũdo Canone, capite de thephiſia ſcribit, quod in radice eius, & corticibus ipſius, & lachryma eius eſt ſolutio. Quarto autem Canone de eadem thephiſia, id eſt gummi rutæ montanæ, inter uenena tractans, ait

C quod accidit ei qui bibit ipſum retentio eorum omnium quæ currũt ex utriſq; uijs: Quare quũ ſolutio atq; retentio ſuperfluitatũ ſint effectus cõtrarij, liquet illa quã in uerbis Auicennæ notauimus cõtradictio. Hæc autẽ à nobis de thephiſia obiter dicta ſunt, partim ut oſtenderemus quot noſtri temporis medicina erroribus inuoluatur, medicis iunioribus Auicennã in illa principẽ ſtatuentibus, & multa quæ idem Auicẽna ſcripſit, ſine ullo rationis examine pro uero admittentibus: quemadmodũ de Montagnana medico ſuo tẽpore illuſtri, paulò ante ſignificauimus: partim ut tibi unà manifeſtaremus id quod etiam ab initio inſinuauimus, difficilimum eſſe quid ſit ixias apud Auicennã & medicos iuniores illũ ſequẽtes indicare: quandoquidẽ Auicenna in hoc ueneno uideť ambiguus, modo uiſcũ, modo thephiſiam, id eſt gummi rutæ montanæ ipſum appellans. Vnde & quidã recentiores de uenenis tractantes, duo capita faciunt ad Auicennæ imitationẽ, alterũ de aucupũ uiſco, quod uenenum nõ eſt, uel ut ſit, nõ tamen ixias, de quo uidetur Auicenna capite de uiſco agere, uoluiſſe: quandoquidẽ non modò eadem ſigna (licet non omnia in uiſci notat potione) quæ Dioſcorides in hauſtu ixiæ ueneni, ſed etiã eadẽ ferè remedia contra ipſum ſcribit: alterũ de gummi rutæ ſylueſtris, ſiue montanæ, quod gummi nuſq; terrarũ inuenitur. Eſt enim error (ut diximus) Auicennæ, quem illi ijdem, quos ſtatim antea tetigimus medici recentiores in ſuis de uenenis tractatibus animaduertentes, fatentur gummi rutæ agreſtis eſſe gummi tapſiæ. Verũ iſti præter uiolentam expoſitionem, quia tapſiam rutam agreſtẽ nominari apud nullum autorem quod ſciam, niſi apud Auicennã legitur, in alterũ multo maiorẽ incidunt errorẽ, in illam uidelicet cõtradictionẽ, quam nuper Auicennæ obiectauimus. Gũmi enim tapſiæ, ut inquit Dioſco-
Lib.4.ca.147 rides, purgat potenter ſuperius & inferius, adeò ut iuxta eũdem Dioſcoridẽ doſis,
D quæ drachmã unam excedit, ſit periculoſa: Gummi autẽ rutæ agreſtis, de quo quarto Canone inter uenena Auicenna agit, intus aſſumptũ, uim habet retinendi omnia quæ currunt ex utriſq; uijs, ut ijſdem uerbis Auicenna teſtatur.

Medicorũ diuerſæ opiniones de turbit: Gentilis opinio de ſoldana refellitur, & quo nomine hæc apud ueteres nũcupetur: Item error Arabum in caule marino: Lathiris quo nomine dicta ſit. VIII

DE turbit autem, de quo in chirographo quæris, difficile eſt etiam quo nomine apud Dioſcoridẽ cenſeať, determinare. Turbit enim eſt nomen barbarũ: barbari autẽ autores de ipſo uarie loquũtur. Aliud ſiquidẽ de ipſo ſcribit Serapio, aliud Meſues. Quare ſi à me petas quid ſit apud Dioſcor. turbit à Serapione deſcriptum, poſſum tibi ſine aliqua hæſitatione reſpondere, eſſe tripoliũ, licet hoc nomen apud Serapionẽ allegantẽ in eo Dioſcor. ſit deprauatũ: Nam quæ de tripolio Dioſcorides ac Plinius ſcripſerũt, quod in maritimis naſciť locis ubi allidit unda, neq; in mari, neque in ſicco, folio iſatidis craſſiore, palmeo, caule in mucrone diuiſo, radice alba, odorata, calida guſtu, & reliqua. Hæc eadem Serapio de turbit ſcribit, quod caricamũ u tioſe, ut diximus, pro tripolio nominat. De quo uel codicis, uel autoris errore minus ſit admirandũ, quando & apud Pliniũ non tripoliũ, ſed trifoliũ potius corrupte legitur, adeò ut Simon dubitauerit, an ſit idem caput de trifolio apud Pliniũ, & de tr polio apud Dioſcoridem, & de turbit apud Serapionẽ. Pandectarius autem duo capita ſcripſit, alterũ de tripolio ſecundũ Dioſcoridẽ, alterũ de turbit ſecundum Sera-
Lib.3.cap.115 pionem: quaſi turbit apud Serapionem ſit aliud à tripolio apud Dioſcoridem, qu forte error Pandectarij, unà cum Simonis dubitatione, inde etiam habuere occaſionem, quoniã in latino Dioſcoride, cuius uerba citat Pandectarius, ſcribitur tripoliũ habere folia ſimilia apio: quũ tamen uerus Dioſcorides tradat eſſe ſimilia iſatidi herbæ, hoc eſt, illi quam uulgò guadum appellamus, quæ in uſu tinctorũ celeberrima eſt

A eſt. Apud Serapionem autem hæc ſimilitudo neq; ad apium, neq; ad iſatidem refer-
tur, ſed ad quandã plantam, quæ araſatis nominatur, quod uerbum puto apud Ara
bes eſſe corruptũ, & pro iſatide araſatin ſcribi, ſicuti etiam apud Pliniũ nõ folio iſati-
dis, ſed folio ſatis craſſiore palmo, itidem uitioſe ſcriptũ inuenitur: qui quidem locus
fuit à me pridem in libro de Plinij atq; aliorũ medicorum erroribus caſtigatus. Si au
tem à me quæris, quid ſit turbit, quod deſcribitur à Meſue apud Dioſcoridẽ, dicere
oportebit, turbit illud Meſue nõ eſſe tripoliũ apud Dioſcor. ſed radicẽ alicuius her-
bæ habentis ſuccum lacteum, acutum, ex genere tithymalorũ ſeu lacticiniorũ, ut iu
niores medici loquuntur. Tale enim eſt turbit quod deſcribit̃ à Meſue, nõ habens
folium ſimile iſatidi, ſed ferulæ potius: hæc enim ſunt eius uerba, ut noſti: Turbit eſt
radix herbæ, cuius folia ſunt ſicuti folia ferulæ, minora tamen, & eſt ex habentibus
lac. Quocirca Actuarius, grauis apud Græcos autoritatis medicus, multum tamen
Galeno ac Paulo poſterior, qui multas Arabum medicinas illorum nominibus me
morat, inquit turbit à barbaris uocitatũ eſſe radicẽ plantæ, quæ à Græcis pityuſa uo-
catur. In qua etiam opinione quidam alij Græci præter Actuariũ fuiſſe uident̃, qui
capite de pityuſa apud Dioſcoridẽ, ubi de radice fit mentio, uerba illa interſeruerũt, Lib.4.ca.156
quæ nõ puto eſſe Dioſcoridis, ſed gloſſema potius ἣν καλοῦσιν τέρπετ, id eſt, quam ra
dicem ſcilicet pityuſæ, uocant turbit. Sed cõtra hoc eſt, quod hæc eadem radix à Se-
rapione non turbit, ſed ſebram, id eſt eſula nũcupatur: quod palàm fiet cõferenti ea,
quæ Serapio de ſebrã ex Dioſcoridis atq; Galeni pariter ſcripſit autoritate, cum ijs
quæ ijdem Græci autores de pityuſa prodiderũt. Quamuis Auicenna capite de ſe-
bram, aliud potius uideatur deſcribere, quàm radicẽ pityuſæ: imò ſi uerba Galeni li-
bro octauo de ſimplici medicina in pityuſa attendimus, & alia cõparia ſecundo Ca-
B none, capite de mezetegi ab Auicen. ſcripta, liquidò apparet, quod mezetegi apud
Auicennam ſit pityuſa apud Dioſcoridem: ita quod neceſſariũ ſit alterũ duorũ, uel
ſebram nõ eſſe eſulam apud Auicennã (intelligendo per eſulam radicem illius her-
bæ quã Græci pityuſam uocãt) uel Auicennã in duobus capitibus ſecũdi Canonis
de eadẽ radice fuiſſe locutũ, ſcilicet capite de ſebram, & capite de mezetegi. Eadem
eiuſdem medicinæ repetitio ſuperflua eſt apud Serapionẽ: nam capite de tithyma-
lo ultimo loco nominat ſpeciem tithymali, quæ dicitur ptia: uult autem dicere pityu
ſa: eadẽ enim de ea ſcribit, quæ de pityuſa Dioſcorides. Paulò infrà aliud caput ſcri-
bit de ſebram, & in eodem allegat Dioſcoridem: quaſi ſebram alia ſit à pityuſa medi
cina. Sed neq; illorũ opinio eſt omittenda, qui putãt turbit eſſe radicẽ herbæ, quam
uulgò ſoldanam nominamus, paſſim in locis maritimis prouenientẽ. Hanc tamen
opinionẽ eſſe falſam, nos ita probamus: Soldana herba, uel eius radix nõ eſt turbit
à Serapione deſcriptũ, quia illud turbit eſt tripoliũ apud Dioſcoridem, & habet fo-
lia ſimilia iſatidi, ut nuper oſtendimus: Soldana autem herba nõ eſt tripolium apud
Dioſcoridem, ſed ad aliud caput refertur, ut mox oſtendemus. Item ſoldana herba
habet folia quadantenus hederæ ſimilia, uel ariſtolochiæ rotundæ: turbit autem à
Serapione deſcriptũ, ſicuti etiam tripoliũ apud Dioſcoridem, habet folia ſimilia iſati
di. Eadem ratione probatur ſoldanam herbam non eſſe turbit deſcriptum à Meſue,
quoniam iſtud turbit habet folia ſimilia ferulæ, ut etiam antea dictum eſt, ſoldanæ au
tem folia ſunt omnino à ferulæ folijs differentia. Simili argumento in libro de mor-
bo gallico contra Gentilem probauimus, ſoldanam herbam nõ eſſe cachilem apud
Serapionem: quoniam cachile ſecũdum eundem Serapionem habet folia naſturtij,
quæ nullam præ ſe ferunt foliorum ſoldanæ ſimilitudinem. Hic autem uberioris do
ctrinæ gratia ſuperadiungimus autores Arabes, ſoldanam herbam neque ad caput
de cachile, neque ad caput de turbit retuliſſe, ſed Græcorum imitatione ad caput

C de caulibus. Eſt enim ſoldana herba uulgò à nobis dicta, illa quam Dioſcorides atq; Galenus braſſicā marinam appellant: quod liquidò apparebit, ſi quis inuicem cōtu lerit ea quæ in herba ſoldana oculis intuemur, & quæ de braſſica marina Dioſcorides ſcribit. In hac tamē herba mihi uident̃ autores Arabes eatenus aberraſſe, quatenus de caule domeſtico atq; ſylueſtri, ac ſubinde marino eodē capite cōtinuatim tractauerūt, tanq; hæ omnes forent eiuſdem generis proximioris ſpecies, quod de ſylueſtri quidē atq; domeſtico caule cōcedi poſſet: quoniam tantū ſatiui atq; ſylueſtris differētijs diſtant: De marino aūt caule nequaq;, qui omnino ab alijs duobus diuerſificatur, ut nō modò Dioſcor. ſed etiam Galenus teſtificant̃, quorum autorū ſententia braſſica marina, & braſſica ſatiua, uel etiam ſylueſtris æquiuoce dicūtur. Putaſſe autē Arabes caulem ſatiuū atq; ſylueſtrem, ac præterea marinū quandā habere inter ſe non modò figuræ, ſed etiam naturæ affinitatem, eo conſtat argumento, quod omnes eodē (ut diximus) capite cōplectuntur, & præter hoc etiā uerba Serapionis idem oſtendūt, qui de caulibus marinis ita ſcribit: Marini caules ſunt longinquiores à ſimilitudine domeſticorū, q; ſcilicet ſint caules agreſtes. De illis enim ſtatim antea locutus erat. Auicēna inſuper tres haſce ſpecies etiā effectuū cōmunitate cōſociat, ut quū ſecundo Can. capite de caulibus ſcribit in hunc modū: Sylueſtris, marinus ac domeſticus maturat phlegmones & duritias. Qui quidē effectus à Dioſcoride cauli ſatiuo atq; ſylueſtri ex parte aſſignat̃: marino autē cauli à nomine adſcribit̃, & nulla experientia cōprobatur. Verior aūt eſt Græcorū opinio à nobis tacta, quod caulis agreſtis atq; ſatiuus tantūmodo ſint figura, colore, & naturæ proprietatibus ſimiles, niſi quod agreſtis eſt albior & calidior & ſiccior, ſicuti omnes aliæ plantæ ſylueſtres ſunt in eodē genere ſatiuis ſecundū has duas qualitates (ut inquit Galen.) fortiores:

Soldanam eſſe braßicā marinam.

D marina autē braſſica penitus ab illis ambabus euariat. Hæc ideo in Arabicis autoribus notāda cenſuimus, ne quis putaret nos ſoldanā herbā, ut illi fecerūt, forte quid eſſet apud Dioſcor. atq; Galenū braſſica marina neſcientes, inter braſſicarū ſpecies cōnumerare. Sed quoniā multa interſeruimus, ut te pleniori officio demereremur, iam ad illud redeamus de quo præcipue ab initio quærebatur, quid ſit turbit apud Dioſcoridē. Forte aūt in tanta tum Arabū autorū, tum etiā Latinorū ſuper hac medicina opinionū diuerſitate, melius quæreretur, quid ſit apud Dioſcoridē radix illa, quam pro turbit officinæ uendūt. Ego quidē diu multumq; laboraui, ut herbam uirentem uiderem, cuius radix turbit nuncupatur. Nam qui radicem tantū aridam ad nos afferunt, neq; ubi naſcatur, neq; quali folio aut flore turbit inſigniat̃, ſciunt dicere, niſi quod unus tantū pharmacopola id mihi de flore turbit eſt teſtificatus, quod de folio tripolij ſcribit Dioſcorides, quod uidelicet mane candidus, meridie purpureus, ueſpere phœniceus appareat. Quod ſi mihi fuit uere relatū, proculdubio turbit quo nos utimur, eſt tripoliū apud Dioſcor. Sed quoniā hoc de flore miraculum uix forte ipſi Dioſcoridi credatur, nedum alicui pharmacopolæ, omnino ſatagendum, ut folium ipſum uiride inſpiciamus, & an ſit folio iſatidis, aut ferulæ ſimile, uel etiam neutro, diligentius conſideremus: Fieri enim poteſt, ut radix illa qua utimur, neq; ſit turbit Meſue, neq; etiam turbit Serapionis, tantam uideo in ijs rebus incuriam, quæ ſunt in uſu frequentiſſimo medicorū. Si quis enim dixerit eſſe turbit Serapioni, illud obijcere poſſumus, quod turbit apud Serapionem eſt idem quod tripolium apud Dioſcoridem: Radix autem tripolij ſecundū eundem Dioſcor. odorata eſt. Qua uero nos utimur pro radice turbit, omnino caret odore. Si uero alter aſſerat hanc eſſe turbit deſcriptum à Meſue, quum ſit illud turbit ſecundum eundem Meſuen ex genere habentiū lac, ſeu lacticiniorum, hoc eſt earum plantarum, quæ habent lac maxime acutum, interrogabimus ipſum, quidnam tandem erit ex his

d sit turbit / o pharmaco / le utitur

quæ

A quæ à Dioſcoride uel Serapione deſcribunt̃, an aliqua ſpecies tithymalorũ? Sunt autem ſeptem uel octo, ſed nulla earũ eſſe poteſt turbit à Meſue deſcriptũ: nulla ſiquidem ex illis habet folia ſimilia ferulæ, qualia habet turbit à Meſue deſignatũ, ut cõſtat ex Dioſcoride & Serapione, ſingulas tithymalorũ ſpecies per folia ac flores & reliquas proprietates deſcribentibus. Sed neq; lathiris eſt, quã iuniores medici cataputiam minorẽ uocant, Auicenna autem mendanam, ut conſtat ex ijs quæ de lathiri Dioſcorides, & de mendana Auicenna ſimilia ſcripſerunt: neq; pepiios, de qua Dioſcorides agit inter alias, quæ lac acutũ emittunt: huius enim radix inutilis eſt, ut inquit Dioſcor. & de hac quoq; Auicenna agit ſecũdo Canone ſub nomine bebilis, capite diuerſo a capite de turbit. Eadẽ ratione neq; peplion, id eſt portulaca ſylueſtris: nam hanc quoq; Auicẽna ſecũdo Canone bilomon nominat. Tranſlatio autem librorũ Hippocratis de regimine acutorũ, feliciniũ uocauit, & non radice, ſed folio uel fructu ad uſum medicinæ adhibet̃. Habet etiam folia ſimilia portulacæ, unde illi nomen, nõ autẽ ferulæ, ſicuti turbit deſcriptũ à Meſue. Deniq; per ſingulas ſpecies earũ plantarũ, quæ ſucco lacteo & acuto manant diſcurrendo, nõ uidetur cuiq; earũ deſcriptio turbit, quæ apud Meſuen reperitur, cõuenire. Forte autẽ neq; uere ſcribit̃ à Meſue, turbit eſſe è genere earũ, quæ lac habent. Siquidem hic idem autor inquit mezereon eſſe plantã lacticiniorũ maiorẽ, quæ tamen planta ab Arabibus mezereon nominat̃, eadẽ à Græcis chamælea uocatur, ut conſtat cõferenti caput de chamælea apud Dioſcoridẽ cum cap. de mezereon apud Serapionem, & etiam apud Auicen. niſi quod Auicenna etiã ipſe, licet ſub nomine mezereon, chamæleam deſcribat, quã cõſtat nõ eſſe de numero lactariarũ, ſiue lacticiniorum, inquit mezereon eſſe lacticiniũ magnũ, ut uideant̃ Arabes, Auicẽna præ

B ſertim ac Meſues capite de mezereon, in duplicẽ errorem incidiſſe: & quod mezereon, quæ à Græcis chamælea uocat̃, inter lacticinia poſuerũt, & quod chamæleontem albũ & nigrũ cum chamælea ſiue mezereon confuderũt. Nam Meſuen quoq; nõ fuiſſe ſecũdi huius erroris expertem probari poteſt ex his, quas ipſe mezereon in fine capitis tribuit proprietates, quas nõ chamæleæ, quã Arabes mezereon uocant, ſed chamæleonti potius albo uel nigro Dioſcorides aſſignauit. Quæ enim de mezereon Meſues ſcribit, quod interficit lumbricos, & quod collutio ex aceto eius cõfert dolori dentium, & quod fit unguentũ ex eo ad ſcabiem bonũ, & linimentũ ex eo et ſulfure, delet morpheam, albaras & lentigines, ſunt ferè proprietates, quæ chamæleonti albo & nigro, nõ autẽ chamæleæ, id eſt mezereon à Dioſcoride tribuuntur: Serapio uero etſi capite de mezereon ſimilem fecerit confuſionem chamæleontis & chamæleæ, ut quũ de ixia uerba faceremus, oſtendimus, in eo tamen magis eſt q̃ Meſues Auicenna probãdus, quod mezereon haudquaq; fecit ex genere lacticiniorũ: & qui uerũ mezereon, hoc eſt chamæleam agnoſcũt, ſciunt eam nõ habere lac. Dixi aũt uerũ mezereon, quod à Græcis chamælea dicitur, quia apud nõnullos Arabes Ioan. ſcilicet Serapionẽ, ueluti Simon annotauit, mezereon eſt mirdane, uel mendane: quæ aũt mẽdane ab Auicen. uocat̃, eſt lathiris apud Græcos, & cataputia minor apud medicos iuniores, quã certũ eſt nõ eſſe mezereon, neq; ab Auicen. neq; à Serap. neq; etiã à Meſue deſignatũ, ut ſatis conſtare ex uarijs deſcriptionibus arbitramur. Et quia aliud caput de mendane, aliud de mezereon Serapion atq; Auicenna ſcripſerũt: non ſolent autẽ autores Arabes duo capita, ſed unum tantũ de eadem ſimplici medicina ſcribere, niſi forte nominũ uarietate decepti, quæ una ſit geminam eam crediderint. Nam quod de Auicenna ſuprà dubitauimus, ne forte de eſula duobus capitibus egerit, & capite de ſebram, & altero de mezetegi, hunc liquidò errorem in Serapione deprehẽdimus,

C qui capite de tithymalo ultimo loco nominat ſpeciem tithymali, qui dicitur ptias: uult autem dicere pityuſa, cuius radicem quidã eſſe turbit (ut ſuprà oſtendimus) exiſtimauerũt. Et paulò infrà aliud caput ſcribit de ſebram, in quo eaſdẽ tribuit ſebram proprietates, quas pityuſæ Dioſcorides, neque meminit ſe de eadem planta etiam inter ſpecies tithymalorũ fuiſſe locutũ. Suprà autem diximus, ut ad id propter quod hæc omnia ſubiunximus reuertamur, turbit apud Serapionem, eſſe tripoliũ apud Dioſcoridem: qui quidẽ Serapio, necꝫ ipſe mezereon, ſicuti necꝫ tripolium Dioſcorides lacticinijs annumerauit. Simon autẽ Genuenſis in litera L, ubi de lacticinijs facit mentionem, etiam tripoliũ inter iſta collocauit: Quia enim Meſues ponit turbit inter lacticina, turbit autẽ apud Serapionẽ eſt planta, quã Dioſcorides uocat tripolium, neſciens Simon hoc nomen turbit apud duos autores æqui uoce dici: apud alterũ de planta habente lac, & folio ferulæ ſimili, apud alterum de planta carente lacte, & foliũ iſatidi, id eſt guado ſimile gerenti, propter uerba Meſuæ de turbit, tripoliũ quocꝫ inter lacticinia cõnumerauit. Vide quot difficultates, & quidẽ inexplicabiles occurrũt medicis iunioribus Arabum autorũ doctrinam ſequentibus, ob eorundem autorũ non modò à Græcis, ſed etiam à ſeipſis diſcordantiam. Quare nulla alia inter tot, quæ de ſimplicibus medicinis habentur ambiguitates relinquitur uia, niſi ut ad ſenſum iudicem confugiamus, & ſi plantam uirentem habere poſſumus, cuius radix pro uero turbit affertur, nunquid ſit ex genere lacticiniorum, uel alia diſcutiamus.

Medicorum de boragine & bugloſſa herbis diſſenſiones: apud Auicennam enim bugloſſa eſt quam nos uulgò boraginem nominamus. IX

D DE bugloſſa autem, de qua quæris, an ea qua pro bugloſſa utimur ſit uera bugloſſa, ſi tibi quod ſentio reſpondero, uereor ne ſicuti tu admodũ docte dubitaſti, ita ego nimiũ proterue uidear uniuerſam noſtri temporis medicinã euertere. Nam ſi probare cõtendero, bugloſſam quam medici iuniores ad uſum medicinæ adhibent, nõ eſſe uerã bugloſſam, cur etiam inquiet aliquis, lactucã qua ueſcimur, ueram eſſe lactucã non inficiaris? Nõ ita tamen ſumus animati: abſit enim à nobis tanta temeritas, ut omnia iuniorũ medicorum placita uelimus demoliri. Sed ſicuti multa eorũ probãda cenſemus, ita plura ſunt in quibus autores ueteres magis ſequẽdos iudicamus, atcꝫ in illis præſertim, in quibus ijdem medici iuniores inuicẽ uidentur diſſentire. De boragine Simon Genuenſis in litera B ita ſcribit: Borago herba nota, cibo apta, & medicinæ, & flos & folia & ſemen bugloſſa dicit: ſpecies eius ſylueſtris. Nõ reperio aliquem autorẽ autenticũ, facientem capitulum de utraque: ſi ſcribit de una, nõ ſcribit de alia. Hæc ille. Pandectarius aũt aliter ſentit: nam duo capita ſcribit, alterũ de boragine, in quo allegat Dioſcoridem: alterum de bugloſſa, in quo citat Serapionẽ ex eiuſdẽ Dioſcoridis autoritate de bugloſſa loquentem. Montagnana uero in quodã cõſilio ſcribit hæc uerba: Borago aũt nõ placet, quia planta multũ uentoſabilis & uentoſatiua, quod oſtenditur propter multitudinem eructuationũ quas efficit: Et licet ponat temperata, quia eſt ſpecies bugloſſæ, quæ temperata eſt, de ea parũ ab autoribus ſcribit, & plura de ea creduntur, ꝙ ratione & autoritate uerificari poſſint: Auicenna tamen de ea nihil dixit. Vide quanta ſit iſtorũ autorũ diſcordia: Alter dicit nullum autorẽ de utracꝫ, ſcilicet de boragine & de bugloſſa loqui: Alter ſuper ambabus herbis citat Dioſcoridẽ: Alter facit bugloſſam ſpeciem boraginis ſylueſtris: Alter boraginem bugloſſæ, tanꝙ generi ſubijcit. Auicenna quocꝫ ſecũdo canone, cap. de lingua bouis, notat ſui temporis medicos, qui nõ uera bugloſſa uterentur, ſed alia quæ nõ habet eaſdem utilitates.

Quare

A Quare in tanta medicorum tum Latinorũ, tum etiam Arabum de herba bugloſſa controuerſia, quid mihi uideatur aperiam. Primum illud pro cõfeſſo habetur, bugloſſam græco interpretamento linguæ bouis aſſimilari. Duæ autem ſunt herbæ linguæ bubulæ, atq; ideo etiam inuicem ſimiles: altera à nobis lingua bouis, altera borago nominatæ: Sed duæ quoq; herbæ itidem linguæ bubulæ ſimiles celebrantur græcis nominibus apud Græcos: altera bugloſſum, altera criſſion ab eiſdem Græcis nuncupatæ, adeò ut minime dubitem duas illas herbas, quarũ alteram linguam bubulam, alterã boraginẽ ſermone noſtro uocitamus, ad duo capita apud Dioſcoridem debere referri: quorũ alterũ eſt de bugloſſo, alterum de criſſio: Nam & hoc propter magnã quam habet cum bugloſſo ſimilitudinem, bugloſſum magnum pariter à Græcis appellatur. Verum diligentius cõſiderantibus, deſcriptio bugloſſi apud Dioſcoridem plus boragini conuenit: deſcriptio autem criſſij ſiue bugloſſi magni, plus alteri quadrat, quam nos uulgò bugloſſam ſeu linguam bubulam nominamus: ſiquidẽ idem Dioſcorides inquit folia criſſij eſſe longiora folijs bugloſſi. Quanquam apud Pliniũ, qui criſſion libro uigeſimoſeptimo, capite octauo ferè eodem modo quo Dioſcorides deſcribit eandem criſſion habere folia non longiora bugloſſo, ſeu (ut ipſe interpretatur) lingua bouis, ſed potius minora ſcribatur. Quem puto errorem ex uocabuli græci ſimilitudine, & codicis mendo quem Plinius habuit, contigiſſe: quoniam pro μακρότερα, quod uerbum ſignificat longiora, μικρότερα, id eſt minora, ſcriptum inuenit. Ego uero in multis codicibus græcis nõ ſolum impreſſis, ſed etiam manu ſcriptis apud Dioſcoridem μακρότερα, id eſt longiora, non autem μικρότερα, id eſt minora reperi. Liquidò autem ſenſui ſubijcitur, folia herbæ illius quæ uulgò bugloſſa dicitur, eſſe folijs boraginis lon-
B giora. Item idem Dioſcorides inquit, in ſummo caule criſſij eſſe capitula purpurea, quæ ſoluũtur in lanugines, quod etiam in herba bugloſſa à nobis appellata uiſu deprehenditur. Contrà in boragine capitula cerulea, non autem purpurea conſpiciuntur. In autore autem de ſimplici medicina leguntur hæc uerba: Bugloſſam Romani linguam bubulam, Lucani corago: naſcit̃ locis cultis & ſabuloſis. Forte autem pro borago uerbo, corago uitioſe ſcribitur, aut nomen coraginis una litera uariata eſt in boraginẽ uerſum. Quod autem inquit, naſci locis cultis & ſabuloſis, hoc idem de ſuo bugloſſo Dioſcorides tradit. Pandectarius quoq;, ſiqua eſt huius Lib.4.cap.119
hominis autoritas, in litera L, liſinaltaur, quod nomen apud Arabes ſignificat linguam bouis, ipſe boraginem interpretat̃. Quare forte melius fuerit, quũ bugloſſam, de qua Dioſcorides, Galenus, & autores Arabes utrũq; allegantes, ad uſum medicinæ adhibemus, boraginem potius ꝙ illam, quæ paſſim bugloſſa nuncupatur, recipere. Atq; ita falſum erit id, quod Montagnana exiſtimauit, Auicennã nihil de boragine dixiſſe: nam niſi mea me fallit opinio, caput de bugloſſa ſeu lingua bouis apud Auicẽnam eſt caput de boragine, ſicuti etiam apud Serapionem: Falſum etiam erit id quod Simon ſcribit, qui putauit neminem autorem de utraq; herba ſimul ſcripſiſſe. Siquidem Dioſcorides apud Græcos, & Plinius apud nos, tam de bugloſſa, quàm etiam de criſſio fecere mentionem. Negari autẽ nõ poteſt, quin borago ſit alterũ duorũ apud Dioſcoridẽ, aut criſſion, aut bugloſſum, ab hijs præſertim qui boraginẽ bugloſſæ, uel bugloſſam boraginis ſpeciem confitentur: quãdo & Dioſcorides ipſe criſſion habere folia ſimilia bugloſſo, & bugloſſum magnum uocari teſtificatur. Si tamen borago ſit criſſiũ apud Græcos, uerũ erit quod à Montagnana ſcribit̃, tam multa de boragine à iunioribus medicis temere prædicari: Nam Dioſcorides hoc tantũ de criſſio retulit: quod ſi radix eius alligat̃ ſuper locum dolentem, ſedat dolorẽ. Plinius autem, quod herba aut radix alligata ſanat

C dolores uaricum. Quare medici iuniores, utrum uelint acceptent, aut quod borago ſit uera bugloſſa, ut nos opinamur, aut quod eius herbæ uſus non ſit ad illa utilis, ad quæ ipſi arbitrantur.

Cicerbita quo nomine apud ueteres cenſeatur, & eius utilitates. X

CIcerbita autẽ, de qua etiam ſcire cupis, eſtur & ipſa, ſicuti borago, etiã in hoc uſu Callimachi carmine inclyta. Eſt enim illa, quam Theſeo apponit ruſtica illa Echate, ut Plinius meminit: uerũ in operibus medicinæ minus hodie celebrata: quia forte medici iuniores non nouerũt quo nomine apud ueteres autores, qui de medicina ſcripſerunt, nũcupetur, atque ideo neſciunt eius utilitates, quod nos nunc indicabimus. Dioſcorides ipſam ſonchũ nominat, & à Romanis cicerbitam aſperam uocari teſtificatur: quãuis hoc nomen, ut pleraq; alia Romana uocabula apud Dioſcoridem ſit deprauatum: quia non cicerbita aſpera, ſed circita aſpra in græco codice uitioſe legitur. Idcirco autem à Romanis aſpera fuit cognominata, quia ſpinoſa eſt quum inueteraſcit. Græci ſanè adhuc herbam, quam nos latine cicerbitam nominamus, uulgò ſonchum appellant, ut mirandum ſit Simonem Genuenſem, qui multa herbarũ uocabula à græca herbaria didicit, quid tamen eſſet ſonchus apud Græcos ignorauerit: nam de ipſa meminit in litera S, & adducit uerba Dioſcoridis de ſoncho: quæ tamen herba ſit, aut quo nomine cenſeatur apud nos, dicere prætermiſit. Neq; minus admiratione dignũ, Plinium huic herbæ, tam in uſu cibario frequenti, latinũ nomen non reddidiſſe: nam & ipſe libro uigeſimo ſecundo, capite eiuſdem numeri, quam nos uulgò cicerbitam nominamus, græco uocabulo ſonchum appellauit: atq; ita ipſam deſcripſit, ut dubitari non poſſit, ſonchum apud Græcos eſſe herbam, quam Latini cicerbitam uocant. Sed præterea idem Plinius unà cum Dioſcoride tot huius herbæ uſus enumerat, ut me aliquando pudeat noſtri temporis medicorum, qui tantum illa remedia probant, quæ magno impendio parantur, quibus meliora aliquando pauperrimus quiſque cœnat, ferè tamen, de quo nos etiam magis pudere oporteat, non Indicas atq; Arabicas, ſiue externi orbis quærunt medicinas, ſed quas natura illa omnium rerum parens uulgo etiam expoſuit. Muſtela pugnatura contra ſerpentes, paſtu ſe cicerbitæ munit, atque inter pugnandum eodem crebrò repetito ſe refouet: Compertũ eſt hoc apud multos, qui dimicationem conſertam uidere. Nos theriacam contra uenena ab Aegyptijs magno emimus precio, cuius potiſſimam partem, quam baſim uocamus, illi adhuc ignorant, præter multa alia ſimplicia medicamenta, ad eandem compoſitionem neceſſaria, quæ noſtra hac ætate neque à Græcis, neq; à Latinis, nedum à barbaris cognoſcuntur: quorum etiam uel unius defectus, ſi Galeno medicorum principi credimus, poteſt totam compoſitionem corrũpere. Naturæ uero opera ſunt abſolutiora, inuentu faciliora, niſi ob hoc ipſum uileſcerent. Sonchũ autem, ſiue cicerbitam, cuius occaſione hæc interpoſuimus, magnam habere contra uenena, ſed præcipue ſcorpionum efficaciam teſtantur tum Dioſcorides apud Græcos, tum etiam Plinius apud nos, & ex recentioribus Conciliator, qui lactucellam, per quam (ut puto) cicerbitam intelligit, quæ, ut etiam inquit Plinius, lactucæ ſimilis eſt, niſi ſpinoſa foret, ſeptem alijs herbis annumerat, quæ theriacæ æqualem habent contra uenena poteſtatẽ. Atq; inſuper Auicenna apud Arabes, ſi modò cicerbita ſit herba, quam ille ſecundo Canone taraxacon nominat, ut ſcio pleroſq; ætate noſtra medicos celeberrimos, ac præſertim Gerardũ Veronenſem exiſtimaſſe. Nolo enim ego nũc de iſto decernere, qui dudum opus ad hoc ipſum deſtinaui, ad declarandum ſcilicet nomina Arabica, quæ ſecundo Canone apud Auicennam

Lib. 4. cap. 22

D

ita est ... dios ... pane: cerrasa

A cennã ſcripta inueniuntur. Quod idem opus forte maturius abſoluemus, quãdo te hoc quoq; nõ minus cupere, quàm illa quæ nuper à nobis explanata ſunt, intellexi mus. Si tamen tuam in hac re auiditatem pluſculum fuerimus remorati, æquo animo patieris, futurum illud maxime ſperans, quod tibi in hac epiſtola contigit, ſi modò epiſtolæ nomen meretur, quũ ferè ad uoluminis magnitudinẽ excreuit, quæ quanto tardius, tanto maiori cum fœnore eſt tibi reddita.

De cicerchia.

RElíquum eſt, quo tuis quæſitis omni ex parte ſatisfiat, ut etiam de cicerchia reſpondeam. Hoc leguminis genus uulgò cicerchiam nominatum, à Plinio libro decimooctauo capite duodecimo, cicercula nuncupatum, à Theophraſto aũt libro nono de plantis, & à Galeno eundem Theophraſtum allegante libro ſecundo de alimentis lathiron: Hoc enim uerbum Theodorus græce latineq; doctiſſimus, in tranſlatione Theophraſti cicerculam interpretatur.

LIBRI QVARTI FINIS.

FRANCISCVS TOTTVS LVCENSIS, Nicolao Leoniceno S. P. D.

DECREVERAM iam à primis ſtudiorũ meorum annis, quum medendi ſcientiæ dare operam ſtatuiſſem, eum mihi præceptorem deligere, qui & ingenio, ac doctrina cæteros antecelleret. Quare quum uirtutis ea ratio ſit, ut latêre nõ poſſit in tenebris, hominesq; uel maxime in
B fimæ conditionis in lucem proferat & extollat, factum eſt, ut te mihi potiſſimum præceptorem optarem, qui eruditiſſimi cuiuſq; iudicio unus eſſes, qui hac tempeſtate in toto terrarum orbe præcipuum medicinæ decus, & parens optimus iure optimo habearis. Quamobrẽ eo animo Ferrariam, uel te uno profeſſore per ea tempora illuſtrem acceſſi, ut te unicum haberem, cui me totum traderem, cuiuſq; diſciplina ſperarem me omnia quæ uellem aſſecuturum. Nec illa quam de te conceperam ſpes ulla ex parte me fruſtrata eſt; nam quæ de te abſens conſtanti acceperam fama, ea longe maiora res ipſa confirmauit. Dum enim liberalibus ſtudijs, & arti medicæ ſub te incumbo, nihil conſuetudine tua ſuauius, nihil ingenio præſtantius, nihil doctrina tua uberius animaduerti, quam quidem morum integritas inſitaq; humanitas mirũ in modum exornat. Accedit ad hæc quod his temporibus nihil eſt in dicendo acutius te uno, nihil in reſpondendo certius, nihil deniq; in erudiendis uel philoſophorũ, uel medicorũ ueterũ ſenſibus ſublimius, aut in conſulendo ægrotis ſalubrius inueniri aut excogitari poteſt. Sed hæc omitto multis in locis abs te declarata, quibus multorũ nobilium, & aliorum præclariſſimorum principum habes cõciliatam gratiam, præſertim ne quiſpiam fortaſſe putet me hæc auribus tuis dare, qui ſemper ab omni adulatione abhorruerim: quãuis officij mei eſſe iudicẽ, ut pro meo in te ſummo ſtudio & obſeruantia maximarum tuarum uirtutum laudator ſim. Illud nõ reticebo, me abs te pro tua incredibili ac propè diuina quadam benignitate ac munificentia in tuorum numero ita repoſitum, meq; adeo tibi perpetuò deuinctum, ut obſeruantia & amore in te paucis admodum ſim conceſſurus. Quare non dubitaui ſtudio in me tuo, ac beneuolentia fretus, nõnullas Plinianas ambiguitates ex te quærere: quippe quẽ huiuſmodi lectionis ſtudioſum ſupra omnes homines admirari ſoleam. Tu uero mira celeritate nõ ſolum ad quæſita benigne ac præclare reſpondiſti, uerumetiam alios

C errores tum Plinij, tum aliorū medicorū, & ueterum & recentiorū maxima ſolertia abs te nuper excogitatos epiſtolæ tuæ, uel opuſculo inſeruiſti, nō ſpe quæſtus, non cupiditate, ſed amore nō uulgari in humanū genus adductus, ubi nō minus laudis ac famæ te aſſecuturū ſpero, atq; ſuperiori anno feceris, quū de tribus doctrinis ordinatis opuſculū, & Galeni de parua arte libellum abs te latinum factum ædideris. Quo tempore ſuperaſti tu quidem opinionem eruditorū omnium de te conceptā, quamuis iampridem egregie de te ſentirent, tum ob alia quāplurima, tum maxime ob libellum, cui tu nomē de morbo Gallico indidiſti. In quo (ut ingenue tecum agam, quemadmodū natura mea poſtulat) difficilimā cuiq; doctiſſimo æmulationem propoſuiſti. Oſtendis ob hoc præſtantiam ingenij tui, ac ſummæ doctrinæ ubertatem, utpote qui uiris illis quos multos ueluti clariſſima lumina antiqua ætas tulit, iure optimo cōferri poſſis, Galeno præſertim medicorū principi, qui & ipſe quoq; aliorū errata impugnare, ac penitus debellare ſemper fuit ſolitus. Recte quidem igitur, ac niueo cuiuſq; calculo feciſti, quemadmodū diuinatione quadam animi mei ductus fore exiſtimabam, quū tu, qui rei medicæ ætate noſtra mirus artifex & magiſter ſis, ijs omnibus audacius reſponderis, quæ nimis accuratus Plinij defenſor, aut tibi uiro doctiſſimo diſſimulanter impingeret, aut Hērmolaum Barbarū, uirum & tibi amiciſſimū, & de re literaria optime meritum, nimis acriter, neſcio an dicam & audacter accuſaret. At ille eſt uenia profectò dignus: non enim fortaſſis animaduerterat tantum & Hermolao, & tibi à doctiſſimis uiris *tributū eſſe, ut uel ſola autoritate* (quod de Pythagora Cicero traditum ſcripſit) cæteri contenti eſſe deberent, nedum quum reſponſurū ſe ad illa ſpe-
D rare poſſet. Lætor igitur mirū immodū, quū id tibi planè honorificū ſit, teq; cum gratioſum multis, tum chariorē efficiat. Laudi etiam tuæ uehementer gratulor, quam apud omnes ob hoc es adeptus ampliſſimā: ſed longe ampliorē ac ſolidiorem aſſequēris, nomenq; tuū immortalitati cōmendabis, ſi quemadmodū iam omnibus perſuaſum eſt, ab omni caligine & obſcuritate medicinā uindicabis. Quā quidem opinionem ne fallas rogo tanta doctrina tantoq; ingenio ornatus: cuius unius opera & auxilio peſtifera barbarie nos liberatū iri abſq; dubio ſperamus, quū tu omnia Galeni opera in latinā linguam uerteris. Hoc ſanè eſt quod humano generi maxime fructuoſum Baptiſta Aegnatius mecum non parum exoptat, cuius morū elegantia, præclaraq; eruditio, tum græca, tum latina ad ſe amandum quoſq; facile poſſet allicere. Hoc Ludouicus Bonaciolus, hoc Cæſar optatus, hoc Hieronymus Menochius, & Laurētius Bertholinus noſter, medici profectò clariſſimi, auidiſſime cupiunt. Ad hoc cætera præclara medicorū omnium ingenia te exhortantur, hoc inquam, hoc illud eſt, quod omnes literarū ſtudioſi & efflagitāt potiſſimū, & expectant. Quorū omnium expectationē diutius retardandam nequaquam cenſeo, ut non parum pro tali ac tanto beneficio, & nos ac etiam poſteri ſe tibi quāmaxime obſtrictos eſſe fateamur.

Vale, meq; ſcias pro tuo in me animo ſingulari
ſemper præſto fore, in quo tibi uel re,
uel opera uſui eſſe ualeam.

Venetijs, Idibus Martijs, M. D. IX.

A # NICOLAI LEONICENI
VICENTINI DE TRIBVS DOCTRINIS ORDINATIS SECVNDVM GALENI SENTENTIAM, LIBER.

INTER cæteras quæſtiones quæ agitari ſolent in Artis paruæ
Galeni expoſitione, illa quæ eſt de tribus doctrinis ordinatis,
quas Galenus in eius libri proœmio ſtatim nominat, difficili-
ma habet: Sed præcipue de duabus altera quæ reſolutiua, alte
ra quæ compoſitiua nominatur. Nam de tertia quæ definitiua
dicitur, non aduerti latinos Galeni expoſitores eſſe admodũ
differentes. In duabus uero quas diximus, ita inuicem aduer
ſantur, ut alij aſſerant doctrinã reſolutiuam eſſe demonſtrationem quam ob rem
ſiue propter quid, cõpoſitiuam uero demonſtrationem ut ſit, ſiue quia ſit: Liceat
enim mihi aliquãdo cõmunioris intelligentiæ gratia neotericorũ conſuetudinem
in loquendo imitari: Alij contraria diſſerant, reſolutiuam doctrinã ex poſteriori-
bus ad priora procedere: compoſitiuam uero uice uerſa ex prioribus poſteriora
demonſtrare. Primæ aſſertionis autor & princeps fuit Druſianus, cognomento
Pluſquã cõmentator. Secundæ, Petrus Aponenſis dictus Conciliator. Quocir-
ca factum eſt, ut in tanta hominum magnæ æuo noſtro autoritatis diſcordia, non-
dum ſatis Galeni de hiſce doctrinis exploratus ſit intellectus: quem nos uolentes
hoc opere declarare, neceſſarium habemus prius quid antiqui philoſophi de do-
ctrinis principalibus ſenſerint, quot & quales exiſtant, explicare. Demum quod
aliter hi de quatuor modis doctrinarũ, aliter Galenus de tribus doctrinarũ ordini
B bus locuti fuerint, rem nondum à recentioribus Galeni expoſitoribus animad-
uerſam, ueritatis amatoribus manifeſtare. Hammonius philoſophus apud Græ-
cos grauiſſimus, in his quæ præfatur ad libri Porphyrij de quinq; uocibus expo-
ſitionem, ita de quatuor doctrinis ſcribit: Quatuor ſunt modi doctrinales, diuiſi- *Quatuor modi*
uus, definitiuus, demonſtratiuus, & reſolutiuus. Dicuntur aũt doctrinales, quia *doctrinales ſe-*
unuſquiſq; aliquid docens, utitur eorum aliquo: ueluti ſi oſtenſurus ſim quod ani *cundum Ham-*
mal eſt genus, utor diuiſiuo, et dico: Quoniam dicimus genus eſſe quod diuiditur *monium.*
in multas ſpecies, hominẽ ſcilicet, capram & bouem, igitur animal eſt genus. Si
aũt hominis naturam oſtendere uolo, utor definitiuo. Ita enim dico: Homo eſt ani
mal rationale, intellectus & diſciplinæ capax. Si aũt uelim oſtẽdere propter quid
homo eſt animal, utor demõſtratiuo, atq; ita ratiocinor: Homo eſt rationalis, õme
rationale eſt animal, omnis igitur homo eſt animal. Si aũt uelim oſtẽdere hominẽ
eſſe cõpoſitum, utor reſolutiuo, & dico: Homo cõponitur ex anima & corpore,
corpus quoddam totum eſt, omnis totalitas ex aliquibus partibus conſtat, corpus
igitur immediate cõponitur ex partibus organicis: Organicæ aũt partes ſunt ca-
put, pedes, & reliqua: quoniam unuſquiſq; iſtis utens inſtrumentis operatur. Sin-
gulæ uero ex his organicis partibus cõpoſitæ ſunt ex uenis, arterijs, muſculis, car
nibus & oſſibus: quæ omnes ſunt partes ſimilares cõpoſitæ & ipſæ ex ſanguine,
pituita, flaua bile, et nigra. Hi uero quatuor humores ex quatuor elementis, igne,
aëre, aqua & terra conſiſtunt. Idem Hammonius in cõmentarijs in priores reſolu
torios Ariſtotelis ita ſcribit: Quatuor ſunt methodi Dialectices, quæ ſunt quædã
facultates & ueluti germina eiuſdem, diuiſiua, definitiua, demonſtratiua, & reſolu
tiua, & tribus methodis prioribus opponitur reſolutiua. Percurramus autem ſin-
gulas, ut quemadmodũ eis opponitur, perdiſcamus. Diuiſiua quidẽ unũ in mul-
ta diuidit. Definitiua aũt plura quæ uni rei inſunt colligẽs in unũ, eandem rem ab

C aliis ſeparat atq; diſtinguit. Demonſtratiua uero aliud alij ineſſe demonſtrat. Reſolutiua uero à cõpoſitis ad ſimplicia regreditur: Et reſolutiuã quidẽ opponi diuiſiuæ nemo dubitat. Hæc enim unum in multa partitur, reſolutiua aũt multa in unũ cogit. Opponiť aũt & definitiuæ: hæc enim ex pluribus quæ alicui inſunt, ueluti ex genere & differentiis unam cõpoſitam perficit definitionem: Reſolutiua uero compoſitum in ſimplicia reſoluit: cõſiderat enim & genus & differentias ex quibus eſt conſtitutũ. Opponitur aũt et demonſtratiuæ: hæc enim aliud alij cõiungit, ueluti animæ ineſſe immortalitatẽ compoſito ſyllogiſmo ſyllogiſtice oſtendit: reſolutiua aũt eundẽ diſiungit. Vt aũt ſummatim dicatur, diuiſiua quidẽ genera ſecat in ſpecies: reſolutiua uero ſpecies in genera colligit. Rurſus definitiua ex partibus totum aliquod conſtituit: reſolutiua aũt à toto ad partes tranſcendit ex quibus componiť totũ. Rurſus demonſtratiua ex cauſis cauſata demonſtrat: reſolutiua aũt à cauſatis ad cauſam aſcendit: omnibus igitur opponiť reſolutiua. Quærit aũt Hammonius in eiſdem cõmentariis, cur duo primi libri in quibus agit Ariſtoteles de ſyllogiſmo, ſimpliciter inſcripti ſunt Priores reſolutiui: Sequẽtes aũt duo in quibus tractat de ſyllogiſmo demõſtratiuo, Reſolutorij poſteriores ſimpliciter inſcribantur: atq; his quæſtionibus ita ſatisfacit: Dicimus, inquit, quod in ſyllogiſmis eſt cõpoſitio: eſt aũt & reſolutio, quemadmodũ & apud grãmaticos eſt compoſitio & reſolutio. Compoſitio quidẽ ſecundũ quam ex elementis uel ſyllabis nomina cõponuntur ac uerba: Reſolutio aũt ſecundũ quam ea quæ cõpoſita ſunt, reſoluunť in *ſimplicia*, ex quibus cõponuntur, uidelicet in ſyllabas & elementa. Eſt aũt & apud phyſicos cõpoſitio ac reſolutio: Compoſitio quidẽ quando à ſimplicibus formis ueniunt ad cõpoſitas, ueluti à per ſe bono, ad id quod eſt in mente bonum, ad id q̃d in anima, ad id quod in corporibus: Reſolutio aũt eſt quando à formis quæ ſunt in ſenſibilibus, aſcendunt ad formas quæ ſunt in intelligibilibus. Eſt & amatoria reſolutio, qua utitur Plato in Sympoſio, à pulchritudine quæ in ſenſibilibus reperitur, ad intelligibilem puchritudinẽ aſcendẽs. Eſt & geometrica reſolutio, unde quæriť, quomodo totus ſecundus liber Euclidis reſoluitur. Talem aũt reſolutionẽ Geminus definiuit hoc modo: Reſolutio eſt inuentio demonſtrationis: à concluſione enim incipiunt qui reſoluere dicunť. Quod ſi inuenerint ſe opportune reſoluiſſe, poſtmodũ componentes quæ per reſolutionẽ inuenerint, faciunt demõſtrationẽ. Quare recte Geminus definiuit: Reſolutio eſt demonſtrationis inuentio. Eſt aũt & apud Aſtronomos cõpoſitio & reſolutio: Eſt & in ſyllogiſmis. Et cõpoſitio quidem dicitur collectio propoſitionũ, & ipſius ſyllogiſmi generatio: ueluti ſi uelim demonſtrare quod anima ſit immortalis, colligo propoſitiones aliquas, ex quibus conſtituo ſyllogiſmũ hoc modo: Omne quod per ſe mobile eſt, ſemper mobile eſt: anima eſt per ſe mobilis, igitur ſemper mobilis. Item omẽ ſemper mobile, eſt immortale: anima eſt ſemper mobilis, igitur eſt immortalis. Hæc quidẽ cõpoſitio appellať. Reſolutio uero quando inuento ſyllogiſmo apud aliquẽ autorẽ, quærimus ad quã figurã reducať: atq; ita ipſum per propoſitiones reſoluimus, ex quibus eſt conſtitutus: ueluti nuper dictũ ſyllogiſmũ apud Platonem inuentũ, ſi reſoluere uoluero, incipio à cõcluſione, & dico, anima eſt immortalis. Vnde hoc probatũ eſt? Ex eo uidelicet, quod omẽ ſemper mobile eſt immortale, & omne per ſe mobile eſt ſemper mobile. Et ita reſoluo ſyllogiſmũ in propoſitiones ex quibus eſt cõſtitutus. Ipſas quoq; propoſitiones ſi reſoluere uoluero, reſoluã in terminos: omnis enim propoſitio habet omnino ſubiectũ, & prædicatum. Dicit aũt in hiſce libris & de reſolutione: Neq; enim qui nouit quidẽ cõponere, neſcit aũt reſoluere, hic methodi ſyllogiſtici ſcientiã tenebit. Ipſe quidẽ Ariſtoteles

Ratio inſcriptionis Priorũ & Poſteriorũ Ariſtot.

D

Geometrica reſolutio.

A teles præpoſito tractatu de generatione ſyllogiſmorũ, hoc eſt de compoſitione eorundem, deinde de inuentione propoſitionum, qua ſcilicet uia ac ratione quiſpiam poſſit inuenire propoſitiones ex quibus componitur ſyllogiſmus: ſubiungit deinde & de reſolutione,& dicit quomodo reſoluere oporteat.Incipiens autem tractare de reſolutione,dicit quod eſt neceſſariũ de reſolutione dicere:qui enim nouit compoſitionem ſyllogiſmorũ,& facultatem habet propoſitionũ inuentiuã,& reſoluendi ſcientiã habens,hic propoſitũ recte aſſequetᷣ,hoc eſt ſcientiam habebit ſyllogiſtici methodi, tanquam nõ ſufficiat ſolum ſcire cõpoſitionem,ſed etiam reſolutionem oporteat cognoſcere,quæ cõpoſitioni opponitur : hæc enim à ſimplicibus ad compoſita procedit, reſolutiua uero contrà à compoſitis ad ſimplicia . Inquit autem ipſe incipiens à ſermone de reſolutione:Si enim cõponere nouerimus,& facultatẽ inueniendi habuerimus, adhuc aũt & reſoluẽdi terminũ habebit, quod erat à principio propoſitũ : Tanquã non de ſola cõpoſitione dicere propoſuiſſet, ſed etiã de reſolutione ſyllogiſmi docere in duobus propoſitis libris, & in alijs duobus ſequentibus omnes reſolutorios appellauit. At obijceret aliquis, Si de cõpoſitione & reſolutione docet,quare nõ appellauit cõpoſitiuos atq; inuentiuos,ſed potius reſolutorios? quænam hæc ſortitio? Reſpondemus q̃d à parte magis artificioſa ac digniore nominauit : Qui enim artificioſe ſcit reſoluere,nouit etiam cõponere : ueluti architectus qui reſoluere nouit, & materias ſeruare incorruptas , omnino & cõponere nouit: ſcit enim quid primũ,quid medium,& quid ultimum compoſitũ ſit : & ita reſoluit. Quia igitur reſolutiua dignior atq; artificioſior exiſtit, & plura cõplectens,atq; perfectior ob id quod diximus,quũ qui ſciat reſoluere, ſciat & omnino cõponere:non contrà qui cõponere ſciat,omnino & ſciat reſoluere:de reſolutione reſolutorios ap-
B pellauit, & breuitatis Philoſophus affectator ſatis habuit à perfectiori parte, nõ aũt à duobus inſcribere. Dico aũt & aliter,quod ſyllogiſmis multi etiã alij ante Ariſtotelem uſi ſunt,ſicut Plato,& plerichq; alij,& ipſi præterea uulgares homines in agendo ac diſputando ſyllogiſmis utunẽ:Nemo tamen ante Ariſtotelem artem ſyllogiſticã tradidit,neq; tres figuras adinuenit ad quas omnes ſyllogiſmi reducunẽ. Gloriatur igitur Ariſtoteles,& meritò gloriaẽ in trium figurarũ inuentione atq; excogitatione,quod tres ſunt figuræ,& neq; plures neq; pauciores, ad quas omnes ſyllogiſmi reducunẽ,omniſq; fides ſiue inductiua ſiue qualiſcunq; fuerit, ad aliquã iſtarum trium figurarũ reducitur : Quia igitur qui reſolutione utitur, omnino ſyllogiſmum fidemq; omnẽ ad aliquã unam harũ trium figurarũ reſoluit,ideo hoſce libros reſolutorios uocauit.Sed quoniã ut dictũ eſt,rectus ordo & conſentaneus expoſtulat, ut primũ quæ cõmuniter inſunt omni ſyllogiſmo doceamus : deinde quæ proprie huic uel illi : idcirco hoſce duos primos libros in quibus docet de ſyllogiſmo, ſimpliciter priores reſolutorios uocauit : alios aũt duos in quibus nõ de ſyllogiſmo ſimpliciter ſed demõſtratiuo pertractat,poſteriores reſolutorios appellauit. Et hæc quidẽ quantũ ad inſcriptionẽ attinet. In eandẽ pariter ſententiã ſcribit Ioãnes Grãmaticus in cõmentarijs priorum reſolutiuorũ,ubi cauſam inſcriptionis inquirit,ita ſcribens:Cauſam aũt inſcriptionis inquirere oportet, cur nam reſolutorij, & nõ de ſyllogiſmis inſcribunẽ:Nam reſolutio pluribus modis diciẽ : Eſt enim reſolutio totius in partes,& compoſitorũ in ſimplicia,qua utunẽ geometræ, & corporũ naturalium in elemẽta quatuor,& etiam reductio ſyllogiſmorũ in proprias figuras. Alioquin aũt cum reſolutionis nomen multipliciter dicatur,licet & ſecundũ hoc dicere, reſolutionẽ eſſe regreſſionẽ quandã ad id q̃d prius eſt, & cauſa cõpoſitionis exiſtit: Vnde quærendi datur occaſio,cur quũ ſyllogiſmus cõpoſitio ſit,& pluriũ propoſitionũ collectio,non aũt reſolutio, libros in quibus de ſyllogiſmis pertractat reſolutorios uocauit? Oportuit enim potius compoſitorios inſcribere. Vt igitur ſimul

Reſolutio multiplex.

C & inſcriptionis cauſam, & totius uoluminis diuiſionē explicemus, ita dicimus: Diuiditur hoc uolumen in tria capita: docet autem nos in primo quidem compoſitionem ſyllogiſmorum: In ſecundo uero quo pacto nobis propoſitionū copia ſuggeratur: In tertio aūt agit de ſyllogiſmorū reſolutione. Ex tertio igitur capite, ut quod cæteris dignitate præſtaret (omnis ſiquidem ſyllogiſmus ex reſolutione cognoſcitur in qua figura ponatur) hoſce libros cenſuit inſcribendos: Alioquin qui reſolutionem nouit, pariter & compoſitionē nouit: quæ enim diſſoluit, hæc eadem haud magna cum difficultate componit. At uero cōtrà ſe res habet, nam & uulgares homines ſciunt quidem componere ueluti nomina, & uerba, & orationem conſtituere atq; proferre, ueluti Socrates ambulat, ipſam autem reſoluere neſciunt, & docere quidnam eorum ſit uerbum, quid nomen. Idcirco autem priores dicūtur, quoniam de ſyllogiſmo ſimpliciter qui materiei proportione reſpondet, quum nullam formam habeat, hoc in loco pertractatur, & quoniam genus ſuas ſpecies antecedit. Eſt autem uniuerſaliter ſyllogiſmus genus & demonſtratiuorum & reliquarū ſpecierum, nō abſq; ratione libros in quibus de eorum genere pertractat priores: in quibus uero de ſpeciebus, poſteriores Reſolutorios inſcripſit. Hæc aūt Ioannis Grammatici ratio cauſam tantum aperit, ob quam hi duo poſtremi libri in quibus de ſyllogiſmo agitur demōſtratiuo, qui eſt ſpecies ſyllogiſmi, ſimpliciter poſteriores dicantur: cur autem Reſolutorij, ſicuti & duo antecedentes, hoc in loco non explicat, ſed *in commentarijs in ſecundum librum poſteriorū*: quorum alteri latini, uerbum ex uerbo ut uidetur, ex græca lingua tranſlati, prolixi tamen, & prioribus in primum librum de demonſtratione cōmentarijs eiuſdem Ioannis Grammatici expoſitionū ac dubitationum copia reſpondentes: alteri uero græci habentur multo latinis breD uiores, adeò ut ueluti quoddam eorum compendium eſſe uideantur, cauſam aſſignans cur duo libri ſequentes in quibus agitur de demonſtratione Reſolutorij inſcribantur, ita ſcribit: Quoniam autem & hoc antiqui expoſitores prætermiſerunt, cauſam ueram aſſignare, ob quā demonſtrandi ratio reſolutoria ſit appellata, hanc quoq; afferre eſt neceſſariū. Quam eñ expoſitores in prioribus reſolutorijs inſcriptionis cauſam attulerunt, illis quidem cōuenienter aſſignari uidemus, his uero in quibus demonſtrandi ſcientia traditur, minime. Neq; enim demonſtrandi ſcientia imperfectior eſt ea quæ ſingulos ſyllogiſmos docet in proprias figuras reducere, adeò ut ex illa nuncupationem traxiſſe uideatur: Siquidem omnia quæ de ſyllogiſmis tractantur, ad demonſtrationē tanquam ad finem referūtur. Quod etiam Ariſtoteles ipſe in primo priorū reſolutiuorū exordio teſtatur quū ita ſcribit: Primum dicere oportet circa quid, & de quo conſideratur: quia circa demonſtrationē & de ſcientia demonſtratiua &c. Quid igitur de Reſolutorij uocabulo dicemus? Videtur quidem impoſitum ad ſignificandum progreſſum ab his quæ ex principijs ortum habent ad ipſa principia, quod & ipſum reſolutionis nomen oſtendit. Eſt enim reſolutio effectuum poſteriorum in priora ac ſuperiora ex quibus conſtant, uideturq; per tranſlationē ſumptum ab his qui poſt peregrinationē ad proprios lares reuertuntur: Nam qui à patria recedunt, ac deinde regrediuntur, reſoluere dicunt. Sicut aūt & definitio & diuiſio & demōſtratio multipliciter dicitur, ita & reſolutio: Eſt enim reſolutio tranſitus à compoſitis ad ſimplicia, ex quibus tanquam ex proprijs principijs, id eſt elementis ſunt conſtituta. Eſt & ſyllogiſmorū reſolutio in figuras, ueluti in principia quædā ac regulas artificioſas & ſcientiā parientes. Eſt & alia eorundem ſyllogiſmorū reſolutio in principia, hoc eſt in propoſitiones ac terminos ex quibus primis fuere cōſtructi. Dicitur etiā reſolutio ad uniuerſalia à particularibus aſcenſus, ut à ſingularibus ad ſpecies ſpecialiſſimas, & ab his ad ſuprema genera, q̄d reſolutionis genus Ariſtoteles, ut quæ magis ſit definitionis inuentioni accom

Ratio uocabuli Reſolutio.

A accõmodata, diuiſioni præponit. Dicitur & reſolutio, quũ notum aliquid in principia & cauſas, ex quibus & quod ſit & quod noſcatur habet, reſoluimus: iuxta quod reſolutionis ſignificatũ, ſcientia demonſtrandi reſolutoria appellaт. Quod enim luna interiectu terræ deficiat, ex poſterioribus ad priora aſcendentes agnoſcimus, ac poſtmodũ inuenta cauſa demonſtrationẽ cõponimus: Nam lunam quidem deficere ſenſu cõprehendimus: huius deinde cauſam intellectus inueniẽs, de eadẽ ſcientiam ſcribit hoc pacto: Luna quidẽ deficit, quod deficit aliquod habet quod obijcitur. Hic ab effectibus ad cauſas progreſſus, reſolutio appellatur, poſt quem ſequitur demonſtratio deſcendens à cauſis ad effectus hoc modo: Lunæ aliquid obijciт, cuicunq; aliquid obijcitur, deficit. Item, terra mouetur, quũ aũt mouetur, uentus in penitioribus eius cauernis includiт, igitur terra uentũ habet introcluſum. Hæc quidem reſolutio dicitur. Poſtmodũ fit demonſtratio hoc pacto: Ventus in terræ cauernis includiт, uento aũt introcluſo terra tremit, igiт eſt tremor terræ. Aut igitur hanc ob cauſam demõſtrandi ſcientia reſolutoria appellaт, aut quoniã medius terminus in demonſtratione uim obtinet omnẽ. Hic aũt eſt rei definitio, quæ ex reſolutione inueniт, ut ipſe Ariſtoteles ſentit, atq; ideo ars demonſtrandi reſolutio diciт, ut quæ ſine reſolutione cõſtare nõ poſſit. Poteſt aũt quis & illud affirmare, priores quidem libros dici reſolutorios ob cauſam prius aſſignatã, quoniã nulla eſt in ipſis contemplatio perfectior ea per quã ſyllogiſmi in proprias figuras reſoluunт. At primus liber poſteriorũ, qui antecedit hunc, ob cauſam ſuperius expoſitã, quoniam ſcilicet demonſtrationis principia per reſolutionem inueniuntur: Propoſitus autem liber ſcilicet ex duobus poſterioribus ſecundus, ideo Reſolutorius inſcribitur, quoniam in ipſo de medio demonſtrationis quod eſt ipſa definitio rei, tractatur. Hæc autem *Ars demõſtrandi cur reſolutiua.*

B per aſcenſum à continentibus ad contenta inuenitur, qui modus quidam reſolutionis exiſtit, ut ipſe Ariſtoteles in ſequentibus indicabit. Atq; hoc pacto ſingulis libris ſuæ inſcriptionis cauſa erit aſſignata. Fortaſſe autem ex hac eadem inſcriptione monſtratur non placere Ariſtoteli modum illum inueſtigandi definitionem per diuiſionem, quem Platonici maxime probant: In alijs autem commentarijs græcis, qui etiam ad Ioannem Grammaticũ referũtur autorem, in eandem ferè ſententiam iſta ſcribuntur, quæ cauſam exponunt cur primus liber atq; ſecundus poſteriores æque, ac duo priores Reſolutorij inſcribuntur: Quoniam medius terminus in demonſtratione eſt definitio, ex accidenti etiam de definitione in hoc libro conſideratur: Nam proprius de definitione differendi locus eſt in ſeptimo eius uoluminis libro, quod Poſtnaturalia inſcribitur: Hic aũt non tanq̃ de definitione, ſed de cauſa potius & medio doctrinam inſinuat. Quũ uero & demonſtratio reſolutio dicatur, pars aũt demõſtrationis eſt iſta tractatio, ut quæ de medio eiuſdem edoceat, idcirco & ipſa reſolutoria uocatur. Primus aũt liber demõſtratiuæ ſciẽtiæ Reſolutorius inſcribitur nõ eadem ratione qua duo antecedentes, illi enim à potiori artis ſyllogiſticæ parte talem ſortiti ſunt inſcriptionẽ: nam prior atq; præſtantior eſt ille tractatus, in quo docetur quomodo ſinguli ſyllogiſmi in proprias figuras reſoluunт: ſiquidẽ ſyllogiſmũ in propoſitiones reſoluimus, has in terminos, & mediũ aſſumimus, atq; hic ſyllogiſmi figura reperiт. Quod ſi illa omnia propter demonſtrationẽ quærunт, ut ipſe Ariſtoteles in principio trium figurarũ inquit, q̃d uidelicet conſideratio de demõſtratione exiſtit, Finis aũt dignitate præcellit ea quæ ad finem ſunt, omnibus quæ ante ipſam ſunt dignior erit demõſtratio. At quoniã ſpecies quædã demonſtrationis eſt demonſtratiua ſcientia, idcirco reſolutoria appellatur: nam eius principia à nobis per reſolutionẽ inueniunт, quũ ab his quæ nobis priora ſunt, ad ea quæ natura antecedũt, uidelicet ad cauſas ipſas aſcendimus. Primũ enim percipimus ſenſu lunam deficere, intellectus deinde cauſam rimatur & inuenit; Ita enim ratiocina-

C tur:quod deficit ei aliquid, obijcitur. Hæc reſolutio ad cauſas ex effectibus progre
ditur:deinde demonſtratio deſcendit à cauſis ad effectus,hoc modo : Lunæ aliquid
obijcitur:cui aliquid obijcitur,deficit,luna igitur deficit. Rurſus etiam terrā concu
ti uidemus, unde ita dicimus : Terra cōcutitur,quū terra concutitur uentus in eius
cauernis includit̄. Hæc quidē reſolutio eſt : deinde ſequitur demonſtratio:In terræ
cauernis uētus includit̄, uento intercluſo fit terræ tremor,in terra igitur tremor fit.
Vel igitur ex hac cauſa inſcriptioni occaſio data eſt, uel quoniā in demonſtratione
medius terminus ſummam obtinet uim, hoc aūt eſt definitio rei:ipſa uero definitio
per reſolutionē inuenitur:quū enim hominē cōſpicimus,in illa reſoluimus,ex qui-
bus ipſum natura conſtituit,uidelicet animal rationale,mortale,intelligentiæ ac di-
ſciplinæ capax : atq; ita hæc omnia aſſumētes,hominis definitionē cōponimus. Di-
citur etiā reſolutio à particularibus ac ſingularibus ad uniuerſalia,donec ad ipſum
generaliſſimū pertingamus,aſcenſus. Eſt etiā reſolutio à re aliqua nota ad principia
cauſasq; ex quibus res ipſa conſtat atq; innoteſcit,regreſſus : iuxta q̄d reſolutionis
ſignificatū etiā demonſtratio dicit̄ reſolutio. Eſt etiā reſolutio ex effectibus ac poſte
rioribus ad principia cauſasq; ex quibus effectus conſiſtūt,recurſus. Sumptū eſt re
ſolutionis uocabulū per translationē ab his,qui poſt peregrinationē in patriā reuer
tuntur : nam ad proprios lares ab externis regionibus reditus reſolutio uocat̄. Dici
tur etiam reſolutio à cōpoſitis ad ſimplicia ex quibus cōponitur,tranſitus. Eſt aūt &
ſyllogiſmorū in figuras reſolutio:ſiquidē eoſdē in propoſitiones & terminos reſolui
mus. Hæc quoq; ex cōmentarijs Ioannis Grāmatici in ſecundum librum reſoluti-
uorum poſteriorū, uel potius ex eorundē cōpendio ſumpta ſunt. Sed & idem Ioan
nes Grāmaticus in magnis cōmentarijs dictorū librorū Ariſtotelis,nō minus q̄ cæ
D teri græci expoſitores de quatuor doctrinis,quales nam ſunt,& cur tot numero exi
ſtant,tam docte q̄ copioſe etiam conſcripſit, quū inquit:Quatuor ſunt genere me-
thodi,quibus omnis doctrina ac diſciplina artificioſa perficitur,definitiua ſcilicet ac
demōſtratiua,diuiſiua ac reſolutiua. Haud iure ſuperuacuū uideret̄,quū de demon
ſtratione ac definitione ſermo habeat̄, de quatuor pariter doctrinarū modis expla-
nare,et quid ſint,& propter quid ſint,& quodnam ſingulorū ſit opus, ac quo pacto
ad inuicē ſe habeant. Sunt ēm̄ uiæ quædā ac rationes intellectuales, cum quibus hu
mana mens proprias inquiſitiones apprehēdit: Ad hunc enim inuentæ ſunt finem,
ut earū adminiculo ea quæ ſunt occulta atq; recondita, intellectus inueniat. Eſt aūt
definitiuæ quidē opus,propriā rei propoſitæ ſubſtantiā oſtendere. Demonſtratiuæ
uero, per ſe accidentia per medias cauſas proprijs ineſſe ſubiectis demonſtrare. Di
uiſiuæ aūt,genera ſpecierū ſiue ſubalternarū ſiue ſpecialiſſimarū aſſumere , atq; ea-
dem ſpecificis differentijs diuidere,nihil prætereundo intermediū. Reſolutiuæ ue-
ro,ex indiuiduis ac ſingularibus aſcendere ad ſpecialiſſima, atq; à ſpecialiſſimis ad
ſubalterna, ſimpliciterq; à poſtremis ad priora & prædicata . Quum enim plurima
ſint reſolutionis ac diuiſionis ſignificata, hæ ſolæ quæ dictæ ſunt, propriam habent
appellationē,ut quæ ad definitionē ac demonſtrationē conducant:quas etiam am-
bas Ariſtoteles ipſe in hoc libro propoſito ad definitionē accipit inuentionē, utraſq;
quidē ad idem conferre aſſerens,reſolutiuā uero diuiſioni præponēs. Hæc quidem
ſunt quatuor doctrinarū ſua ſingulis opera deputata. Reliquū eſt quo pacto ſe inui
cem habeant exponere. Eſt enim dubitatione dignū,nunquid principales exiſtant,
& an definitiuam ac demonſtratiuā reliquæ duæ ueluti cauſæ cōſtituant, ſiquidem
per eas definitiōes inueniri uidemus: Vel nō ita ſe res habet, ſed hæ potius tanq̄ mi
niſtræ illis ſubijciunt̄,eiſdē quodāmodo ſubſeruientes,ac rationi ſcientia comite,il-
lam quæ rebus aduenit ab illis ſpecificationē præparātes. Si enim tanq̄ illarū cauſæ
haſce præcederent,ipſæ per ſeipſas perfectionē,& nō relationem ad illas haberent

Definitio per reſolutionē inuenitur.

Quatuor doctrinarū officia

A At nunc intueri licet,ipſas ad illas reſpicere,ac nõ aliter ꝙ arte ſecandi,& qua me-
talla effodiuntur fabris lignarijs, atq; aurificibus habilem illis materiam perfice-
re. Siquidem genera ſunt definitionũ materiæ, quæ quũ ſint indeterminata, aſſu-
mens diuiſio differẽtijs diſtinguit, atq; idonea ad definitionũ formationẽ operatᷣ:
Demum ita elaborata genera ſuſcipiens, quod conuenientẽ eis ordinẽ ac compo
ſitionẽ adiungẽs, definitiones inſtituit. Eodem modo reſolutiua ab indiuiduis ad
ſpecialiſſima aſcendit,atq; ab his ad ſuperiora genera, ac ſemper ſubiectis cõmu-
nia perquirit. Quæ demũ inuẽta definitiuæ ſuppeditat: quæ deinde ipſa definitiua
ſuſcipiens,ac cõuenienti ordine iungens,ex his quidẽ quæ ſunt cõmunia ſingula
ribus, ſpecierum conficit definitiones: ac rurſus ex his quæ ſunt cõmunia ſpecie-
bus, generũ conſtruit definitiones. Quare ſi quis diuiſiuæ ac reſolutiuæ eum au-
ferat uſum quem definitionibus præſtant,atq; ab illarũ reſpectu ſeiungat, imper-
fecte & nihil aut parum aliquid utilitatis afferre uidebuntur. Hæc igitur ita ſe ha-
bent. At definitiua ipſa eſt per ſeipſam perfecta,et rerũ explicat ſubſtantias,ipſaq;
demonſtratiuã cõſtituit,quũ illi mediũ ſubminiſtret,& cauſam ſine qua demõſtra-
tionem fieri eſt impoſſibile: omnẽ ſiquidẽ uim ab illa demonſtratio nanciſcitᷣ. Poſt
hanc uero eſt demonſtratiua ſtatuenda: reliquæ harũ miniſtræ ac famulæ exiſtũt:
ſed principaliter quidẽ definititiuæ, per hanc aũt mediam etiam demonſtratiuæ.
Non abſq; ratione aũt definitiua demonſtratiuæ præponitᷣ: illa ſiquidem rerũ ſub-
ſtantias explicat: hæc rebus ipſis aduenientia demonſtrat. Sicuti aũt ſe habet ſub-
ſtantia ad illa quæ ipſam conſequuntᷣ, ita definitiua ad demonſtratiuã. Neq; uero
ſuperuacaneũ uidetur de numero earũ aliquid dicere: Cur nanq; cõmunes doctri *Cur quatuor*
narum,ac diſciplinarũ uiæ ac rationes ſint tantũmodo quatuor,neq; maiori nume *tantum doctri-*
B ro neq; minori cõprehendantur. Vel igitur ſubſtantiarũ certam quærimus habe- *narũ methodi.*
re ſcientiã,aut eorũ quæ eaſdem ſubſtantias conſequuntᷣ,ad ſubſtantiarũ cognitio
nem utimur definitiua. Ex his aũt quæ quod quid eſt,manifeſtant, in conſequen-
tium uenientes notionem ad eorum probationẽ utimur demonſtratiua. Quia ue-
ro definitiuæ neceſſaria eſt materia,eandem diuiſio ac reſolutio ſuppeditant: nam
quũ definitiones ſint uel ſpecierũ ſpecialiſſimarũ, uel ſubalternarũ, aut à ſuperio-
ribus aut ab inferioribus iſtas inquirimus: Et quũ à prioribus rimari placuerit, uti
mur diuiſione, ſicut quũ à poſterioribus, reſolutione: adeò quod principales qui-
dem ſcientiæ ſunt definitiua ac demonſtratiua, ad has aũt diriguntᷣ diuiſiua & reſo
lutiua. Ioannes quoq; Damaſcenus in libro in ꝗ de arte quæ Logica dicitur, tra-
ctans de eiſdẽ quatuor doctrinis, ita ſcribit: Sciendũ eſt quod quatuor ſunt Diale-
cticæ,id eſt Logicæ methodi: Diuiſiua, quæ genus in ſpecies per differẽtias ſecat:
Definitiua, quæ ex genere & differẽtijs quibus uſa eſt diuiſiua, propoſitæ rei de-
finitionem conſtituit: Reſolutiua, quæ id quod magis compoſitum exiſtit, in ſim-
pliciora reſoluit, hoc eſt corpus in humores, hos in quatuor elementa, hæc aũt in
materiam & formam. Demonſtratiua autem eſt, quæ per medium aliquod rem
propoſitam demonſtrat: ueluti propoſitum eſt mihi demonſtrare quod anima eſt
immortalis per hoc medium: Quod ſemper mouetur eſt immortale: anima ſem-
per mouetur, igitur anima eſt immortalis. Illud quoque noſſe oportet, ſyllogi-
ſmos ad demonſtrationem pertinere. Neq; nos latet reſolutiuam eſſe triplicem:
Eſt enim reſolutio naturalis, cuius paulò ſuprà exemplum attulimus: Eſt & reſo-
lutio logica, quando propoſitum ſyllogiſmum in propriam figuram reſoluimus:
Eſt etiam mathematica reſolutio, quãdo accipimus id quod quæritur tanquã con-
ceſſum, atq; ab eodem progredimur, donec ad aliquid omnium opinione con-
feſſum perueniamus, ex quo poſtmodum propoſitũ adſtruitur: ueluti ſi in quæ-

C ſtionem ducatur, Nunquid anima ſit immortalis: hoc ipſum quod quæritur accipio tanquam conceſſum, atq; ita ratiocinor: Quandoquidē anima eſt immortalis, ſunt pro malis & bonis actionibus præmia repenſa: ſi ſunt pro bonis et malis actionibus præmia repenſa, eſt quod iudicat & iudicatur: ſi eſt quod iudicat & iudicatur, eſt quod prouidet. Ex prouidentia tandem in prouidentiā deuenimus, quam omnes concedunt. Mox per cōpoſitionē dico: Quandoquidē eſt prouidentia atque iudicium, præmia rependuntur: ſi præmia rependuntur, eſt aliquod quod iudicatur: ſi eſt aliquod quod iudicatur, anima eſt immortalis. Alexander etiam in cōmentarijs priorū reſolutiuorū Ariſtotelis, aſſignans & ipſe cauſam eorundem librorum inſcriptionis, multiplex reſolutionis ſignificatū his uerbis oſtendit: Ideo aūt reſolutorij dicuntur, quoniam cōpoſiti cuiuſq; ad ea ex quibus compoſitio facta eſt reditus, reſolutio uocatur: Nam contrà ſe habet reſolutio quàm cōpoſitio: ſiquidem cōpoſitio à principijs uia eſt ad ea quæ ex principijs oriuntur: Reſolutio aūt reditus à fine ad principia. Nam & Geometræ reſoluere dicūtur, quoniam à cōcluſione principiū facientes, ordine quodā per ea quæ ad cōcluſionis demonſtrationem aſſumuntur, ad principia propoſitæ quæſtionis aſcendunt. Sed & qui cōpoſita corpora in ſimplicia reducit, reſoluere dicit: & qui ſimpliciū unūquodq; in ea ex quibus eorū eſſentia eſt cōſtituta, ſcilicet in materiam & formā. Sed et qui orationē in partes diuidit, & eaſdem partes in ſyllabas, & has in elementa, hic quoque *reſoluere dicitur*. *Proprie aūt reſolutio* appellatur, quū ſyllogiſmi cōpoſiti in ſimplices *reſoluunt: Sed & ſimplices* in propoſitiones ex quibus conſtant. Sed & ſyllogiſmorū imperfectorū ad perfectos reductio, reſolutio quædā exiſtit: iuxta quod maxime reſolutionis ſignificatū, hi libri reſolutorij inſcribunt: Nam in fine
D primi libri quandā uiam ac rationē Ariſtoteles tradit, per quam hoc cōmode facere ualeamus: Nec minus q̃ pacto ſimplices ſyllogiſmos in propoſitiones ex quibus cōſtant reſoluamus, idem Ariſtoteles docet. Eundē quoq; autorē inuenimus aliquando dicere quomodo ſyllogiſmi cōpoſiti ex ſimplicibus fiant, ac quo pacto ad eoſdē reducant. In quibus igitur libris de ſyllogiſmorū reſolutione pertractat, hos reſolutorios priores: in quibus aūt de demonſtrationibus, hos quidē reſolutorios & ipſos, ſed poſteriores inſcripſit. Alcinous quoq; philoſpphus Platonicus in libello in quo placita Platonis exponit, de quatuor doctrinis ex eiuſdem Platonis ſententia facit mentionē, cuius dicta nō grauabor apponere, ut unuſquiſq; facile intelligat utriuſq; ſectæ & Platonicæ & Ariſtotelicæ familiares philoſophos non longe diuerſa de quatuor doctrinis, & multiplici reſolutionis ſignificato, ſed eadem propemodū literis tradidiſſe. Sunt aūt hæc Alcinoi in eodem libro uerba: Maxime uero proprium atq; intimū Dialectices eſſe arbitratur, uniuſcuiuſq; rei ſubſtantiam inſpicere, deinde accidentia. Contemplatur aūt quid unaquæq; res ſit, uel ex ſuperioribus per diuiſionem ac definitionē, aut ex inferioribus per reſolutionē. Accidentia aūt quæ ſubſtantijs inſunt, uel ex contentis per inductionem, uel continentibus per ſyllogiſmū, adeò ut rationabiliter hæ ſint Dialectices partes, una diuiſiua, altera reſolutiua, altera definitiua, ac præterea inductiua ac ſyllogiſtica ſiue collectiua. Diuiſio igitur, alia eſt partitio generis in ſpecies, alia eſt totius in partes, ueluti quū animam diuidimus in rationalem atq; paſſibilem, ac rurſus paſſibilem in iraſcibilem ac cōcupiſcibilem: Alia eſt partitio uocis in plura ſignificata, ut quādo unū & idem nomē plura ſignificat: Alia eſt accidentiū in ſubiecta, ut quū dicimus: Bonorum alia animam, alia corpus exornant, alia ſunt quæ externa appellantur. Et eſt ſubiectorum in accidentia diuiſio, ut quum dicimus, hominum alij boni, alij mali, alij medij. Oportet igitur in primis uti partitione generis

Diuiſionū modi plures.

A generis in ſpecies,ut unuſquiſq; rei eſſentiam cognoſcat:hoc autem ſine definitione fieri non poteſt.Definitio aũt ex diuiſione ortum habet hoc modo:Rei quæ deſinienda ſit genus diſcere oportet, ueluti quia genus hominis eſt animal: deinde ipſum genus per proximas ſecare differentias uſq; ad ſpecies deſcendendo,ueluti per rationale,& irrationale, & mortale & immortale:ita quod ſi proximæ differentiæ cum genere coniungantur,ex ipſis hominis definitio conſtituitur. Reſolutionis aũt ſpecies tres ſunt:una eſt à ſenſibilibus ad intelligibilia prima:alia eſt à demonſtratis & ſubdemonſtratis ad indemonſtrabiles & immediatas propoſitiones regreſſus: alia à ſuppoſitione aſcendens ad principia quæ ſuppoſitione nõ egent. Et prima habet talem naturã, ueluti ſi à bono corporis tranſeamus ad animæ bonum, quod in legibus eſt:deinde ad infinitum pelagus bonitatis,ut hoc modo indagantes,ipſum per ſe bonũ reperiamus. Secunda reſolutionis ſpecies talis exiſtit:Supponere oportet id quod quæritur, ac contemplari quænam ſint illa priora,atq; à poſterioribus ad priora aſcendendo demonſtrare,donec peruentũ ſit ad primũ atq; confeſſum:à quo rurſus incipiendo ad rem quæſitam per cõpoſitionis modũ deſcendamus: ueluti ſi quæramus nũquid anima ſit immortalis,hoc ipſum ſuppones quæro,an ſemper mobilis: deinde hoc demonſtrato,iterum quæro, an id quod ſemper mobile,ſit per ſe mobile: quo demonſtrato, rurſus quæro an per ſe mobile principium motus exiſtat:Deinde ſi principium an ingenitũ, quod ueluti pro confeſſo habetur,quũ quod ingenitũ eſt etiam incorruptibile ſit. Sumpto igitur ab hoc quod ex ſe patet initio,talis demonſtratio cõponitur:Principium ingenitũ eſt, & incorruptibile principiũ motus eſt id, quod per ſe mouetur: anima autẽ eſt per ſe mobilis, igitur ingenita, incorruptibilis, atq; immortalis eſt anima. *Reſolutionis ſpecies tres.*

B Quæ aũt per ſuppoſitionẽ reſolutio fit,talis eſt:Qui aliquid inquirit, id eſſe ſupponit:deinde quid ſequatur ad ipſum ſuppoſitũ inſpicit,ac poſtmodũ ſi ſit,de ſuppoſitione ratio afferenda aliam faciens ſuppoſitionẽ inquirit,an id quod prius ſupponebatur ad aliam ſequitur ſuppoſitionẽ, ea nunq; inquiſitione ceſſante, donec ad aliquod principiũ perueniamus,quod ſuppoſitione nõ egeat. De inductione aũt & ſyllogiſmis,quibus,& quemadmodũ & alijs Dialectices partibus uſus eſt Plato, plura ſubiungit Alcinous, quæ prolixitatis euitandæ gratia prætermitto.

Nec minus Proclus philoſophus eximius,qui præcipue Platonis dogmata excoluit,in primi libri elementorũ Euclidis expoſitionis præfatione ita de quatuor dialectices facultatibus ſcribit:Sed Dialectica philoſophiæ puriſſima pars ſuper diſciplinas proxime extenditur,omnemq; illarũ continet inuolutionẽ,atq; earundem doctrinis uarias ex ipſa tribuit facultates,quæ perfectiuæ ſunt,indicatiuæ atq; intellectuales.Reſolutiuã dico diuiſiuam,definitiuam, ac demonſtratiuã:quibus adiunctæ atq; perfectæ hæ diſciplinæ quæ à Græcis mathematicæ uocantur,nõnulla quidem per reſolutionẽ inueniunt, nonnulla per cõpoſitionem, & alia quidem per definitionem, alia per modum diuiſionis ponunt:nõnulla aũt quæſita per demonſtrationes abſoluũt,haſce facultates ſuis adoptãtes ſubiectis,ſingulisq; ad mediorũ utentes cõtemplationem. Quo fit ut in eiſdem diſciplinis reſolutiones, definitiones,diuiſiones,atq; demõſtrationes ſint propriæ,ac ſecundũ modũ diſciplinarum cognitioni congruentẽ reuoluant.Recte igitur Dialectica ſepes diſciplinarum appellat. Hæc ſunt quæ græci autores nõ minus Platonicæ q; Ariſtotelicæ ſectæ familiares,de quatuor doctrinarũ modis,et uarijs reſolutionũ ſignificatis cõcordi ferè ſententia ſcripſere. Illud aũt in eorũ ſcriptis diligẽs lector animaduertet,omnes eos quos cõmemorauimus autores reſolutiuã doctrinã demõſtratiuæ, ac reliqs duabus tanq; ab illis diuerſam oppoſuiſſe.Latini aũt expoſitores Galeni

C in hoc omnes conueniunt, quod doctrina reſolutiua de qua Galenus loquitur in procœmio Artis paruæ, ſit doctrina demonſtratiua. Sed utrum hæc utatur eo demonſtrationis genere quæ demonſtratio Propter quid, an altero, quæ demonſtratio Quia à neotericis nominatur, ut circa initia operis diximus, adhuc ſub iudice lis eſt. Etſi uero nonnulla quæ ſuprà ex ueterum philoſophorum ſententia ſunt à nobis expoſita de eo reſolutionis modo, quo à cōpoſitis ad ſimpliciora, aut à poſterioribus ad priora, ſiue ab effectibus ad cauſas accedimus, probare uideant̃ illorum opinionẽ, qui aiunt doctrinam reſolutiuam eſſe demonſtrationem, quæ à recentioribus philoſophis demonſtratio Quia nuncupatur. Si quis tamen eorundem ueterum philoſophorum nō modò ſcripta, ſed etiam intimos ſenſus diligenter ſubtiliterq́ ſcrutetur, inueniet id omnes ferè innuere, non eſſe ueram demonſtrationem, niſi quū à prioribus quæ per reſolutionem inuenta ſunt, ad poſteriora componendo procedimus: adeò ut uera comprobetur Gemini ſententia, reſolutionem nihil aliud eſſe, niſi demonſtrationis inuentionem. Cui etiam ſententiæ adſtipulantur uerba Themiſtij in paraphraſi primi libri poſteriorū reſolutoriorū Ariſtotelis, ita ſcribentis: Demonſtratio uero ſemper priora quæ ſecundum naturam ſint priora deſiderat. Quod ſi ex prioribus ſecundū nos demonſtratio aliqua nectitur, ut demonſtratio appellari poſſit, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundū nos demonſtratio dicitur. Idem pariter Simplicius adſtruit in expoſitione primi libri Ariſtotelis de phyſica auſcultatione, ubi quærit qualis ſit cognitio quæ habetur de rebus naturalibus ab his, qui harū principia & cauſas ex cōpoſitis & iam confuſis inuenerunt. Manifeſtū enim eſſe inquit, q̃d coniecturalis eſt huiuſmodi cognitio principiorū, & non demonſtratiua. Vnde concludit Simplicius, Platonem D recte phyſiologiam, id eſt rerū naturalium ſcientiam, eſſe quandam icotologiam, id eſt coniecturalem locutionem putaſſe: Cui etiam opinioni inquit Ariſtotelem cōſentire, qui illam quæ eſt proprie demonſtratio, uult fieri ex immediatis & principijs per ſe creditis, & ex his quæ proprie ſunt cauſæ & natura priores. Neq́ illud reſolutionis genus quo mathematici frequentiſſime utuntur, ad aliud tendit, niſi ad principiorum ex quibus demonſtratio componitur, inuentionem. Quare ijdem mathematici reſolutionem ac compoſitionem hoc modo definiunt: Reſolutio eſt aſſumptio quæſiti tanquam confeſſi, per cōſequentia progrediens ad uerum aliquod atq́ confeſſum. Compoſitio eſt aſſumptio confeſſi per conſequentia procedens ad quæſiti comprehenſionem. Sunt autem mathematicorum libri, & præcipue tertiuſdecimus liber elementorū Euclidis ex æditione Theonis, & reſolutionū et compoſitionū pleni. Idcirco Hali in expoſitione Artis paruæ Galeni, quamuis non explicet qualis ſit doctrina reſolutiua qua utuntur mathematici, ait tamen hanc ipſam doctrinā eſſe mathematicis notam. Quo quidem Hali teſtimonio fruſtra Pluſquam cōmentator ſuam de doctrina reſolutiua opinionẽ tentauit aſſeuerare. Si enim, ut teſtatur Hali, mathematici utuntur reſolutione, ſiue doctrina reſolutiua, non autem eſt apud eos uſitata demonſtratio Quia, ſed potius Propter quid: hinc ſe colligere arbitratur idem Pluſquam cōmentator doctrinam reſolutiuam eſſe demonſtrationẽ Propter quid. Nos aūt ex his quæ ſuprà expoſuimus ſatis cōſtare arbitramur, mathematicos & diuiſionibus, & definitionibus, & demonſtrationibus, & reſolutionibus uti, nihilq́ aliud apud ipſos eſſe reſolutionem, niſi demonſtrationis Propter quid inuentionem, non ipſam demonſtrationem Propter quid. Vnum autem mathematicæ reſolutionis exemplum non grauarer apponere, niſi ſcribendi fugerem prolixitatem, in re præſertim quam unuſquiſq́ qui mathematicorū diſciplinas uel mediocriter deguſtarit, poſſit ex eorundem

Reſolutio.

Compoſitio.

A dem mathematicorum libris perdiſcere. Vnde non poſſum nõ parum admirari Conciliatorẽ, qui habitus eſt ætate ſua, ut noſtra quoq; habetur in mathematicis ſcientijs uſq; ad necromantiæ ſuſpicionẽ excellentiſſimus, auſum contra Hali ſen tentiã Differentia octaua pronũciare, mathematicos nõ noſſe doctrinã reſolutiuam, uel ſi eam ſciunt non tamen uti ea: Quare ait Halim ſuos ſectatores in igno rantiæ barathrũ detruſiſſe. Atqui Proclus & Euclidis expoſitor & omniũ Græcorum iudicio mathematicus excellentiſſimus, teſtatur mathematicos nõ minus reſolutiua quàm reliquis alijs tribus Dialectices facultatibus uti, quemadmodũ eiuſdem autoris uerba, quæ ſuprà de quatuor doctrinis recitauimus, apertiſſime oſtendunt: ac quemadmodũ etiam ſine aliquo Procli teſtimonio, mathematicorũ libri pleni reſolutionũ ac compoſitionũ, ut diximus, manifeſtant. Quocirca Hali uere potuit affirmare, mathematicos & noſſe & uti doctrina reſolutiua: ſi modò eam potius eſſe demonſtrationis inuentiuam quàm demonſtratiuã, ut nos ex ueterum philoſophorũ autoritate probauimus, intellexerit: alioquin Cõciliatorem non temere contra ipſum inuehi in proceſſu huius noſtræ diſputationis cõcedemus: Qui tamen Cõciliator & ipſe uiſus eſt ignoraſſe, & quid ſit reſolutio mathematica, & cur priores ac poſteriores libri Ariſtotelis Reſolutorij nominati, talem ſortiti ſint appellationẽ, quæ omnia nos in præcedentibus ex ſententia ueterum philoſophorũ abunde docuimus. Sed ut tandẽ ad principale noſtri inſtituti propoſitum reuertamur, ad oſtendendũ ſcilicet quæ fuerit Galeni de tribus doctrinis ordinatis, & de illa præſertim, quam dicit in procemio Artis paruæ ex notione finis inchoare, & fieri ſecundũ reſolutionẽ, ſententia, illud neceſſarium habemus adijcere, quod præter ſuprà tactos reſolutionũ modos, eſt quidam alius, qui
B ut teſtatur Ariſtoteles libro tertio moralium, eſt reſolutioni mathematicæ ſimilis, quem Galenus præcipue methodum reſolutionis nominat: quidam ex neotericis ſyllogiſmum practicũ uocant. Fit aũt hoc modo: Proponitur finis quem aſſequi intendimus: deinde inquiruntur illa, per quæ eundem finem poſſumus attin gere, nunquam ceſſante inquiſitione donec ad aliquod ultimum peruenerimus, quod ſit actionis principium. De tali reſolutione ſimili illi quam diximus mathematicam appellari, Ariſtoteles libro allegato loquitur in hunc modum: Nec ſanè de finibus conſultamus, ſed de ijs quæ ſunt ad finem. Medicus enim non con ſultat an ſanum faciat, nec orator an perſuadeat, neq; gubernator reipublicæ an bene inſtituat ciuitatem, neque aliorum quiſquam de fine deliberat, ſed poſito fine quemadmodum ad illud perueniatur, conſiderat: Et ſi per multa fieri poſſe conſtat, per quod illorum facilime & optime fiat, perquirunt: Si uero per unum, quemadmodum per unum fiat, & id rurſus per quod, donec perueniat ad primam cauſam, quod in inuentione ultimum eſt: Qui enim cõſultat uidetur quærere ac reſoluere prædicto modo quaſi diagrãma. Eiuſdem reſolutionis quæ à fine propoſito ſumit initium, habetur exemplũ etiam apud Ariſtotelem libro ſeptimo primæ philoſophiæ, quam metaphiſica, id eſt Poſtnaturalia nominant, ubi ſcribuntur hæc uerba: Fit autem ſanum ita cogitante ſcilicet medico, quoniam ſa nitas eſt tale quid, neceſſe eſt ſi ſanum futurũ ſit, ut hoc adſit, ſcilicet æqualitas, & ſi hoc, caliditas: Et ita ſemper ratiocinatur, donec reduxerit ad hoc quod ipſe efficere poteſt. Hoc in libro Ariſtoteles uult oſtendere quomodo fiat ſanitas, non quomodo facta ſit, ut male exponit Auerrois cõmentator, qui dedit Cõciliatori errandi occaſionẽ, ut paulò infra oſtendemus. Oſtendit inquã Ariſtoteles quomodo ſanitas à medico reſtituatur, ſi quem contingat ægrotare, ita ſcilicet eodem medico ratiocinãte; Si ſanitas eſt æqualitas calidorũ & frigidorũ, oportet factam

Conciliator.

Proclus.

C in his inæqualitatem ad æqualitatem peruenire, ita quod alterum non ſuperexcedat alterum, ſed modice ſe habeat. Si uero debeat eſſe æqualitas, oportet ut adſit caliditas: ſupponatur enim frigiditatem ſuperabundare: At ſi caliditatem adeſſe conuenit, opus eſt frictione. Incipit ergo Medicus à frictione quã facere poteſt: quæ quidem frictio ultima eſt ſecundũ intentionem ad ſanitatem, & æqualitatem, & caliditatem collata. Primum enim Medicus mente concipit ſanitatem, deinde æqualitatem, deinde caliditatem, ultimo loco frictionem, quæ tamen in opere primas partes habet: Primum enim frictio caliditatem, caliditas æqualitatem, æqualitas ſanitatem facit. Et hoc eſt illud quod dicitur, quod principiũ operationis eſt finis cognitionis, & principium cognitionis eſt finis operationis. Quæ poſtrema uerba cõmuniter dicta uſurpat etiã Cõmentator in huius loci expoſitione, commento xxiij. Sed præter hæc uerba reliqua expoſitio falſa eſt, & ſenſum Ariſtotelis omnino deprauat. Neq; enim proponit ſanitatem quam medicus facere intendit, ſed iam factam ſupponit: Neq; æqualitatẽ nominat, quam adeſſe oporteat ſi ſanitas futura ſit, ſed fluxum naturæ: qui ſi fuit, oportuit affuiſſe caliditatem: & ſi caliditas affuit, oportuit bibiſſe pharmacũ, ſeu laxatiuũ, ut utar uocabulo quo Auerrois, quum tamen Ariſtoteles in ſuo exemplo nõ de fluxu, ſed de æqualitate qualitatum, non de pharmaco, ſed de frictione loquatur, quæ faciens caliditatem, facit etiam æqualitatem, & conſequenter ſanitatem. Laxatiuũ autem tam frigiditatem quàm etiam caliditatem poſſe facere, ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti, nemo medicus neſcit. Ex frictione de qua loquitur Ariſtoteles, fieri caliditatẽ, tam à uulgo quàm etiam à medicis ſcitur. Non eſt autem admirandum, ſi Auerrois expoſitio corrupta eſt, quũ etiam translatio quã ipſe exponit, ſit deprauata, quod unuſquiſq; poterit animaduertere qui translationem Arabicã Græcæ contulerit: quæ licet & ipſa barbara ſit, multo tamen fidelior eſt altera, quam Auerrois ſecutus & ipſe grauiter errauit, & philoſophos noſtræ ætatis (de illis loquor qui non ei minorem quàm Ariſtoteli adhibent fidem) tetra inſcitiæ caligine obtenebrauit. Mille enim ſunt huiuſcemodi loca, ne dicam decem millia, apud Ariſtotelem male è Græca in Arabicam linguã translata, & conſequenter perperam à Cõmentatore declarata. Sed de hoc ipſo loco libri ſeptimi de prima philoſophia non ſatis recte à Cõmentatore expoſito etiam inferius loquemur, ubi de Conciliatore ſuam ex Auerrois expoſitione opiniònem de doctrina reſolutiua confirmante, uerba faciemus. Iam ad id unde digreſſi fuimus reuertamur. De tali etiam reſolutione quæ à fine concepto ſumit initium, facit mentionem Simplicius in expoſitione libri ſecundi Ariſtotelis de naturali auſcultatione, ubi Ariſtoteles conatur oſtendere, quo pacto eodem ferè modo in mathematicis, et in his quæ à natura fiunt, inueniatur neceſſitas. Verba autem Simplicij locũ illum exponentis hæc ſunt: Haberet autem conſecutio ſimilitudinem, ſi quis finem tanquã natura primum conſiderauerit, quoniam & propter hunc & materia eſt. Hoc autem & ipſe Ariſtoteles confirmat ex artibus. Quiſpiã enim ſtatim ab initio concipiens uſum domus atq; utilitatem, & prius figuram animo fingens, ſic apponit materiam: Eſt enim finis notio principium ſpeculationis, ſed non actionis: Duplex enim principiũ, alterum ſpeculationis, alterũ actionis: Et notio quidem finis, eſt ſpeculationis principium: quia egemus defenſione, ideo & tectum facere oportet, igitur et parietes & fundamenta. Finis uero ſpeculationis, eſt principiũ actionis. Idem Simplicius in expoſitione libri Prædicamentorũ Ariſtotelis uolens oſtendere quam præſtet utilitatem hic liber, cum ad totius philoſophiæ, tum ad artis logicæ introductionem, declarat obiter ſecundũ quam methodum fuerint omnes partes ſyllogiſmũ demonſtra

Medici ratiocinatio.

D

A demonſtratiuũ cõſtituentes ab Ariſtotele inuentæ, ſecundum methodum ſcilicet reſolutiuam: & eodem utitur exemplo artis ædificatiuæ, in hunc modũ ſcribens: Vtilis autem horũ doctrina ad totius philoſophiæ, & logicæ tractationis introductionẽ. Liquet enim quod ſimpliciora ad elementationẽ ſunt utilia propter quod. Et geometer à ſimplicioribus inchoãs, primũ de triangulis, deinceps de quadrangulis docet, & tunc de quinquangulis, & de alijs qui ordine ſequuntur, multangulis. Et qui numerorum ſtudium habent, quid par, quid impar, atq; ita quid pariter par, & quid pariter impar. Quod autem ad logicam tractationem utilis ſit ſimplicium uocum principium, hinc manifeſtum. Contemplatio & actio aduerſum iter tenent: etenim contemplatio à fine incipiens, uia incedit ad principium: Actio autem à principio ad finem progreditur, ueluti in domo. Nam ipſius contemplatio uſum protinus cõcipit propter quem eſt domus, quod propter tegumentũ quod à uentis, imbribus, atq; æſtu defendit. Et quo modo hoc fieri poſſit cõſiderans, inuenit quod ſine parietibus tegumentũ nequit ſubſiſtere. Parietes autem ſine fundamentis firmari non poſſunt. Sed neq; hæc poſſibile eſt ut iaciantur, niſi terra fodiatur, & hic deſinit: unde actio incipiens primũ fodit terram, deinde fundamenta iacit, & his ſuperadſtruit parietes, ultimo tectũ ſuperimponit. Hic igitur etiam mihi ſimile obſerua. Sicuti enim indigemus domo quæ nos tueatur ab ea quã uenti & imbres & æſtus facit corruptionem, ita & egemus demonſtratione quæ prohibeat illam quæ uere fit à falſo, in cõtemplatione, & à malo in actione, corruptionem. Sicuti enim in contemplatione opponitur uero falſum, ſic & in actiua philoſophia malũ opponitur bono. Et aliquo egemus inſtrumento quo ipſa ſeparet atque diſtinguat, ne falſa pro ueris, & mala pro bonis incidamus. Hoc autem inſtru- *Demonſtrationis uſus.*

B mentum eſt demonſtratio, quod eſt examen uniuſcuiuſq; rei, neq; permittit nos debili forte, uel ueri, uel boni ſimilitudine decipi, ſed omnia aperit, & explorat. Sicuti igitur domum qualiter fiat conſiderantes in terræ foſſionem deſinimus, ſic & demonſtrationis generationem contemplantes, quoniam demonſtratio aliquid alicui ineſſe dicit, & aliquid non ineſſe alicui, non ſimpliciter, ſed & cauſam apponens ob quam inſit, uel non inſit: manifeſtum eſt quod non eſt ſimplex oratio, ſed pluriũ collectio & eius quod ineſt, & cui ineſt, & cauſæ in duas ad minimum propoſitiones collectæ. Nam qui demonſtrat animam eſſe immortalem per medium hoc, per ſe mobile, ita dicit: Anima eſt per ſe mobilis, per ſe mobile eſt immortale, & ita ſubinfert concluſionem, quod anima eſt immortalis. Syllogiſmus igitur demonſtratiuus eſt demonſtratio. Sed quomodo diſceremus ſyllogiſmũ demonſtratiuum, niſi prius diſcamus ſyllogiſmum ſimpliciter (neque enim ſcribere hanc, uel illam formam poterimus, niſi antea ſimpliciter ſcribere didicerimus) Syllogiſmum autem ſimpliciter quomodo contingit diſcere, niſi ea ex quibus conſtat prædiſcamus? Hæc autem ſunt propoſitiones: uerũ & hæ ex nominibus ſunt, & uerbis: his quidem ſubiectis, his uero prædicatis. Quare & horum cognitio eſt neceſſaria, & neque uſq; ad has reſolutio terminatur: Nam & has ipſas antecedit ſimplicium uocum contemplatio, ſecundum quam omnia ſunt nomina, quoniam prima impoſitio tanquam nominum exiſtit. Cum enim neceſſarium haberent homines res inuicem ſibi ſignificare, quia à communi diſtabant intellectione, huic quidem nomen corpus impoſuerunt, huic uero dextrũ, & alteri facere uel pati, nondum facta differentia, ſecundum quam, hæc quidem ſubijciuntur, hæc uero prædicantur, & hæc quidem cum ſignificant tempus, hæc uero non antecedit. Igitur uocũ ſimplicium contemplatio, & ab his incipiendum uolenti facere demonſtrationem. Cõuenienter igitur à prædicamentis inchoamus, quoniã per ipſa ad orationem ſignificatiuã,

C & ad res ſignificatas introducimur à ſimplicioribus ad cōpoſitiora. Nam poſt ſimplices uoces quid nomē, quid uerbum, addiſcimus. Deinde quid affirmatio, quid negatio, & quæ ſint harum differentiæ, quæ in libro de interpretatione docentur. Deinde quid terminus, quid propoſitio, quid ſyllogiſmus, & quæ ſyllogiſmorum ſpecies, & quod in unaquaq; figura, & quod in ſingulis figuris modi fiant: quæ diſcimus in prioribus reſolutorijs, & ita ad demonſtratiuam uenimus tractationem, quā poſteriora reſolutoria inſcripſit Ariſtoteles. Recte igitur à libro prædicamentorum & logicæ tractationis & totius philoſophiæ initiū facimus, & ex his quæ dicta ſunt, habemus ordinem libri propoſiti lectionis. Sed & Galenus ipſe, de cuius opinione differimus, uſum methodi reſolutiuæ libro undecimo Artis curatiuæ tali exemplo declarat: His igitur qui febrem ſanare conātur, neceſſariū eſt putredinem amouere. Quare duæ fiunt intentiones, altera à febre, altera à putredine, ut quod quidem febris factū iam eſt curetur, quod uero iam fit, prohibeatur. Sed rurſus aliæ duæ intentiones ſuboriunt, & iam factam putrediinē auferre, & eam quæ iam fit, prohibere. Hæc autem quæ iam fit, cauſam habet carentiā tranſpirationis. Nam nihil prohibet ita nominare clarioris doctrinæ gratia. Quare & ab hac duæ aliæ rurſus erunt indicationes, & quod iam retentū eſt euacuantibus, & quod futurum eſt ut retineatur, prohibentibus. Prohibebitur autē ſanantibus nobis obſtructionem, cuius & ipſius id quod iam factū eſt, ſanare oportet, quod uero futurum, prohibere. Sanabitur autem id quod factum ab aperientibus, prohibetur uero futurum, ſi humorū influxum qui obſtructionem faciunt, coērceamus. Quod igitur ultimū inuentum eſt ſecundū methodum reſolutiuā, hoc primum facere oportet in curatione. Hoc eſt uerū exemplū doctrinæ reſolutiuæ, libro undecimo cap. decimo à Galeno poſitum: & nō illud quod ſcribit Cōciliator differentia octaua ex eiuſdem libri capite primo & ſecundo ſumptū, dum ſuam probare nititur opinionem, quod uidelicet doctrina reſolutiua ſit demōſtratio Quia, & nō propter quid. Qui etiam Cōciliator eiuſdem probationis gratia citat Auerroim, locū illum Ariſtotelis ſuprà à nobis adductū in exemplum methodi reſolutiuæ ex libro ſeptimo, de prima philoſophia, exponentē his uerbis: Et quū iſte infirmus eſt modo ſanus, neceſſe eſt ut fluxus naturæ fuerit, neceſſe eſt calorem fuiſſe: & ſi calor eſt, neceſſe eſt potaſſe laxatiuū. Et hoc intendebat quum dixit, Et ſi hoc eſt iam fuit calor: et ſecundum hunc modum dicemus unum poſt aliud, id eſt, & ſic dicemus unum poſt aliud ſecundū diſſolutionem, ſcilicet incipiēdo à poſteriori, & perueniendo ad primum principiū in cognitione. Deinde dicit: Et motus qui ex hoc eſt actio, &c. id eſt, motus qui incipit ab ultimo in diſſolutione, & eſt cōpoſitio, dicitur actio procedens ad ſanitatem ita quod accidat, quod ſanitas quæ eſt extra animam ſit à ſanitate quæ eſt in anima, & intendebat quod eſſe ſanitatis quæ eſt in anima, eſt in cōpoſitione ad eſſe ſanitatis quæ eſt extra animā, & hoc eſt illud quod dicitur, quod principium operationis eſt finis cognitionis: & principiū cognitionis eſt finis operationis. Hæc quidem Auerrois, qui in aliquibus uerbis plurimā oſtendit reſolutionis à notione finis inchoantis cum reſolutione mathematica ſimilitudinē. Quem enim motū Ariſtoteles atq; Simplicius uocant actionem uel factionē, Cōmentator nominat cōpoſitionem, quaſi actio in agibilibus cōpoſitioni in mathematicis, & ſimpliciter in omnibus ſpeculabilibus proportione reſpondeat. Verū in multis ab Ariſtotele diſſidet, & ſibijpſi nō cōſentit. Nam poſtremū dictum quod eſt commune dictum, & maxime Galeni libro undecimo Artis curatiuæ, quem antea allegauimus, quod uidelicet finis cognitionis eſt principium actionis ſecūdum methodum reſolutiuā, ſicuti principiū cognitionis eſt finis operationis, hoc inquam

Reſolutiuæ doctrinæ exemplum Galeni.

Auerrois opinio.

D

omnium

A omnium & præcipue Galeni dictum uerissimũ exiſtit. Cui tamen repugnant uerba propria Cõmentatoris dicentis, quod in diſſolutione unum poſt aliud dicitur, incipiendo à poſteriori, & perueniendo ad primum principiũ in cognitione. Neque enim in methodo reſolutiua, quã Auerrois diſſolutionẽ nominat, incipientes à poſteriori, neq; ab eo peruenimus ad principium cognitionis: imò contrà, incipimus à principio cognitionis, quod eſt notio finis ſecundum Simpliciũ, donec perueniamus ad ultimũ cognitionis, quod eſt principiũ actionis. Primus autem progreſſus uocatur ab Ariſtotele cogitatio, ſiue ut habetur in græca translatione, intelligentia: Secũdus autem factio: ab Auerroi autem, ut diximus, cõpoſitio. Quia ex hoc loco Ariſtotelis libri ſeptimi de prima philoſophia, male meo iudicio apud Arabes interpretato, & prius etiam ab Auerroi cõmentatore expoſito, contrariũ elicitur ei quod uult habere pro ſua opinione adſtruenda Conciliator. Illud enim à quo incipit doctrina reſolutiua, quod ſecundũ Galenũ eſt notio finis ſiue principium cognitionis, nihil aliud eſt niſi finis mente conceptus, ut declarat Simplicius in uerbis ſuprà à nobis adductis ex expoſitione libri ſecundi Ariſtotelis de phyſica auſcultatione exemplo artis ædificatiuæ. Ipſe uero Ariſtoteles loco ſtatim antea allato ex libro ſeptimo de prima philoſophia, duobus exemplis, altero artis medicinalis cuius finis eſt ſanitas, altero artis ædificatiuæ cuius finis eſt domus, ſiue eius utilitas, ut Simplicius in allegata expoſitione declarat: Quẽ finẽ uult idem Simplicius poſſe cõſiderari tanquam natura priorem his quæ ſunt propter ipſum, ſi eodem modo omnino in mathematicis, & in his quæ à natura fiunt, debeat neceſſitas inueniri: Quam neceſſitatis ſimilitudinem uidetur Ariſtoteles in ſuis uerbis, quæ exponit Simplicius, inſinuare. Quam etiam Simplicij expoſitionem con-
B firmat Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animalium, ubi ſecundum translationem Theodori ſcribit hæc uerba: Sed quũ contrà in generatione atq; eſſentia agatur, quæ enim poſteriora ſunt generatione, hæc natura priora ſunt, & quod primum eſt natura, id ultimum eſt generatione: Nõ enim ædes laterum, aut lapidum gratia ſunt, ſed hæc gratia ædium petũtur. In eandem ſententiam ſcribit etiam Simplicius in expoſitione eorum, quæ Poſtprædicamẽta nominãtur, exponens quot modis dicatur prius atq; poſterius, ſecundum Peripateticorum opinionem. Atq; illum quoq; inter alios adducit, quo aliquid dicitur eſſe conceptu prius ſicuti finis. Sunt autem hæc eiuſdem Simplicij uerba: Illud autem quod eſt cõceptu prius, eſt ſicuti finis: quoniam præintelligimus finem ſicuti tegumentũ ante parietes & fundamenta & foſſionem. Hoc igitur ſub illa ponetur, quæ ſunt priora tẽpore. Ipſius uero ſubſiſtere poſterius eſt tempore. Subſtantia autem prius. Prima uero ſecundum ſubſtantiam quæ ſunt perfectiora, quod prioris ſignificatum non uidetur mihi prætermiſiſſe Ariſtoteles, ut Iamblichus inquit, ſed in quarto modo cõprehendiſſe, in quo honorabilius & optimum primum dicebatur. Ex his Simplicij uerbis apparet finem dupliciter conſiderari, uel quatenus in mente eſt, & ſic notio finis, ſiue conceptus finis nominatur: & hoc modo acceptus, prior eſt tempore his quæ propter finem eſſe dicuntur: uel quatenus extra animam ſubſiſtit, & ſic poſterior eſt tempore, ſed prior dignitate ac perfectione, atque etiam natura: ut uerba Ariſtotelis manifeſtant, quæ quartum modum Prioris in his quæ poſtprædicamenta uocantur, exponũtur. Sunt autem hæc: Adhuc uero melius, & honoratius prius eſſe natura uidetur. Hanc etiam duplicem finis conſiderationem tangit Auicenna ſexto libro eius operis, quod Metaphyſica inſcribitur, inquiens: Cauſa finalis non eſt cauſa inuenta extrà, ſed inuenta in intentione agentis. Quam Auicennæ
C ſententiam confirmat Alexander in expoſitione quinti libri de prima philoſophia

C ſtatim circa initia eiuſdem libri, ubi Ariſtotelem quot modis principium dicatur, exponit. Sunt autem uerba Alexandri hæc: Principium uocat ſcilicet Ariſtoteles, finis & propoſiti cognitionem. Hoc enim in agibilibus primum principiũ & cauſa ut agibile fiat. Quare quod ſcribit Cõciliator ſuprà allata differentia ex Boëtij in topicis autoritate, quod finis & effectus idem ſunt, & uterque poſterior. De fine quidem qui extra animam ſubſiſtit, & in idem coit cum effectu, illis concedemus quod ſit poſterior ſecundum tempus, licet non ſecundum eſſentiam, uel naturam. De fine autem mente concepto, qui notio finis, ſiue conceptus finis appellatur, qui eſt principium ſpeculationis, ut ait Simplicius, ſiue cognitionis, ut Auerrois loquitur, minime aſſentiemur. Hic enim illa etiã quæ ad finem extra animam ſubſiſtentem quæruntur, nedum finem ipſum quem aſſequi intendimus, tempore proculdubio antecedit, uel hoc ipſum Auerrois expoſitione cõfirmante quæ dicit ex intentione Ariſtotelis, ſanitatem quæ eſt in anima eſſe in compoſitione ad eſſe ſanitatis, quæ eſt extra animam. Hic uero modus prioritatis ſecundum tempus primus eſt atq; præcipuus iuxta Ariſtotelem in eo tractatu, quem diximus Poſtprædicamẽta nominari. Ex his omnibus uolumus eſſe cõcluſum, non poſſe Conciliatorem ex eo quod Galenus ſcribit in procœmio Artis paruæ, doctrinam reſolutiuam fieri ex notione finis: nõ poſſe inquam ſuam aſſeuerare opinionem, quod doctrina reſolutiua ſit demonſtratio. Quia quum ex eiuſdem Galeni uerbis contrarium potius colligatur, eandem ſcilicet doctrinam ex priori, non autem ex poſteriori procedere. Neque tamen Pluſquam Commentator, qui aduerſam Conciliatori tenet opinionem, quicquã ex tali cõcluſione lucratur, imò ex multis quæ ſuprà à nobis dicta ſunt de notione finis ex autoritate Simplicij liquere poteſt, quan

D tum idem Pluſquam Cõmentator à uera Galeni ſententia deuiauerit. Nam ſecundum Pluſquam Cõmentatoris expoſitionem, notio finis ſequitur reſolutionẽ: ſecundum autem Simplicium atque Galenum, ut etiam magis ac magis poſtea declarabimus, notio finis antecedit reſolutionem. Sed antequam utriuſq; opinionis tam ſcilicet Pluſquam Commentatoris, quàm etiam Conciliatoris falſitatem oſtendamus, prius eſt à nobis uera Galeni ſententia aperienda: nam ex recto, ut dici ſolet, obliquum magis apparet. Nos quidem hactenus de conceptu ſiue notione finis generalius fuimus locuti: ſi uero uelimus ad opinionem Galeni de doctrina à notione finis inchoante, explicandam propius accedere, notio finis in ea oratione Galeni, quæ ſtatim proponitur in procœmio Artis paruæ his uerbis: Tres ſunt omnes doctrinæ quæ ordini inhærent: prima quæ fit à notione finis ſecundum reſolutionem. Hoc, inquam, quod notio finis dicitur, arctius eſt accipiendum. Nam Galenus de doctrinis loquens, per notionem finis non quemlibet finem notum intelligit, quem unuſquiſq; ſibi animo proponit, & aſſequi intendit, ſed ſolum ſpecialem finem alicuius artis, uel ſcientiæ quam doctor intendit conſtituere, atq; obiter conſtituendo docere. Per doctrinam autem à notione finis incipientem, & factam ſecũdum reſolutionem, non methodum aliquam, ſiue doctrinalem modum ex illis quatuor apud ueteres celebratis, de quibus nos ab initio latiſſime ſcripſimus, idem Galenus uidetur accipere: ſed quandam aliam ſui generis doctrinam, quæ ab ordine potius quem in docendo ſeruat, quàm à modo docendi uel diuiſiuo, uel reſolutiuo, uel definitiuo, uel demonſtratiuo ſuam recipit denominationẽ. Neque enim ideo reſolutiua dicitur quia uel reſoluere doceat, uel reſolutionibus frequenter utatur, ſed quia ſequitur ordinem reſolutionis à notione finis inchoantis, ut poſtea plenius ſumus oſtenſuri. Nam prius illud oportet declarare, quomodo uelit Galenus unamquanque ſcientiam uel artem propriam habere ex ſui finis notione

Galeni uerborum expoſitio.

A notione,cõſtitutionem : Hinc enim & unà aperietur ſenſus illorum uerborũ,quæ in antiqua translatione ſcribũtur in hunc modum : Nemo tamen ante nos ſcripſit eam quæ ex notione finis incipit, ex qua omnes artes conſiſtunt ſecundum rationem. Quæ uerba male intellecta magnam dedere duarum opinionum contrariarum aſſertoribus inuicem altercandi occaſionem, utriſq; ſtudentibus, hoc omnes artes conſtituendi munus doctrinæ adſcribere demonſtratiuæ,ſed alteris demonſtrationi Propter quid,alteris demonſtrationi Quia à iunioribus philoſophis uocitatæ. Galenus in libro cui titulus eſt, Nunquid ſalubre pertineat ad artem medicinalem,uel gymnaſticam,ſiue athleticam,uolens oſtendere quo modo unaquæq; ars à ſuo fine propriam habet conſtitutionem, ſcribit hæc uerba: Manifeſtũ igitur, quod neque ex materijs oportet artes iudicare. Neque enim ſi quis alias quidem communes materias, & ut quiſpiam diceret ſecundum accidens,alias proprias & proximas unicuiq; arti ſupponens, quatenus quidem naturale eſt corpus noſtrũ, diceret eſſe ſcientiæ naturalis materiam:quatenus uero ſanabile,medicinalis: quatenus non optimo habitu præditũ, gymnaſticæ: neq; ſic aliquis ex alio quàm ex fine artes diſtingueret. Dicere enim hoc,aliquod corpus eſſe ſanabile,eſt eius qui finem cognoſcat. Neque uero ſi quis ex theorematibus artes diſtinguat ac ſeparet, aliunde potẽtia incipit quàm ex fine. Propria enim uniuſcuiuſq; artis theoremata ſunt, quæ quiſpiam cognoſcens iuuatur ad finem: nam & Grãmatica, & in arte fabrili, & in Muſica, & quauis aliarum quæcunq;, uel ipſum finem manifeſte, uel id ipſum quod melius,uel citius afferre poſſunt,propria ſunt artis. Quæcunq; uero nihil iuuant ad finis factionem,hæc propria non ſunt. Vndequaque igitur ratio iubet ad finem uenire, & per hunc artes iudicare: propter hũc enim, & per actiones *Diuidendi uia à fine.*

B uniuerſales, & per propria theoremata atque principia, ſiquidem & hæc ipſa uariantur ſecundum fines artium. Sanitas enim finis eſt,ipſa uero in calidis, frigidis, humidis ac ſiccis, in his uero & materiæ principium, & ſpeculationis principiũ circa horũ notitiam. Sed nõ eodem modo medico & naturali. Hoc ipſum uero quod non eodem modo à fine ſcientiarum cognitum fuit ac dijudicatum, & conuenienter ſemper ratio adinuenit finem, regulam atq; iudiciũ omnium quæ tractantur in artibus: Nam uniuſcuiuſq; artis cõſtitutio hinc ſumpſit initiũ. Neq; enim quiſpiam artem medicinalem conſtituere properaſſet, ſi prius ſanitatẽ non deſideraſſet: neque artem ædificandi domum,niſi domum appetiſſet: neq; textoriam, niſi ueſtem concupiſſet. Sed & quæ omnes artes inuenit, hinc ſumpſit initium. Oſtenſum autem eſt alibi,quomodo quiſpiam fine præſuppoſito,artem eius ſecundũ methodũ, id eſt,uiam quandam,atq; ordinatũ progreſſum adinueniret. Et primũ oportet in illo libro exercitari, qui uult ad unguem ea, quæ hic ſcribimus intelligentia cõprehendere. Nam manifeſte diſcet,quod ambæ medicinæ partes, ſalubris ſcilicet & curatiua, ſub eandem cadunt cõtemplationem. Hæc Galeni uerba aperte declarant quid ſit notio finis apud ipſum, ſcilicet finis artis alicuius mente conceptus ac deſideratus, & quomodo ſumpto à notione finis initio, omnes artes ſecundum methodum, id eſt uiam quandam atq; ordinatum progreſſum cõſtituuntur. Nam fine artis ſemel cõſtituto atq; propoſito inueniuntur principia ac theoremata eiuſdem artis per relationem ad finem. Vt enim Galenus inquit, finis eſt regula, & examen omnium quæ in quauis arte aut ſcientia traduntur: illa enim principia atq; theoremata artis eſſe dicuntur, quæ ad finem eius artis uel facilius uel citius aſſequendum utilia ſunt. Alioquin ſi nullum præſtarent ad finem artis uſum, nec theoremata quidem, ut ait Galenus in libro qui de optima doctrina inſcribitur, dicerentur,

C Ex eiſdem etiam Galeni uerbis nobis aperitur ſenſus illorum uerborum, quæ in procœmio Artis paruæ ſecũdum antiquam translationem græcam ita ſcribuntur: Nemo tamen ante nos ſcripſit illam ſcilicet doctrinam, quæ ex notione finis incipit, ex qua omnes artes conſiſtunt ſecundum rationem. In qua translatione nulla ambiguitas eſſe poteſt, ſi leges grammaticæ ſequimur, quæ uolunt uerbum relatiuum referre illud quod ſtatim antecedit. Nulla inquam dubitatio eſſe poteſt quin relatiuũ Qua, referat notionem finis, quæ proximior eſt, & nõ doctrinam: ut communiter omnes medici iuniores referri putarũt, unde ſemetipſos in inextricabiles difficultates iniecerunt, quærentes quæ ſit illa doctrina, ex qua omnes artes conſtituantur. Nos aũt etſi fateamur omnes artes à ſuo fine propriam habere cõſtitutionem, hoc ipſum non uno in loco, ſed pluribus Galeno teſtificante: nam & in libro qui inſcribitur de cõſtitutione artis medicinalis, clariſſima uoce pronunciat ex ueterum philoſophorum ſententia, unicuique arti fieri à ſuo fine conſtitutionem. Et in primo libro Artis curatiuæ etiam ex propria aſſeuerat omnes artes quæ ſecundum aliquam methodum, id eſt uiam atque ordinatum progreſſum conſtituuntur, notionem finis ſuæ conſtitutionis habere principium. Licet inquam nos hoc crebrum Galeni dictum uerißimum eſſe concedamus, non tamen cogimur aſſignare, quænam ſit illa doctrina ex tribus in procœmio Artis paruæ à Galeno numeratis, cuius hoc munus exiſtat, omnes artes cõſtituendi: quum non dicat Galenus inibi, doctrinã ex notione finis incipientem omnes artes conſtituere, ſed ſolũ à notione finis à qua doctrina incipit, quæ fit ſecundum reſolutionem, omnes artes cõſiſtere, ſiue propriam habere conſtitutionem: quaſi uoluerit iſti doctrinæ uel ex hoc ipſo quandam dignitatem corrogare, quod inde ſumat initiũ unde omnes

D artes atque ſcientiæ ſuam habeant conſtitutionem, etſi ipſa aliquam artem non ſolum doceat, ſed etiam inueniat atque conſtituat, quod hoc habeat ex eo unde ſumit initiũ, idem Galenus nobis ſtuduerit inſinuare. Aut fortè Galenus, quum primum dixiſſet ſe alibi, id eſt in libro de conſtitutione Artis medicinalis, ſcripſiſſe doctrinam, quæ incipit à notione finis, per uerba ſequẽtia, à qua ſcilicet notione finis omnes artes cõſiſtunt, nobis intenderit declarare non ſolum artem medicinalem, ſed omnes alias propriam habere ex ſuorum finium notione conſtitutionem. Plurimum autẽ intereſſe cenſeo an dicatur, ex doctrina à notione finis inchoare, an ex ipſa notione finis omnes artes cõſtitui. Nam de notione finis nulla poteſt eſſe controuerſia, ſi uerba Galeni quæ ex libro cui titulus eſt, Nũquid ſalubre ad artem attineat medicinalem, uel gymnaſticam, paulò ſuprà allegauimus, ſanè intelligantur. Sed nunquid illa doctrina quæ incipit à notione finis, & fit ſecundũ reſolutionem, poßit omnes artes atq; ſcientias conſtituere, atque eodem ordine quoad ipſa conſtituuntur edocere, & quo nomine hæc ipſa doctrina fuerit à ueteribus inſignita. Hæc eſt illa quæſtio quæ iuniores medicos, atque philoſophos miſerabiliter perturbauit: & quæ inter eos magnam diſcordiã, & quoddam ueluti ciuile bellum ſuſcitauit, fruſtra tamen ab ipſis ſuſceptum. Quãdoquidem Galenus, ut diximus, ſicuti alijs in locis quamplurimis, ita & in procœmio Artis paruæ, non ex doctrina aliqua ordinata, quæ reſolutiua uocetur, ſed tantum ex finis notione dixit omnes artes conſiſtere, ſiue propriam habere conſtitutionem. Sed nihil refert, inquiet aliquis, ſiue Galenus dixerit ex notione finis omnes artes conſtitui, ſiue ex methodo aliqua quæ ſemper à notione finis ſumit initiũ, qualis eſt illa quæ ab eodem Galeno lib. undecimo Artis curatiuæ, methodus reſolutiua nominatur, ſecundã quam illud quod eſt primũ in opere, eſt ultimũ in inuentione. Video enim aliquos ex his

A Galeni uerbis maxime motos, credere Hali in ſua Artis paruæ expoſitione aſſerẽti hanc eſſe illam methodum quam etiam Galenus innuit in prooemio Artis paruæ quum ait, primam fieri doctrinã ex notione finis ſecundũ reſolutionem. Quam pariter doctrinã putat Hali eſſe demonſtrationem Quia, ſicuti alterã huic oppoſitam quæ fit ſecũdum cõpoſitionem inuentorum per reſolutionem, eſſe demonſtrationem Propter quid. Atq; ideo ait idem Hali idcirco uoluiſſe Galenũ de his duabus doctrinis atq; unà de definitiua facere in prooemio Artis paruæ mentionẽ, ut nos ad diſcendã artem Dialecticæ inuitaret. Sed qualis eſſet iſta exhortatio? quãdoquidem (ſi uera ſit expoſitio Hali) tres idem Galenus nobis totius Dialectices, id eſt artis logicæ ſuſtulit partes, & unã tantũ ſcilicet demonſtratiuã nominauit. Nam definitiua de qua ipſe loquitur, diuerſa eſt ab ea quæ alijs tribus artis logicæ partibus à priſcis philoſophis annumeratur. In nullo igitur numero Galenus habuit neque ueram definitiuã, neq; diuiſiuam, neq; illam quæ proprie dicit̃ reſolutiua, quæ opponit̃ diuiſiuæ. Quas duas, ſcilicet diuiſiuam & reſolutiuã, Plato uoluit eſſe duas præcipuas Dialecticæ partes: quarũ altera docet unũ in multa partiri, altera unum in multa colligere. Quas etiã duas Plato ſentit, & in dialogo qui dicitur Phædrus, & in altero etiam qui Philebus nominatur, ad artium conſtitutionem eſſe maxime neceſſarias. Tacuit ergo Galenus, ſecundũ Hali expoſitionẽ, non ſolum Platonis, cuius alioquin magnum ſe ubiq; imitatorem oſtendit, reſolutiuam, ſed illam etiam qua mathematici utũtur, quæ ob id reſolutio mathematica nominatur, de qua nos ſuprà inter alias reſolutionum ſpecies fecimus mentionem. Si uero Hali exiſtimat, ut ſanè uidetur exiſtimare in ſua expoſitione, hãc mathematicã reſolutionem eſſe demonſtrationem, quia magno eſt in errore, & iure ob hunc à Cõciliatore reprehenditur, quod multos in barathrum ignorantiæ detruſerit, niſi quod ipſe Conciliator in idem incidit barathrum: in altera parte aſſentiens Hali, quod doctrina reſolutiua, de qua Galenus loquit̃ in prooemio Artis paruæ, ſit demonſtratio Quia. *Plato in Phædro & Philebo.*

B Hanc enim opinionẽ partim ſatis antea falſam oſtendimus, partim magis ſumus in ſequentibus oſtenſuri. Quicquid autem ſit doctrina reſolutiua, de qua recentiores medici inter ſe tantopere digladiantur, ſiue demonſtratio Quia, ſiue Propter quid, ſiue ſui generis doctrina qua unum poſt aliud quæritur quàm eſt, ubi Galenus methodum reſolutiuam nominat: harũ nulla ſeorſum poteſt omnes artes conſtituere atq; docere, unde meritò dicatur doctrina, ex qua omnes artes conſiſtant ſecundum rationem. Quod autem hæc uerba uere dici poſſint de notione finis, ſatis eſt antea ex uarijs Galeni locis declaratum. Quibus etiam illa conſonant, quæ à recentioribus philoſophis cõceduntur, à fine principali ſcientiæ & præcipue practicæ ſumi principia eiuſdem ſcientiæ, ſed idem finis eſt primum ſcientiæ ſubiectũ de quo loquitur Ariſtoteles quarto libro primæ philoſophiæ his uerbis: Vbique primi proprie eſt ſcientia ex quo illa dependent, & propter quod dicuntur. Hoc Græci autores, Scopon appellant, quaſi metam uel ſignum dicere uelint. Tranſlatum enim eſt nomen à ſagittarijs: nam ſicuti hi ſignum habẽt ante oculos ad quod intendunt ſagittas, ita doctor artis uel ſcientiæ ad finem aliquẽ reſpicit, & eius gratia illa ſcribit quæcunque ſcribit. Quamlibet artem uel ſcientiam ſuam capere à proprio fine conſtitutionem, & ab alijs diſtinctionem, ut Galenus ſentit, ueriſſimum exiſtit, nõ ſolum in ſcientijs practicis, ſed etiam ſpeculatiuis, quoniam & hæ per ſuos fines ſpecificantur, & declarantur, ut patet his Ariſtotelis libro primo primæ philoſophiæ uerbis, ubi uolens oſtendere quid ſit ſapientia, ait eam eſſe ueritatis contemplatricem. Quem locum exponens Alexander in hunc modũ ſcribit: Quum uſus fuiſſet ueritatis nomine in philoſophia, nũc quod rationabiliter ita uo *Scopos.*

C catur oſtendit. Quod enim in philoſophiæ nomine intelligat ſpeculatiuam, per ea quæ ſubinfert declarat, inquiens, ſpeculatiuæ enim finis eſt ueritas, & adhuc magis iſtius illa pars quæ de primis principijs agit, & cauſis, quę omnino à ſenſu ſunt ſeparatæ, & ſua natura entia, quam ſapientiā nominat. Quod autem prius dixerat, hoc modo probat: Cum finis philoſophiæ ſpeculatiuæ ſit ueritas, à fine autē propoſito unaquæꝙ methodus ſpecificetur & eſſentiam habeat, conuenienter à ueritate ipſa nominatur: hæc enim ipſius eſt finis. Hæc quidem Alexander. Si quis uero obijciat aliquas eſſe ſcientias ſpeculatiuas ueluti mathematicas quæ fine careāt, huic quoque obiectioni occurrit Alexander in alia expoſitione libri de prima philoſophia, de eiſdem mathematicis faciens mentionem, atꝙ ita ſcribens: Adhuc autem non omne bonū ſua natura agibile eſt, cum ſit aliud bonum agibile, aliud ſpeculabile & nō agibile, quod eſt in mathematicis: nam circa ea ueritas bonum exiſtens ipſis eſt finis. Ex quibus uerbis Alexādri idem poteſt colligi, quod etiam habetur ex libro Galeni ſuprà allegato, cui titulus eſt, Nūquid ſalubre attineat ad artem medicinalem uel gymnaſticā, differentias ſpecificas per quas ſcientię inuicem diſtinguūtur, à fine accipi. Quo fit, ut de eadem re etiam uariæ ſcientiæ cōſiderent, ſed diuerſo modo, propter ſuorum finium diuerſitatem. Vt enim inquit Ariſtoteles libro primo moraliū, Faber quidem, ac Geometer differenter rectum perquirunt, alter quātum ad opus utile eſt, alter quid ſit & quale † contemplatur, ſtudioſus enim ueritatis. Si ergo unaquæꝙ ſcientia à fine proprio ſuam habet eſſentiam quod uult Ariſtoteles ſecundum Alexandri expoſitionem, conuenienter ut Galenus ſentit, à fine noto, ſiue ſubiecto, ſecūdum formalem eius rationem, quæ à fine ſumitur, iuxta ipſum conſiderato, illa ſumuntur quæ faciunt ad eiuſdē artis conſtitutionem, & hæc ipſa per quendā modum reſolutionis inueniūtur: ſicuti etiam per reſolutionem, quam quidam recentiores ſyllogiſmum practicum uocant, fine ſemel cōſtituto, illa perquirimus quæ ad eundem finem aſſequendum ſunt neceſſaria. Non tamen propterea concedimus id quod in ſua expoſitione Hali uidetur concedere, doctrinam reſolutiuam de qua Galenus in proœmio Artis paruæ primum facit mentionem, eſſe methodū, quæ alibi à Galeno methodus reſolutiua, à neotericis autē aliquādo ſyllogiſmus practicus nominatur. Nam licet hac methodo utatur ad inuenienda illa quæ artem cōſtituunt, utitur nihilominus & alijs, ſcilicet & diuiſiua & definitiua, & demonſtratiua, tam quæ ex prioribus ꝙ quæ ex poſterioribus demonſtrat: quemadmodū diſcere licet legentibus librū de cōſtitutione artis medicinalis, in quo Galenus ſcripſit doctrinā ex notione finis inchoantē, & factam ſecundū reſolutionem, quam ob id reſolutiuā nominat. Quod etiam animaduertit nō minor penè philoſophus ꝙ medicus Vgo Senenſis, qui ut de ſeipſo fatetur in expoſitione proœmij Artis paruæ, duas quæ ſuo tempore erant celebratæ, ſicuti & noſtro quoque ſunt, ſecutus eſt de doctrina reſolutiua & compoſitiua opiniones. Mox cum ad eius manus perueniſſet liber Galeni de conſtitutione artis medicinalis, in quo Galenus doctrinā facit reſolutiuam, eaſdem opiniones pro falſis & minime Galeni ſententiæ congruentibus repudiauit. Sed licet Vgo fateatur diuiſiones, reſolutiones, definitiones, & omnis generis demonſtrationes ad eam admitti doctrinam quæ reſolutiua nominatur, non tamen cur magis reſolutiua nominetur, quàm uel diuiſiua, uel demonſtratiua, & quì differat, quìue conueniat cū alijs duabus, ſcilicet cum cōpoſitiua, definitiua, ſatis explicauit: quæ omnia impræſentiarū declarare aggrediemur. Nos doctrinam reſolutiuam nō à docendi modo, ut iuniores medici ſunt opinati, ſed ab ordine potius quem in docendo ſeruat, ſortitam hac appellationē exiſtimamus; Quanꝙ Galenus nō reſolutiuā dicat, ſed

Obiectio.

† uel lege, contēplator eſt ueritatis. Suſpicor enim uerbū deeſſe, aut dictionē Enim errore mutatam.

D

Vgo Senenſis.

A ſed factam ſecundum reſolutionẽ: unde illam medici iuniores reſolutiuam appel larunt: Sicuti enim doctrina definitiua apud Galenum dicitur, ut teſtatur etiam Pluſq; commentator, non quia definire doceat, uel quia ipſam definitionem concludat, ſeu quia ſemper definiendo procedat: ita doctrina prima reſolutiua ideo uocatur, nõ quia doceat reſoluere, uel quia reſolutionibus frequenter utatur, ſed quia in docendo ſcientiam aliquam ſeruat ordinem illorum, quæ per reſolutionem à notione finis incipientem inueniuntur: quem quidem ordinem ſeruatum à Galeno uidemus in libro De conſtitutione artis medicinalis, cuius libri doctrinam dicimus eſſe reſolutiuã: Primum enim quæ ſit finis notio declaratur, ſanitas ſcilicet: Deinde quæritur per uiam reſolutionis quæ ſint ad faciendam uel conſeruandam ſanitatem neceſſaria: & primum occurrit, quod cognitio corporũ ſanorum & ægrorum habenda eſt: Hæc igitur quo modo habeatur primo loco docetur. Quia uero corpora ſana egeat conſeruatione, ægra autem curatione, ſed maior neceſſitas urget ad corpus ægrum priſtinæ ſanitati reſtituendũ, quàm ad ſanũ conſeruandũ, ideo methodus curatiua, quæ eſt una ex principalibus partibus artis medicinalis, omnibus alijs in docendo præponitur. Sed quia hæc pars medicinæ curatiua nõ poteſt exerceri ſine altera parte eiuſdem artis, quæ pars diagnoſtica græco uocabulo nominatur: quia per ipſam ſingulos morbos, præſertim intrinſecos atq; latentes docemur cognoſcere: ideo poſt curatiuã diagnoſtica ſecundo traditur loco. Quia etiam pars altera artis medicinalis quæ prognoſtica à Græcis nominatur, non mediocrem præſtat ad curandas ægritudines utilitatem: idcirco & ipſa poſt diagnoſticam ſuo loco docetur. Atque ita omnes aliæ eiuſdem artis medicinalis partes, uel principales uel principalium conſtitutiuæ, quo ordine

Reſolutiua doctrina unde ſit ſortita appellationem.

B per reſolutionem inueniuntur, eodem etiam in libro quem diximus de conſtitutione artis medicinalis inſcripto, à Galeno traduntur. Pars uero ſanitatis conſeruatrix cum ſibi adiacentibus ob id ultimo loco docetur, ne interim ordo partium, quæ ad partem curatiuã recte exequendam perquiruntur, interrũpatur: Sed nihilominus & ipſa methodus ſanitatis conſeruatrix, ſicuti & omnes aliæ per relationem ad finem inuenitur atque docetur: nam quæcunq; in eo libro ſcribuntur, principiũ habent ſeu cauſam gratia cuius (quã Græci ſcopon appellant) ſanitatẽ. Ad harum autem omniũ partium artis medicinalis perfectam doctrinam tradendam, omnia afferuntur inſtrumenta opportuna, & diuiſiones ſcilicet, & definitiones, & demonſtrationes, tam ex prioribus quàm ex poſterioribus quicquã probantes, ſicuti materia ſubiecta, uel harum uel illarum eſt capax demonſtrationũ, quæ etiam inſtrumenta ad eaſdem partes artis medicinalis edocendas, ſub alio tamen ordine in doctrina definitiua adhibentur: Neq; enim tres doctrinæ, de quibus ſtatim in proœmio Artis paruæ Galenus facit mentionẽ, modis docendi differunt, ſicuti iuniores medici intellexerunt, ſed ordine potius: nam per doctrinã, quæ actio eſt doctoris in diſcipulum, poſſumus tam ordinem eorum quæ docentur, quàm modum ipſum doctrinalem intelligere. Sed quod Galenus his uerbis proœmij allati (Tres ſunt omnes doctrinæ) ordines potius quàm modos doctrinarum nobis inſinuauerit, declarant alia uerba, quæ ſtatim ſubiunguntur, ſcilicet ordinem habentes, uel quæ ordini inhærent, ſecundum noſtram translationem. Quod ſi Galenus illum habuiſſet intellectum, quem ex uerbis eius medici iuniores exceperunt autore Hali, ac Pluſquam commentatore, qui in hac expoſitione ſequitur Hali, quod uidelicet doctrina ordinaria ſit illa, per quam extrahitur quæſitum, uel per quam res eſſe certificatẽ, talibus enim ipſi utunẽ uocabulis, tunc Galenus ad doctrinas quas innuebat, non illa uerba (ordinem habentes) addidiſſet,

Doctrinæ nomine quid intelligatur.

C ſed potius hæc (ſcire facientes) quanq; & hæc forte fruſtra fuiſſent adiecta, quum ſit nulla doctrina quæ ſcire non faciat, qualiſcunq; ſit illa ſcientia, ſiue certiſſima, ſiue minus certa, & quodammodo coniecturalis. Quare qui per doctrinam ordinariam modum doctrinæ intelligũt, ex quo extrahitur quæſitũ, huic ſignificatui tam græca lingua in qua Galenus ſcripſit, quàm etiã noſtra repugnante, in eandem & ipſi cadunt dubitationẽ: Cur Galenus doctrinas dixerit ordinatas, uel ordinarias (ſic enim ipſi loquunt̃) quũ nulla ſit exordinata uel inordinata, id eſt quæ non certificet aliquo modo quæſitũ. Huius aũt dubitationis Pluſquã cõmentator duplicem affert ſolutionem ſcribens in hunc modum: Quum aũt Galenus dixit tres ſunt doctrinæ ordinariæ, ſupponere uidetur aliquas eſſe inordinarias: aut fortaſſe dixit tres ſunt doctrinæ ordinariæ, ad ſimilitudinẽ eius quod dicitur ſpondiles dorſi: non enim hoc dicitur quia alibi ſint ſpondiles q̃ in dorſo, ſed modus hic loquendi potius innuit quod dorſo ſunt proprie. Similiter ibi fortaſſe nõ dicitur quod tres ſint doctrinæ ordinariæ, id eſt aliæ quædam ſint inordinariæ: ſed quia doctrinis proprium eſt ordinẽ habere in hac prima ſolutione, Pluſquã commentator nõ uidetur meminiſſe Galenũ fuiſſe medicum atq; philoſophũ, nõ aliquem è numero poëtarũ, quos decent figuratæ locutiones, ut quũ dicunt ſydera cœli, quũ tamen ſydera nullibi ſint præterquã in cœlo. Nam præter eandẽ figurã quæ Pleonaſmos nominatur, putat Galenũ uel alterũ medicum minime barbarũ aliquando dicere ſpondiles dorſi, quũ tamen in nulla alia parte corporis præterquam in dorſo ſpondili, id eſt uertebræ, quas ipſe ſpondiles corrupto uocabulo nominat, ſint. Simili errore uel aliquanto maiore paulò poſt in eodem proœmio Artis paruæ Pluſquã cõmentator ait Galenũ uerba illa de ſuis libris quibus expedit uti ad tres doctrinas, per figurã hypallagen protuliſſe, ut ſit ſenſus, ad quos expedit uti tribus doctrinis.

Spondili dorſi.

D Ex qua expoſitione Pluſquã cõmentatoris, licet nobis cõiectari, ipſum quidem forte fuiſſe uel medicum uel philoſophũ egregium, paruam tamen habuiſſe bonarũ literarũ eruditionẽ, ut qui neſciret figuram hypallagen à grãmaticis dictam, neq; oratoribus nedum medicis atq; philoſophis licitam, ſed ſolum poëtis eſſe conceſſam, qui cogente metri neceſſitate quandoq; dicunt dare claſſibus auſtros, id eſt dare claſſes auſtris. Sed obſecro illos qui barbaram uel medicinam uel philoſophiam profitentur, ne tantam credant affuiſſe Galeno uiro in ſua lingua diſertiſſimo loquendi imperitiam, quod ordinariũ pro ſcientifico dixerit, & quod in ſuis ſermonibus quos de medicina ſcripſit, adeò frequenter figuris utatur, quibus etiam oratores tam Græci quàm Latini cauent, quum præſertim poſſimus eoſdem Galeni ſermones ſine ulla figura conuenienter exponere. Nam ſpondilos dorſi Galenus dicit, non per figuram Pleonaſmũ, ſed ad oſtendendam differentiam inter hos, & ſeptem ſpondilos colli, & alios quinq; qui ad lumbos attinent: Sunt enim omnes ſpondili, id eſt uertebræ numero uigintiquatuor, ſeptem colli, duodecim dorſi, quod aliquãdo Galenus noton ideſt dorſum, aliquando metaphrenon, id eſt poſt precordia nominat, & reliquæ quinq; ad lumbos ut diximus, attinẽtes. Quomodo aũt intelligant̃ illa alia uerba proœmij, quibus expedit uti ad tres doctrinas, recte ut iacent ſine aliqua figuratione in ſequentibus declarabimus. Alterã affert ſupradictæ dubitationis ſolutionem Pluſquã cõmentator, his uerbis: Aut re uera ſupponendo aliquas inordinarias, uocat omne id quo quoquomodo aliquid certificatur eſſe doctrinam, ut topicam inductionem, & exemplum, & diuiſionẽ, & deſcriptionem, in quibus ſine dubio nõ attenditur ordo, quũ certificent rem per ea quæ ſunt extranea à re ipſa: nec ſunt ueriſſimæ doctrinæ, quia nõ extrahitur per ipſas quæſitũ ex neceſſitate.

Vertebrarum in corpore numerus.

Hæc

A Hæc ſolutio illam quam antea notaui barbariem præ ſe fert: quia uult per ordina-
rium intelligi id quod rem per propria & non extranea certificat. Excludit etiã do
ctrinã diuiſiuam à numero doctrinarũ uerarum, quo nihil poteſt eſſe Galeno, qui
Platonicus fuit, cõtrarium magis. Sed de hoc poſtea latius diſſeremus, quum illo-
rum opiniones qui falſis falſa ſunt coacti defendere, refellemus. Excludit etiam to
picam inductionem & exemplum, quas Ariſtoteles in principio librorum poſte-
riorum reſolutoriorum pro ueris doctrinis computat: alioquin non ex his quoq; *Alius error*
ſicuti ex ſcientijs mathematicis traheretur argumentum, quod omnis doctrina & *Pluſquã com*
diſciplina intellectiua ex præcedenti fiat cognitione: neq; enim ad rationem uere *mentatoris.*
uel uerißimæ doctrinæ exigitur, ut omnia ex neceßitate probet, alioquin neque
Grammatica, neq; ſcientia moralis, imò neque medicinalis eſſent ueræ doctrinæ,
quoniam Grammatica non rationibus, ſed ſolis conſtat autoritatibus: Moralis au
tem Ariſtotele teſte in lib. primo moraliũ, circa iuſta & honeſta uerſatur: quæ tan
tam uarietatẽ habent, ut lege duntaxat, non autem natura cõſtare uideantur. Qui
etiam Ariſtoteles in eodem libro poſtea cõcedit, in materia morali nullam eſſe cer
titudinem, ſicuti neq; in ſanis, adeò quod ſecundum ipſum neq; philoſophia mora
lis, neq; ſcientia medicinalis quæ tractat de ſanis, non habent omnino neceſſarias
cõcluſiones, ſiue in uniuerſum, ſiue particulatim: ut etiam Ariſtoteles apertiſſime
oſtendit uerba illa ſubiungens: Quumq; hoc habeat uniuerſum genus, multo ma
gis in ſingulis eſſe eſt exiſtimandum. Galenus quoq; in definitione quæ dicit: Me
dicina eſt ſcientia, Scientiæ nomẽ cõmunius inquit, audiri oportere: Innuens per
hæc uerba, medicinam nõ eſſe certæ & exquiſitæ ueritatis ſcientiã, lato tamen uo-
cabulo ſcientiam nominari. Secũda ergo ſolutio Pluſquam commentatoris in du-
B bitatione antea facta, nõ modo Platoni & Ariſtoteli, uerum ipſi quoq; Galeno re
pugnat, de cuius opinione diſputatur. Secũdum uero noſtram expoſitionem, qui
per tres doctrinas ordinẽ habentes, intelligimus tres ordines doctrinarũ, facilimũ
eſt ſoluere eandem dubitationem. Idcirco enim dicimus Galenum doctrinæ uoca
bulo adiecisſe ordinatæ, ſiue ordinem habentes, quoniã ſunt aliquæ etiam exordi-
natæ, ſiue carẽtes ordine uniuerſali, qualis eſt doctrina aphoriſtica, & quales mul-
tas alias poſſumus imaginari, quæ licet ſuas concluſiones ex neceßitate demon-
ſtrent, non tamen eundem ordinem ſeruant in una aliqua tota ſcientia tradenda.
Quem duplicem ordinem, ſcilicet uniuerſalem ſeu generalem, & particularem,
etiam notauit Iacobus in quinto notabili ſuæ quæſtionis, de tribus doctrinis ordi-
narijs. Verum ipſe aliter ordinem, & doctrinam ordinariam capit. Eſt enim doctri
na proprie ordinaria ſecundum ipſum, quæ inter ſuas partes generalem, eſſentia-
lemq; continet ordinem: atq; ideo doctrina definitiua ſecundum ipſum eſt doctri-
na ordinaria, quia inter definitionem & definitum eſt ordo huiuſmodi eſſentialis
ac generalis. Similiter doctrina reſolutiua ac compoſitiua ideo ſunt doctrinæ ordi
nariæ, quia inter cauſam & effectum, uel contrà, eſt ordo dictus. Verum hic mo-
dus definiendi doctrinam ordinariam, uideri facit doctrinam definitiuam eſſe ma-
gis ordinariã, atq; perfectiorem doctrina reſolutiua, quum eſſentialior ſit ordo in-
ter definitionem & definitũ, quàm inter effectũ & cauſam, quod ſcilicet doctrinã
definitiuã eſſe reſolutiua digniorẽ neq; Galenus uult, neq; Iacobus opinat̃. Tres
ergo doctrinæ ordinatæ apud Galenum, nõ modis docendi differunt, ſed ordine
potius: neq; ordine tali qualem Iacobus, Conciliator, & Pluſquã cõmentator exi-
ſtimarũt, ſed qualem nos ex Galeni ſententia ſuprà declarauimus, & magis etiam *Tres doctrinæ*
in proceſſu noſtræ diſputationis oſtendemus. Quod autem tres doctrinæ ordina- *ordines nõ eſſe*
tæ non ſint docendi modi, tali argumento colligitur. Doctrinæ ordinariæ ſiue or- *docẽdi modos.*

C dines doctrinarum ſecundũ Galenum ſunt tantum tres. Modi autem doctrinales iuxta antiquos philoſophos ſunt plures quàm tres, ad minimũ quatuor. Ergo modi doctrinales non ſunt doctrinæ ordinatæ, de quibus Galenus loquitur. Ordines autem ſub quibus unaquæq; ſcientia doceri poteſt, eſſe tantũmodo tres ita probatur: Scientia quæ docetur, aut eodem ordine docetur quo inuenitur, & primum in mente conſtituitur, & hic ordo docendi uocatur reſolutorius: uel ordine cõuerſo, & hic ordo uocatur cõpoſitorius: Vt ſi quis uolens docere artem conſtituendæ domus, primum doceret qua forma, & qua materia tectum ſit conſtruendum: ſecundo loco quomodo parietes ſint erigendi, tertio loco ut ſint iacienda fundamenta, ultimo loco qualiter terra excauanda: Hic ordinem docendi ſeruaret reſolutoriũ, qui à notione finis incipit. Tegumentum enim & defenſaculum à frigoribus & imbribus eſt finis, quem ſibi proponit qui domum uult cõſtruere. Si uero cõtrarium ſeruaret ordinem, & primũ doceret quomodo terra effodienda, ſecũdo loco ut iacienda fundamẽta, tertio quomodo parietes attollendi, ultimo loco qua forma, & qua materia tectum ſit fabricandũ: talis ordo diceretur cõpoſitorius, qui ordo congruit ordini quo fit domus: ſicut primus reſolutorius eſt idem cum ordine quo ratio faciendę domus inuenitur. Si quis uero definiat ſcientiã quam intendit docere, & in docendo ſequat̃ ordinẽ partiũ definitionis, hic doctrinã facit definitiuã, quam ſe facturũ promittit Galenus in proœmio Artis paruæ. Quare recte dixit Pluſq; Cõmentator, huius doctrinæ ordinem pendere ex ordine partiũ definitionis. Sed cur nõ dixit etiam doctrinã reſolutiuam pendere ex ordine reſolutionis, & cõpoſitiuam ex ordine cõpoſitionis eorũ quæ per reſolutionem fuiſſent inuenta, ut par ratio ſeruaret̃ in tribus doctrinis ſuarũ denominationũ. Duorũ quidem ordinum

D doctrinarũ, primi ſcilicet & tertij, habemus exempla apud Galenũ manifeſta: reſolutiui quidem in libro de conſtitutione artis medicinalis, definitiui autem in Arte parua. In his enim duobus libris ſeorſum ſub duobus etiã ordinibus, ſeparatim totam Galenus docuit artem medicinalem, ſummatim tamen & per capita tantum, ueluti & ipſe Galenus in multis horũ librorũ locis profitet̃, remittens nos ad alios libros in quibus earũdem rerum doctrina traditur copioſior. Quanq; talem ſummariam ſcilicet & per capita tantum cõpendioſam totam artem docentem, medicinalem nõ poſſe eſſe doctrinã illam quæ reſolutiua uocatur, putet Pluſq; Cõmentator, multa ſuper hoc contra Halim diſputans, quoniã neſciuit idem Pluſquã Commentator ordinẽ à modo ita in doctrina reſolutiua ſicuti in definitiua diſtinguere: uidetur enim putaſſe doctrinæ nomẽ tam apud Galenum, q; apud Ariſtot. æquiuoce dici. Sed quis putauerit tam accuratæ uiros eruditionis, ſuos uoluiſſe libros ſtatim à propoſitione ambigua, in qua nomen poneretur æquiuocũ, exordiri: Ariſtoteles quidẽ ubi uult docere ſcientiã demonſtrationis, in qua fugiẽdas eſſe omnino æquiuocationes cenſet Auerrois cõmentator: Galenus uero ubi docere intendit per modũ cõpendij totam artem medicinalem, in qua tanto plus fugiendæ ſunt ambiguæ orationes, quanto in ea maiori periculo quàm in quacunq; alia arte peccatur. Hunc autem errorẽ adſcribi à Pluſq; Cõmentatore Ariſtoteli in doctrinæ uocabulo, etiã ſuprà monſtrauimus, ubi idem Pluſquã Cõmentator ſyllogiſmũ, inductionem, & exemplum, à numero eximit doctrinarũ uerarũ, quas tamen Ariſtoteles ueras putat eſſe doctrinas, per eas probans omnem doctrinã & diſciplinã intellectiuã ex præcedenti fieri cognitione. Quod ſi doctrinas non ueras ſumeret in exemplũ, futilis eſſet & uana probatio, & nequaquam tanto digna philoſopho. Quod autem in eũdem rurſus errorem trahat Galenũ pluſq; Cõmentator, patet ex eo quod uult doctrinæ nomen de tribus doctrinis æquiuoce dici: quoniã quũ de defi=

A de definitiua dicitur, ordinem tantũ docendi totam ſcientiã, uel capitũ totius ſcientiæ numerationem uideatur ſignificare: quũ de alijs duabus, modos demonſtrandi uel ex prioribus ut in reſolutiua, uel ex poſterioribus ut in cõpoſitiua. Hæc enim ſunt uerba Pluſq; Cõmentatoris rationem afferẽtis, ob quam Ariſtoteles nullam de genere doctrinæ definitiuæ, de qua Galenus loquit̃ in procemio Artis paruæ, fecerit mentionẽ, & de hoc genere doctrinæ Ariſtotelem nequaquã mentionem feciſſe uidetur, eo quod hoc genus doctrinæ non uidetur aliquod ignotum per notum declarare, ſicuti ex concluſione. Vnde nec eo utimur ad particularia quæſita ſcientiæ declaranda ſicuti alijs duobus, ſed eo utimur ad tradendum ſcientiã totam ſub uno ordine ſimul, imò ad numerãda capita ſcientiæ generalia, ut habeatur per id aliqua memoria ſcientię totius. Nam habitis capitibus uniuerſalibus, facilem habet homo progreſſum ad particularia capitula, facilemq; memoriã eorundem. Et propter hoc ſubtiliter inſpiciendo poteſt dici, quod utimur eo ad memorandũ & nõ ad docendũ, uel diſcendũ: ex quo nec rationabiliter uiſum eſt eſſe genus doctrinæ. In his uerbis Pluſq; Cõmentator manifeſtũ ſe facit, quod putet doctrinã definitiuam, quam Galenus facit in Arte parua, pro quadã ordinatione potius, & capitũ accipi numeratione, q̃ pro modo doctrinali, imò neq; eſſe genus doctrinæ: ſiquidẽ rationabiliter inquit Ariſtotelem illud ſilentio prætermiſiſſe. Nos uero ita Pluſq; Cõmentatorem coarguemus: Si rationabiliter Ariſtoteles doctrinam definitiuam de qua Galenus loquitur, ipſe reticuit, ut quæ doctrina nõ ſit, irrationabiliter illam Galenus alijs duabus doctrinis annumerat. Sed rationabiliter illam Galenus habet in numero doctrinarum, ergo fuit irrationabiliter ab Ariſtotele prætermiſſa. Nónne ad has anguſtias redigitur Pluſquam Cõmentator, ut ipſi ſit neceſſariũ uel

Ex definitione ſingula facile nos aſſequi memoria.

B principem philoſophorũ, uel regem medicorũ coarguere irrationabilitatis? Nos uero hos laqueos faciliter euitamus, qui uolumus doctrinã reſolutiuam, cõpoſitiuam, & definitiuã æqualiter eſſe doctrinas, & quà doctrinæ ſunt, nihil aut parum inuicem diſtare: ſed quatenus altera reſolutiua, altera cõpoſitiua, tertia uero definitiua nominat̃, eatenus eſſe differentes. Et ſic nõ uarios modos doctrinarũ, ſed ordines potius apud Galenũ ſignificare: & oſtẽdere poſſumus, ubi Ariſtoteles uel inueniendo, uel in docendo ijſdem tribus utatur ordinibus, quos Galenus tres doctrinas ordinatas appellat. Ariſtotelẽ quidẽ uſum fuiſſe ordine reſolutiuo in arte logica inuenienda declarãt uerba Simplicij ſuprà à nobis recitata, in quibus idem Simplicius uſum libri prędicamentorũ atq; ordinem ad alios libros Ariſtotelis de arte logica æditos, nititur declarare: nam & reſolutionem nominatim exprimit inquiens, reſolutionẽ ad ſimplices uoces terminari. Declarant aũt & ordinem cõpoſitiuum uerba ſequentia, quæ dicũt illum qui uult facere demonſtrationẽ, à ſimplicibus uocibus debere inchoare: quoniam à ſimplicioribus ad cõpoſitiora procedimus. Nam poſt ſimplices uoces quid nomẽ, & quid ſit uerbũ addiſcimus. Deinde quid affirmatio, quid negatio, & quæ horũ differẽtiæ. Deinde quid terminus, quid propoſitio, quid ſyllogiſmus, & quæ ſyllogiſmorũ ſpecies, & quot in ſingulis figuris, & ſic in demonſtrationẽ deſinimus. Hunc aũt ordinẽ contrariũ eſſe reſolutiuo, ipſa euidentia demonſtrat, & Simplicius ipſe per illa uerba etiã ſuprà allegata declarat, quæ dicunt ſpeculationem & actionẽ aduerſum iter tenere. Quoniã ſpeculatio à fine incipiens, uia progredit̃ ad principiũ: actio autẽ à principio ad finẽ pergit, ſicuti in domo. Hæc enim uerba Simplicij nihil aliud innuunt niſi reſolutionẽ incipere à notione finis, quæ eſt ſpeculationis principiũ, & terminari ad principiũ actionis, quod eſt finis ſpeculationis. Motus autem qui hinc incipit, tum actio, tum etiam cõpoſitio nominat̃, ut etiam ſuprà docuimus, autoritate Ariſtotelis & Auer

Speculatio à fine uerſus principiũ tẽdit, contrà actio.

C rois Cōmentatoris libro vij.de prima philoſophia . Illud autē ſciri oportet,ordinē
docendi reſolutiuũ maxime artibus,quæ factiuæ uocant̃, congruere,quemadmo
dum in arte ædificatiua ſuprà monſtrauimus.Quæ eodē ordine doceri poteſt quo
etiam inuenit̃:quod nō cōtingit in ſpeculatiuis, quæ ordine quidē reſolutorio in-
ueniuntur,& ob hoc dicũtur & ipſæ habere à notione finis cōſtitutionem : ordine
autem cōpoſitiuo docētur,ut in Geometria & Arithmetica,& demũ in Logica,ut
Simplicius loco ſuprà allato declarat.Reliquũ eſt ut oſtendamus Ariſtotelē uſum
fuiſſe in ſuis de philoſophia libris etiã ordine definitiuo , eodemq́ docendi cauſa:
quãuis uideat̃ Pluſq́ Cōmentatori doctrina definitiua ſolum ad memoriã,non au
tem ad diſcendũ cōferre,atq́ ideo omnino fuiſſe ab Ariſtot.prætermiſſa. Hic ipſe
philoſophus libro ſecũdo de naturali auſcultatione, uolens quid ſit natura declara
Naturæ deſinitio. re,hanc ita definit:Natura eſt principiũ motus,& quietis.Et poſtea lib.tertio,quid
ſit motus oſtendit:& quia motus non poteſt eſſe niſi in loco,& in tempore,ideo in
quarto ſubiũgit de utroq́ diligentem tractationē. Sic in Nicomachijs moralibus,
quum in primo uolumine eius libri felicitatē definiſſet,quod eſt operatio ſecundũ
uirtutē,mox in ſequētibus de humanis operationibus,quæ fiunt ſecundũ electio-
nem,exactam doctrinã tradidit. Quæ quatenus explanat partes definitionis,& ſe-
cundum illarũ procedit ordinē,poteſt definitiua nominari, licet nō ſit ordo gene-
ralis in ea,ſub quo tota ſcientia doceatur,quia neq́ eiuſdē ſcientiæ prius aſſumpta
eſt definitio,ſed quarundam rerum tantũmodo de quibus in ſcientia tractat̃.Patet
ergo hoc doctrinæ genus nō omni ex parte latuiſſe Ariſtotelē , alioquin eo uarijs
in locis nō eſſet uſus . Liquet etiam doctrinã definitiuã non eſſe ordinem merum,
alioquin male à Galeno doctrina diceret̃,& fruſtra etiam Galenus ipſam ad totam
D artem medicinalem, per modũ cōpendij edocendam facilioris doctrinæ gratia ele
giſſet:Nam, quod Galenus in Arte parua nō ſolũ memoriæ ſtudeat,ſed doctrinæ
magis,illud poteſt eſſe argumento,quod idem Galenus ubicũq́ de hoc libro me-
minit,quē nos Artem paruã uocamus, ipſe artem medicinalē appellat, quaſi in eo
tota ſcientia medicinalis ſub quodam tamen cōpendio doceatur.Neq́ ob id quod
hæc eadē doctrina definitiua & nō demonſtratiua nominat̃, putandũ eſt ipſam ca
rere omni genere demonſtrationũ , propter quam carentiã nec proprie doctrina
dici mereatur:ob quã etiã cauſam fuerit,ut Pluſq́ Cōmentator exiſtimat, ab Ari-
ſtotele repudiata.Nam & demonſtrationē Quia,& Propter quid,uenire in uſum
doctrinæ definitiuæ,coactus eſt ipſe ueritate impellente tandē fateri . Idem Pluſq́
Cōmentator,qui libro tertio,Cōmentario ſexageſimoſexto,ſcribit hæc uerba:Et
eſt hic attentione dignũ , quod doctrina huius libri dicit̃ definitiua per cōparatio-
nem, ad explanationē definitionis præpoſitæ de medicina in principio libri:ad hu
ius enim explanationē totus liber ordinatur:ſed nihilominus propter hoc apud ta
lem explanationem alicuius partiũ definitionis accidit uti & reſolutiua, & cōpoſiti
ua. His enim duabus maxime utimur ad particularia problemata ſciētiæ declaran
da,ſicuti incipientes dicebamus:Definitiua uero maxime ad totius ſcientiæ cōpen
diationem . Hoc ipſum quod dicit eſſe attentione dignũ, Pluſquã Cōmentator ait
per alia uerba nō eſſe negandũ. Cōciliator,qui & ipſe Differentia octaua in hunc
modum ſcribit : Sed neq́ negandũ eſt,quin ſæpe in ſcientia una doctrinarũ poſſit
cadere in cauſa doctrinę aliarũ ordinariarũ,& inordinariarũ,ſicuti apparet per Ga
lenum utentem in Techni doctrina definitiua , & tamē utitur impropriè doctrina
ordinaria cum nititur probare hoc principiũ : Omnis cura fit per cōtrarium indu-
ctione ac ſyllogiſmo . Hæc quidem duo uiri præcipua inter alios,qui de tribus do
ctrinis ſcripſere,autoritate, qui mirum in modũ noſtræ opinioni ſuffragantur,qui
uolumus

A uolumus treis doctrinas apud Galenũ nõ modis docendi, ſed ordinibus eſſe diffe
rentes. Vnde mirandũ eſt ipſos qui cõtrariam ſequũtur opinionẽ,& tres doctrinas
tres eſſe docendi modos arbitrant̃,poſtmodũ eoſdẽ modos reſolutiuę ac definitiuę
promiſcue aſſignare. Atqui audire potuerũt Galenũ in prooemio Artis paruæ am
bas doctrinas manifeſte ſeparantẽ his uerbis:Sed hanc quidẽ,ſcilicet doctrinã reſo
lutiuã,alibi ſcripſimus:hic uero definitiuam faciemus, atq; inſuper alterã alteri me-
thodo,& dignitate pręferentẽ.Quod fieri nõ poſſet,ſi nihil aliud eſſent ipſæ doctri
næ q̃ modi doctrinales, & tamen eiſdem modis doctrinalibus uterent̃:tunc enim
eadẽ doctrina ipſa ſeipſam ſuperaret,& nõ alterã à ſe diuerſam . Sed accidit,inquit
Pluſq; Cõmentator,doctrinæ definitiuæ uti reſolutiua.Impropriũ etiam uſum eſſe
ait Cõciliator, doctrinæ reſolutiuæ in doctrina definitiua:Nam & ipſi uiſi ſunt ani-
maduertere obiectionẽ,quę fieri poteſt cõtra illam quã faciũt doctrinarũ non parũ
differentiũ confuſionẽ.Cui obiectioni uoluerũt per uerba iam dicta ſatisfacere,ſed
hæc nihil excuſant.Quod enim accidit aut impropriũ eſt in aliqua doctrina, rariſſi
mum eſſe debet. Vſus aũt demonſtrationis tum Quia,tum Propter quid,in doctri
na definitiua nõ ſolũ in duobus locis quos notauere & Pluſquam Cõmentator, &
Cõciliator,ſed in pluribus alijs ſi diligenter inſpiciatur inueniet̃,quos ego uitandæ
prolixitatis gratia in mediũ adducere prætermitto:quũ præſertim ipſe Galenus te-
ſtetur in prooemio Artis paruæ, ea quæ ſcripturus eſt in eo libro,in quo proculdu
bio doctrinã facit definitiuã,eſſe quaſdã ueluti concluſiones illorũ, quæ in alijs ſuis
libris latinis demonſtrauit.Signanter aũt Galenus loquit̃,neq; enim dicit eſſe ſim-
pliciter cõcluſiones,ſed ueluti cõcluſiones.Quod aũt eſt ueluti tale,nõ eſt omnino
tale.Si uero eſſent tantũmodo cõcluſiones,Pluſq; Cõmentator,& Conciliator,qui
B quantũ ad hoc uident̃ eſſe cõcordes ,forte aliquid dicerẽt, dicẽtes doctrinã definiti
uam nõ eſſe propriã doctrinã,quia in ea ſyllogiſtice,uel (ut eorũ utar uerbis) nihil
ignotũ per notum probaret̃:& ideo non ad docendũ,ſeu diſcendũ, ſed tantũ foret
ad memoriã opportuna. Verũ quod doctrina definitiua aliquid reſolutiue probe-
tur:exẽpli gratia, nõ eſſe faciendã euacuationẽ partis per ſcarificationẽ,ſeu ut utar
uerbo Pluſq; Cõmentatoris, cõmentatione ſexageſimaſexta antea à nobis allega-
ta, cõcedit quod etiã contraria cõtrarijs curent̃:probari à Galeno,& ſyllogiſmo,&
inductione in eadẽ doctrina,Cõciliator non inficiat̃.Sed neq; ambo poſſunt nega
re,quin oſſa fracta non poſſe propter eorũ duritiem in grandiori ætate conſolidari
etiã inibi demonſtret̃,ut taceam alia,quæ ſimili modo probant̃,& breuitatis cauſa,
ut nuper dixi,à me prætereũtur.Quod uero inquit Pluſquam Cõmentator eadẽ li
bri tertij cõmentatione ſexageſimaſexta, nos maxime uti doctrina definitiua (tali
enim ipſe utitur uerbo) totius ſcientiæ, falſum eſſe ſuprà monſtrauimus. Sed nunc
quoq; repetimus, non eſſe propriũ doctrinæ definitiuæ per capita tantũ,& quaſdã
ueluti concluſiones cõpendioſam facere traditionẽ,imò hoc eſt ipſi cum reſolutiua
cõmune, ut patere poteſt legenti librũ Galeni de cõſtitutione artis medicinalis, in
quo Galenus fatetur ſe ſummas tantũ,& generales regulas pertractare : & ſæpe le
ctorem remittit ad uberiorẽ earũdem rerũ quæ habentur in alijs libris ſuis, tracta-
tionem : quod etiã facit,ut diximus, in Arte parua. Quare ſi propter breuitatẽ de-
monſtrationũ doctrina definititiua nõ eſt uera doctrina,non erit & reſolutiua.Nos
autẽ putamus ambas eſſe doctrinas : ab alio aũt habere quod doctrinæ ſint, ab alio
uero quod altera reſolutiua, altera definitiua dicatur . Nam à demonſtrandi modis
qui in utraq; idem ſunt,ambæ doctrinæ dicunt̃:à uario autẽ ordine,qui in tota me-
dicinali ſcientia docenda ſeruatur, hæc definitiua,illa reſolutiua nominat̃ . Eoſdem
eſſe in duabus doctrinis docendi modos,tum ex pluribus alijs,ut dictũ eſt,diſcere

C licet, tum ex illo ipſo principio cuius meminit Cõciliator differentia octaua, quod
æque per ſyllogiſmũ & inductionẽ in libro de cõſtitutione artis medicinalis à Gale
no probatur, ſicuti & in Arte parua. Quin ſi loca cõtuleris, nõ modo rationes ſimi-
les, ſed eadem propè uerba perpendes. Et ſicuti in uno libro omnes partes ſcientiæ
medicinalis ſub quodã cõpendio docentˀ, ita & in altero: ordine tantũ, ut ſæpe dixi
mus, uariato. Vnde nõ abſq; ratione Galenus alterũ librũ inſcripſit de cõſtitutione
artis medicinalis, alterũ de arte medicinali: quoniã in hoc artem tantũ docet medici
nalem ſub ordine definitiuo. In illo uero cõſtituit, & cõſtituendo docet ſub ordine
reſolutiuo. Verũ ad hæc quiſpiã poſſet obijcere, certũ quidẽ eſſe quod in libro qui
Ars medicinalis à Galeno, à nobis aũt Ars parua nominatˀ, doctrina ſit definitiua:
ſed nõ ita cõſtare id, quod ueluti pro certo atq; indubitato accipit Vgo Senenſis in
libro conſtitutionis artis medicinalis, doctrinã fieri reſolutiuã. Age igiˀ hoc ipſum
nõ alterius ꝗ ipſius Galeni teſtimonio probemus, licet fortè ſatis & antea probaue
rimus quum ordinẽ doctrinæ reſolutiuæ, qui in eodẽ libro à Galeno ſeruatˀ, conati
fuimus declarare. Nunc tamen idem ex prooemio Artis paruæ demonſtremus, in
quo ſcribũtur hæc uerba ſecundũ ueterem tranſlationẽ quæ in uſu habetur, quam
potius quàm noſtram ubi nõ ſit error, allegamus, ne uideamur noſtris probationi-
bus quaſdam ueluti ſuppetias ex proprijs uerbis corrogare: Verba inquam anti-
quæ tranſlationis hæc ſunt: *Nullus tamen ante nos ſcripſit illam, quæ ex notione fi
nis incipit,* ex qua omnes artes cõſiſtunt ſecundũ rationem, ſed illam quidem alibi
pertrãſiuimus. Hoc uerbũ Alibi exponit Pluſq; Cõmentator, id eſt in uarijs libris
ſuis. Sed quod Galenus per Alibi, non uarios libros ſuos intellexerit de medicina
æditos, ſed unum tantũ qui de cõſtitutione artis medicinalis inſcribiˀ, ex ipſo Gale
D no probatur, qui circa finem Artis paruæ, ubi omniũ librorũ ſuorum numerũ ordi
nemq; receſet, de hoc ipſo libro facit mentionẽ, et de eo ait ſe antea, ſcilicet in prooe
mio dixiſſe, ita enim ſcribit: Dictũ quidem & antea eſt, quod eſt unus alius liber in
quo de cõſtitutione artis medicinalis tractauimus. Nuſq; aũt Galenus in tota Arte
parua inuenitur de illo libro quicq; dixiſſe niſi in prooemio: in quo licet nominatim
nõ exprimat librũ de cõſtitutione artis medicinalis, per alia tamẽ uerba eum nobis
dedit intelligendũ, quum dixit, ſe doctrinã ex notione finis incipientẽ alibi ſcripſiſ-
ſe: In eo enim libro quid ſit notio finis nobis euidẽter oſtendit: & quomodo ex illo
quiſpiã promotus poſſet artem medicinalẽ ſecundũ quãdam uiam & progreſſum
cõſtituere, ſecundũ quem & aliæ artes ex ſuorũ finium notione primũ inueniũtur,
ac cõſtituuntur. Verba aũt Galeni illud quod diximus declarantis, hæc ſunt: Quã
igitur in priore libro didiciſti methodũ in huiuſmodi artibus, tempus eſt transfer-
re ad illam quã intendis cõſtituere: idem & hic ſermoni initiũ facies quod in omni-
bus illis poſuiſti ſcilicet notionẽ finis, quam unde adepti ſumus iam tempus eſt ex-
plicare. Primũ eſt facta cognitio de nobis quod ſani, & de alijs pariter hominibus.
Secundũ poſt hanc etiã de ægrotantibus, unde & nos coepit deſideriũ bene ualen
di & cõſtituendi artem, quæ bonam ualetudinẽ ſeu ſanitatem efficiat. Ex his Gale-
ni uerbis duo colligere poſſumus, & quod liber de conſtitutione artis medicinalis
ſit ille in quo Galenus teſtatur in prooemio Artis paruæ ſe ſcripſiſſe doctrinam ex
notione finis incipiẽtem, ſcilicet ex ſanitate in nobis cognita & deſiderata: & quod
non recte duarum quæ adhuc celebrãtur antiſtites opinionum Galeni ſenſum de
notione finis interpretentur: quorũ alter per notionem finis intelligit ultimam cau
ſam quæ per reſolutionẽ inuenitur, alter effectũ quẽlibet qui ſua cauſa notior exi-
ſtat: quum tamẽ Galenus, quemadmodũ ex hoc loco & multis alijs ſuprà à nobis
adductis cognoſci poteſt, per notionem finis intelligat finem notũ eius ſcientiæ uel

artis

A artis quam conſtituere intendimus, atq; obiter conſtituendo docere: Sicuti in arte medicinali finis eſt ſanitas, cuius deſiderio & amore quiſpiã permotus, artem medicinalem ſanitatis cõſeruatricem atq; effectricẽ cõſtituit: & dum eius cõſtituendæ tradit rationem, ſimul eiuſdem artis affert diſciplinam. Quia uero ſuprà diximus treis doctrinas de quibus in procœmio Artis paruæ Galenus loquit̃, uarijs differre ordinibus potius quàm modis, altera dubitatio ſuboritur, quia hoc nõ uidetur cohærere his, quæ à Galeno in procœmio Artis paruæ ſcribuntur, ubi doctrinã reſolutiuam cõparat definitiuæ: Nam in ea collatione uidetur ponere inter eaſdẽ doctrinas, non modo quantum ad ordinem, ſed etiam quantum ad modos, differentiam: reſolutiuam inquiens ratione quidem & dignitate præſtare definitiuæ, ſicuti definitiua & totius cõpendio, & facilitate memoriæ, excedit reſolutiuam. Nos uero hanc dubitationem uolentes ſoluere dicimus eam, ſicuti pleraſq; alias, ex mala translatione habere occaſionem: ubi enim interpres dicit Ratione, græcus Galeni codex habet Methodo, quod uerbum apud Græcos ſignificat uiam, atq; ordinatum progreſſum ad cognoſcibile aliquod. In hoc autẽ ordine procedendi uult Galenus doctrinã definitiuã à reſolutiua ſuperari: Quare uerba illa procœmij recte interpretata, magis noſtram confirmant opinionem, qui uolumus tres doctrinas uarijs ordinibus eſſe differentes, quorũ alter & altero poteſt eſſe artificioſior, atq; ita facere doctrinam excellentiorem. Idcirco autem etiam dignitate dicitur doctrinam reſolutiuam eſſe definitiua ſuperiorem, quia quum ex notione finis incipiat, & fiat ſecũdum reſolutionem, habet ex hoc quod nõ ſolum docere, ſed etiam inuenire, ac primum cõſtituere artem aliquam poteſt ſiue ſcientiam, quorum alterum poteſt efficere definitiua, ſcilicet docere tantũmodo. Quum uero laus debeatur inuentioni, & primæ conſtitutioni, quis dubitauerit doctrinã reſolutiuam anteire dignitate definitiuã? Sicuti uero reſolutiua habet ex principio ſuo, ſcilicet notione finis, & eo quẽ ſeruat ordine, quod ſit ad inueniendas, & primũ cõſtituendas artes accõmodata, ita definitiua ex ipſa definitione ſcientiæ quam docet, & ordine partiũ eiuſdẽ definitionis, quem in docẽdo ſequitur, hoc plus habet ſupra reſolutiuam, quod facit ſcientiã, uel artem perdiſcendã, facilius totã ſub quodã ueluti compendio cõprehendi, & eſſe etiã ſecundũ partẽ memoriæ cõmendabiliorem. Nam ut inquit Galenus, bene memoriæ mandantur ſufficienter omnia ex definitionis diſſolutione, ob id quod optima definitio quam ſubſtantialẽ quidã terminũ uocãt, totius artis capita in ſe cõtineat. Non eſt autẽ propter hæc uerba Galeni exiſtimandum id quod putat Pluſq; Cõmentator, doctrinã reſolutiuam nõ poſſe & ipſam totam artem medicinalẽ per capita, & generales ſummas in uno uolumine tradere, ſicuti definitiuã. Hoc enim fieri etiã in doctrina reſolutiua, ſiue ordinẽ ſeruãte reſolutiuũ, probat ut ante diximus liber De conſtitutione artis medicinalis, in quo eadem doctrina, ut etiam paulò ſuprà probauimus, cõtinetur. Nihil aũt aliud uoluit Galenus per uerba ſtatim antea adducta nobis inſinuare, niſi quod ambę quidem doctrinæ, ſcilicet & definitiua & reſolutiua, ſub quodã cõpendio totã artem medicinalẽ cõplectuntur, propter quod etiã ambæ ad memoriã conferũt. In his tamen duobus ſcilicet & in cõpendio totius ſcientiæ docẽdæ, & in memoria faciliori particulariũ, doctrina definitiua primas partes habet. Et nihil uetat reſolutiuã ſecundas obtinere. Sicuti licet reſolutiua & methodo & dignitate uincat definitiuã, non tamen ideo definitiua omnis eſt methodi expers ac dignitatis: alioquin id ſequeretur abſurdum, in quod etiam ſuprà diximus incidere opinionem Pluſquam Commentatoris, duas doctrinas nõ dici uniuoce doctrinas, atq; ita non eſſe inuicẽ comparabiles, quod eſt contra Galenũ, alteram alteri ut apparet manifeſte cõparantẽ.

Methodus.

B

C Verũ falſus intellectus primæ propoſitionis procemij: Tres ſunt omnes doctrinæ ordinem habentes: fecit tum Pluſq; Cõmentatorem, tum etiam Cõciliatorem plurima dicere, quæ etiã ſunt à Galeni placitis aliena. Pluſq; Cõmentator aũt tanto maiorem habuit aberrãdi occaſionẽ, quãto fungens officio expoſitoris, uerba omnia Galeni in procemio Artis paruę ſcripta, cogebatũ ſuæ de tribus doctrinis opinioni cõſona demonſtrare. Quod ſi hæc ipſa propoſitio talem habeat ſenſum, qualẽ nos illi tribuimus, mille ſunt obiectiones quæ nõ facilime diluanẽ, nulli occurrũt nodi qui ſtatim nõ diſſoluantur. Nam & illud quod quiſpiã poſſet obijcere ex autoritate Pluſq; Cõmentatoris cõmentatione prima, libri primi Artis paruæ, ordinẽ non facere doctrinã, ſed magis conſequi, nõ habet difficilem diſſolutionem. Poſſumus enim noſtræ innitentes expoſitioni ita dicere, Doctrinas quidẽ quibus una tota aliqua ſciẽtia doceẽ, nõ ſortiri ex uario docẽdi ordine (de tribus ordinibus nobis intelligentibus, de quibus Galenus loquitur) nõ ſortiri inquam ex his uel maiorem uel minorẽ certitudinẽ, ideo neq; ex his ipſis habere potiſſimũ, quod doctrinæ dicãtur: Sed quod hæc reſolutiua dicaẽ, hæc cõpoſitiua, illa definitiua nomineẽ, hoc ſingulæ ex ſuo ordine ſortiũtur. Qui tamen ordo dat ipſi doctrinæ nõ ſolum denominationis, ſed etiã rei quandã præcipuã proprietatẽ: Nam ex ordine reſolutiuo, qui à fine artis initiũ ſumit, quod eſt principiũ ſpeculationis, habet doctrina reſolutiua quod ſit ad artem inueniendã & conſtituendã idonea: Ex ordine uero cõpoſitiuo, doctrina cõpoſitiua aptiſſima exiſtit ad eandẽ artem inuentã, & ſummatim ſiue per capita traditã, poſtea magis ſecundũ partem amplificandã: Ex ordine autẽ definitiuo, quẽ habet doctrina definitiua ex partibus definitionis, fit eadẽ doctrina ad artem cuius aſſumit definitionẽ totam ſub cõpendio docendam, & faciliter me-

D moriæ ſuggerendam cõmodiſſima. Quod ſi dixerimus ordinẽ etiam ad doctrinæ eſſentiã cõferre aliquid, nõ erit hoc diſſonũ à Galeni dogmate, qui libro primo Artis curatiuæ, uolens oſtendere inter medicos rationales, & illos qui ab experientia ſe Empiricos uocãt, differentiã, ſcribit hæc uerba: Quærere igitur cum methodo, & quicq; inuenire, opponiẽ ei quod fortuna & caſu fit. Eſt aũt ueluti uia quadã atq; ordine, ita quod eſt aliquod primũ in inquiſitione, & ſecundũ, & tertiũ, & quartũ: & ita ſeriatim alia uniuerſa donec quiſpiã perueniat ad id quod fuit ab initio propoſitum. Qui igitur ſe ab experientia Empiricos uocant, recte agentes confitentur, quod neq; ad inuentionẽ neq; ad doctrinã ipſis neceſſarius eſt ordo: quia inartificioſum quoddã, & expers rationis eſt experiẽtia, & bona fortuna indigẽs. Qui uero rationẽ atq; ordinẽ ſibi ducem fecere inuentionis, & uiam unam ad finẽ perducentẽ ſuppoſuerũt, his neceſſariũ eſt à primo aliquo incipientibus cõfeſſo apud omnes homines, ſic trãſigere reliqua. Ex his uerbis Galeni liquidò apparet, quod medicorũ rationaliũ doctrina nõ ſolũ rationem, ſed etiam ordinẽ in ſe continet, & quod in hoc differt à doctrina Empiricorũ, quæ neq; rationẽ habet, neq; ordinem. Liquet etiã quod cũ methodo aliquid quærere, nihil aliud eſt q̃ uia quadã atq; ordine ad inueniendũ procedere. Hæc aũt uerba Galeni unà cõfirmant noſtrã expoſitionem quã ſuprà ſcripſimus, quomodo ſcilicet doctrina reſolutiua methodo uincat definitiuam. Hac difficultate diſſoluta, quæ ex uerbis Pluſq; Cõmentatoris uolẽtis ordinẽ nõ facere doctrinã, ſed magis ſequi, habuit occaſionẽ. Iam et alias quæ in noſtrã cadere poſſunt de tribus doctrinarũ ordinibus opiniones diluamus. Nõ temere eñ quiſpiã dubitauerit, ſi ſint tres doctrinarũ ordines, ubi Galen. uſus fuerit cõpoſitiuo: nam de reſolutiuo, & definitiuo ſatis ex his quæ antea dicta ſunt, puto eſſe manifeſtũ. Cur etiã Galenus quartũ nõ adiecerit, ſcilicet diuiſiuũ. Hæ enim ſunt duæ ambiguitates, quæ ſi fuerint à nobis cõueniẽter diſſolutę, nõ parũ noſtrę expoſitionis

Experiẽtia rationis expers, fortuna eget.

Quæſtio ubi Galenus uſus ſit ordine cõpoſitiuo.

A expoſitionis ueritatẽ confirmabunt,& aliarũ coarguent falſitatem. Nam ut inquit Ariſtoteles libro primo Moraliũ, uero quidem omnia conſonant, falſo autem citò diſſonat uerũ. Primam dubitationẽ ſtultam putat Pluſquã Cõmentator, quoniam in ea hæreſi eſt, quod nõ ſit poſſibile particulariter tradere totam artem medicinalem ſub una aliqua ſpecierũ doctrinæ,& quod utimur tribus doctrinis ad illud. In quam etiam opinionem ductus eſt idem Pluſquã Cõmentator ex malo intellectu illorũ uerborũ Galeni, quæ in antiqua translatione ſcribũtur in hunc modũ: Quæ uero ſecundum partem eſt tractatio uniuerſæ medicinalis ſpeculationis, in multis alijs à nobis ſcripta eſt negocijs, quibus expedit uti ad tres doctrinas. Quæ poſtrema uerba per figuram hypallagen exponens Pluſꝗ̃ Cõmentator in hũc ſenſum: id eſt, ad quę negocia expedit uti tribus doctrinis: cõſequenter affirmat quod poſſimus etiam in uno libro uti tribus doctrinis. Sed duo dicta ex his uera ſunt, ſi per doctrinas modos doctrinales intelligamus, & non ordines doctrinarũ, de quibus Galenus intellexit in illa propoſitione: Tres ſunt omnes doctrinæ ordinẽ habentes. Impoſſibile enim eſt totam artem medicinalem uel in uno libro, uel in multis ſub uarijs doceri ordinibus: ars enim tota medicinalis ita in Arte parua docet̃ ſub ordine definitiuo ſeorſum, quod nõ admittit reſolutiuum, uel compoſitiuum. Sic etiam tradit̃ in libro De cõſtitutione artis medicinalis ſub ordine reſolutiuo, quod reliqui duo ei non cõiunguntur. Sic quoq; in multis alijs libris eadem ars uniuerſa uberiore ſcribitur tractatione, ut poſtea magis liquebit ſecundũ ordinem cõpoſitiuum, quod ipſi non cõpetit ordo cõtrarius, qui dicitur reſolutiuus, neq; etiam definitiuus, ut etiam in ſequentibus oſtendemus. Primũ autem dictũ Pluſquam Commentatoris, quod uidelicet nõ ſit poſſibile ſecundũ partem, ſiue particulariter tradere totam medicinã ſub una aliqua ſpecierũ doctrinæ, etiam Galenus repugnat, qui nõ ſolum in cõpendio totius, ſed etiam in memoria particulariũ præfert doctrinam definitiuã doctrinæ reſolutiuæ. Quæ cõparatio uana foret, niſi ſub doctrinæ ordine definitiuæ tota ars medicinalis, etiam ſecundũ partem, ſiue particulariter in Arte parua traderetur, ſicuti fuit in multis alijs libris ſecundũ partem eadem ars tota conſcripta, quod uerba Galeni ſuprà à nobis allata manifeſtant. Alioquin etiam uidetur impoſſibile totam artem medicinalẽ ſcribi in doctrina definitiua & non ſecundũ partem, quum totũ non ſit præter partes. Quod ſi per particularia Pluſquã Cõmentator intelligat quædã ſpecialiora, ad quæ doctrina definitiua nõ deſcẽdit: neq; taliũ tractatio particulariũ doctrinæ repugnat definitiuæ, neq; reſolutiuæ, ſicuti neq; compoſitiuæ. Quid enim uetuit Galenum, uel in libro de cõſtitutione artis medicinalis ſecundũ ordinem reſolutiuũ, uel in Arte parua ſecundũ ordinẽ definitiuum, nõ breuiter atq; cõciſim, ſed late ac copioſe uſq; ad ſpecialiſſima progredientem, totã ſcribere artem medicinalẽ: quod in multis alijs libris ſe feciſſe teſtatur, in quibus ſeruauit ut poſtea declarabimus, ordinem compoſitiuũ. Sed licet potuerit ſecundũ triplicẽ ordinem uberem facere tractationẽ, libuit tamen ei ſecundum duos ordines tantũ, ſcilicet definitiuũ ac reſolutiuũ, cõpendioſam totius ſcientiæ medicinalis facere traditionem, ut de doctrina definitiua ipſe Galenus ſtatim in procœmio teſtatur, quũ ait, ea quæ in hac doctrina dicunt̃ eſſe ſola capita, & ueluti concluſiones, quæ alibi latius fuere demonſtrata. De utraq; autẽ tam ſcilicet reſolutiua ꝙ̃ definitiua circa finem operis, ubi inquit, quod liber de conſtitutione artis medicinalis, & alter cui extremã manum adiecit ſcilicet Ars parua, in quo doctrinam tradit definitiuam, ſicuti in altero reſolutiuam, ſeorſum ſunt in alijs, in quibus plenior doctrina explicatur. Expediebat autem, imò omnino fuerat neceſſariũ, ut ſicuti in uno libro docuerat modũ inueniendæ ac primum conſtituendæ artis me-

Commentator erroris ſui arguitur.

B

C dicinalis ſecundum ordinem reſolutiuũ, in altero uero eandem artem totam ordi- ne ſcripſerat ad memoriã aptiore ſcilicet definitiuo: ſic in multis alijs libris uniuer ſam pariter totius ſcientiæ medicinalis cõtemplationem latius atq; diffuſius cõple cteretur, quibus libris ad tres doctrinas uti poſſemus, id eſt ad tres doctrinarũ or- dines. Quæ enim ſub duarum ordinibus doctrinarũ ſunt abbreuiata, & quodam modo decurtata propter cõpendioſam, & per capita tantum eorum traditionem, poſſumus ex alijs ſupplere libris ſecundũ uberiorem, ut Galenus inquit, tractatio nem cõſcriptis. Nam ad hunc finem quodam in loco Artis paruæ Galenus inquit, ſe de illis omnibus circa finem operis facturũ mentionem, ut ſciret lector unde eſ- ſent ſupplenda, quæ in doctrina definitiua propter nimiam eius breuitatẽ deſide- rarent. Qui ſanè Artis paruæ locus manifeſte demõſtrat, uerba illa proœmij, qui- bus expedit uti ad tres doctrinas, male fuiſſe à Pluſquam Cõmentatore per figurã hypallagen expoſita, quæ figura, ut diximus, tantũ poëtarũ eſt propria, & à medi cis atq; philoſophis, quinetiam oratoribus euitanda. Vtimur enim libris in quibus elaborata eſt, id eſt plene ac perfecte tradita ſeorſum ſecundũ partem, id eſt per ſin gulas partes totius ſcientiæ medicinalis cõtemplatio, ſicuti in libris qui therapeuti ca, id eſt curatiua inſcribũtur, pars curatiua: In his quibus de ſalubribus titulus eſt, pars ſanitatis cõſeruatrix: Et in libris qui de mẽbris paſſis apud Græcos, apud nos, de interioribus nominãtur, pars illa quæ à Græcis diagnoſtice, id eſt, dignoſcitiua dicitur. Vtimur inquam his libris ad doctrinã definitiuã, ubi quæ ſunt in iſta defe- cta ſupplemus, atq; ampliamus, quod facere poſſumus non uariato ordine doctri næ definitiuæ. Et hic eſt ſenſus illorum uerborũ, quæ ſuprà diximus male fuiſſe à Pluſquã Cõmentatore intellecta, adeò ut putauerit Galenũ innuere nos uti tribus

D doctrinis ad dictos libros, & nõ libris ad tres doctrinas. Eundem autẽ uſum ijdem libri ſecundũ uberiorem tractationem cõſcripti, præbent etiam ad doctrinã reſolu tiuam, quæ & ipſa quoq; breuis eſt atq; conciſa, ut quæ ſit magis ad inueniendã ac conſtituendã, quàm ad docendam artem accõmodata. Quare Galenus ita in libro de conſtitutione artis medicinalis, ſicuti in Arte parua ad memoriã plerunq; reuo cat loca illorum librorũ ſecundũ uberiorem tractationẽ conſcriptorũ, unde poſſu- mus eiuſdem libri in quo doctrina habetur reſolutiua, ſupplere breuitatem. Iam er go liquet qualis ſit uſus librorũ Galeni, in quibus elaborata eſt ſecundũ partem to tius ſcientiæ medicinalis cõtemplatio ad duas doctrinas ſcilicet ad definitiuã ac re- ſolutiuã. Promptior autẽ eſt horũ ipſorũ librorũ uſus ad doctrinam cõpoſitiuam, ſi eo legantur ordine quo circa finem Artis paruæ à Galeno diſponunt: talem enim ordinem non eſſe definitiuũ omnibus liquere poteſt, quum ex nulla medicinalis ſcientiæ definitione dependeat. Sed neq; reſolutiuus eſt, ut ſtatim probatur: relin- quitur ergo quod ſit cõpoſitiuus. Talem autem ordinẽ librorũ, ſiue doctrinæ quæ in ipſis habet nõ eſſe reſolutiuũ, eo poteſt cõſtare argumento, quod incipit ab ele mentis ſecundum Hippocratem, ad quæ ea quæ fit in libro de conſtitutione artis medicinalis reſolutio terminatur, dum cognitio quæritur corporũ ſanorũ & ægro rum, ut notio finis exigebat. Vltimus autem in eo ordine librorum Galeni quem dicimus eſſe cõpoſitiuum, eſt liber de arte curatiua, quæ prima docetur inter alias partes ſcientiæ medicinalis, quæ per reſolutionem inueniũtur in eodem libro De conſtitutione artis medicinalis, in quo diximus ſeruari ordinem doctrinæ reſolu- tiuæ. Libri uero medij inter primum De elementis, & ultimum De arte curatiua, liquidò oſtendũt ordinem doctrinæ compoſitiuæ. Nam in libro de elementis pro- greſſus fit ad libros de temperaturis ſiue cõplexionibus, & ab his ad libros de po- tentijs naturalibus atque animalibus, atq; ad alios libros, qui in eo loco à Galeno

Liber Galeni de elementis.

connume-

A connumerantur, donec ad illos perueniatur qui continent illam ſcientiæ medicinalis partem quæ diagnoſtice nominatur, de qua etiam ſuprà fecimus mentionẽ. Hæc autẽ medicinæ pars in ordine doctrinæ reſolutiuæ ſecundo docet̃ loco poſt curatiuam, quare in ordine doctrinæ cõpoſitiuæ debuit præcedere. In quo ordine etiã libri partem prognoſticã cõplectentes antecedunt, quæ tamen pars tertio docetur loco poſt curatiuã in ordine doctrinæ reſolutiuæ. Deniq; omnes Galeni libri qui circa finem Artis paruæ eo ordine numerant̃, quem nos dicimus eſſe cõpoſitiuum, ita ſunt inuicẽ priores atq; poſteriores, ſicuti ſcientię medicinalis partes quæ in illis cõprehenduntur, ſunt duabus eiuſdem ſciẽtiæ partibus quæ finales appellantur, curatiuæ ſcilicet atq; ſalubris, uel proximiores, uel remotiores. Hunc ordinem doctrinæ compoſitiuæ uiſus eſt uoluiſſe ſeruare in ſuis libris, quos de medicina ædidit Auicenna, licet eum aliquando interruperit, quia prius ſcripſit canones generales de cura morborũ, quàm de ſimplicibus medicamẽtis, de quibus egit in ſecundo lib. ſicuti de compoſitis egit in ultimo, ſcilicet in quinto. Quæ duæ tractationes ſecũdum ordinẽ librorũ Galeni compoſitiuũ, libros de arte curatiua antecedũt: adeò ut Gentilis expoſitor Auicẽnæ in multis in quibus animaduertit Auicennam à recto ordine cõpoſitiuo deuiare, nullã aliam ſcit afferre male continuantis ordinis rationẽ, niſi quod ita Principi placuit. Dicit tamen Gentilis, etiã Galenũ uoluiſſe in libris de arte curatiua, libros de cõpoſitione pharmacorũ eiſdem libris de arte curatiua eſſe poſteriores. Atqui Galenus in ordine illo quo libros ſuos circa finẽ Artis paruæ cõnumerat, libros de cõpoſitione pharmacorũ Arti curatiuæ præponit. Quæ dubitatio fuit digna ſpeculatione apud Gentilem præſertim, qui propter ſuarũ quæſtionũ ſubtilitatẽ eſt ſpeculatoris cognomentũ adeptus. Ne uero quiſpiam Galenũ ſibi ipſi in uarijs locis de ordine horum librorũ repugnaſſe ſuſpicet̃, breuiter dicemus duplicẽ eſſe cõponendi pharmaca rationẽ: Vnam quidẽ quæ ſtabilis eſt atq; immutabilis, ſicuti de Theriace Andromachi tam Galenus, quàm etiam Auicenna cõmuniter ſentiũt, quod non ſit ab Andromachi inſtituto in numero ac pondere ſimpliciũ medicamentorũ, ex quibus eadem Andromachi Theriaca temperatur, diſcedendũ, quamuis Auicenna Galenũ quodammodo per calumniam reprehendat, quod ſibi uolens totius cõpoſitionis gloriã uſurpare, nonnulla citra neceſſitatem de compoſitione Andromachi cõmutarit. Et hæc compoſitio ſeu ratio cõponendi medicamenta immutabilis, debet præcedere ordine libros de arte curatiua. Quod uidetur uoluiſſe Galenus in librorum ſuorum circa finem Artis paruæ cõnumeratione. Alia eſt compoſitio medicamentorum quæ fit pro medici arbitrio uarias ſumentis ab ægrotantium uarijs diſpoſitionibus, ac temporum diuerſitatibus, indicationes. Et hæc rationabiliter ſequitur libros de arte curatiua, ut in eiſdem libris Galenus uidetur inſinuare. Sed hæc obiter dicta ſint uolentibus nobis ſoluere alteram dubitationem, qua dubitabatur, ubi Galenus doctrinam ſcripſerit compoſitiuam, ſiue totam artem medicinalem ſub ordine tradiderit cõpoſitiuo. Liquet enim hoc ipſum feciſſe in uarijs libris eius ſecũdum pleniorem tractationem conſcriptis. Quæ plenior tractatio doctrinæ definitiuæ ac reſolutiuæ ſupplet breuitatem, & ſimul etiam ſeruit doctrinæ compoſitiuæ, abſque hoc quod trium ordo doctrinarũ uariet̃, adeò quod uerиſſime Galenus ait nos poſſe uti huiuſcemodi libris ad tres doctrinas, hoc eſt ut nos exponimus ad tres ordines doctrinarum, ſiue tres docendi ordines, & non per figuram Hypallagen tribus doctrinis ad libros. Quia ſi per doctrinas modi doctrinales intelligerentur, pluribus etiam quàm tribus doctrinis ad eos uti poſſumus, ut ſanè Galenus uſus eſt, ſcilicet diuiſiua, reſolutiua, definitiua, & demonſtratiua, & quibuſdam alijs, ut ſatis ſuprà

Auicennæ librorum ordo.

Medicamentorũ duplex compoſitio.

C fuit à nobis declaratũ. Verum ex nuper tactæ dubitationis ſolutione altera ſuboritur dubitatio: Cur Galenus nõ æque totam artem medicinalẽ in uno libro eadem breuitate cõplexus fuerit ſub ordine cõpoſitiuo, qua ipſum fuiſſe uſum uidemus in tradenda eadẽ arte ſub duobus ordinibus, ſcilicet definitiuo, & reſolutiuo. Ad quam dubitationem ſoluendam reſpondemus, potuiſſe quidẽ, & ſub ordine compoſitiuo, idem Galenũ facere, uerũ forte liber ille fuiſſet ſuperuacuus. Nam quantum ad docendum uiam atq; ordinem conſtituendæ artis medicinalis, eandemq; artem ſimul ſub breuitate docendam, unus liber ſufficiebat, qui de cõſtitutione artis medicinalis inſcribitur, ſcriptus ſub ordine reſolutiuo: Quantũ uero ad faciliorem totius artis memoriam cõmodius etiam ſub compendio traditæ, alter ſat erat qui Ars parua uocatur, ordinem continens definitiuũ: Quis autẽ fuiſſet uſus tertij libri eandem ſeruãtis breuitatem in tota arte medicinali docenda ſub ordine compoſitiuo, nõ facile eſt excogitare, quandoquidẽ ordinem talem ſibi uberior tractatio eiuſdem artis uendicabat, quã per plures tranſigi libros in omni arte uel ſcientia perfectè tradenda ſit neceſſarium. Nam ſi uerum fateri uelimus, doctrina reſolutiua eſt propter compoſitiuam. Primum enim inuenire oportet ſcientiæ uel artis principia, ac theoremata per reſolutionẽ: deinde hæc tradita breuiter, poſtea componentes conuerſo ordine latius explicare. Quare uidemus Galenum doctrinam reſolutiuã non cõpoſitiuæ, ſed definitiuæ tantum in methodo ac dignitate præferre. Si tamen quæratur à nobis utra duarum alteram dignitate præcedat, reſolutiuã ne an cõpoſitiua (nam uia eadem eſt ſecundum ſubiectum, licet differat ſecundum rationem) dicimus reſolutiuam uno quidem reſpectu, quatenus ſcilicet artem primum inuenit atq; conſtituit, eſſe digniorẽ: Quatenus uero ea quæ per reſolutionẽ inuenit, ad hunc ipſum finem inuenit ut cõpoſitiua ſuo ordine digerat atq; cõponat, ac copioſius edoceat, hac cõſideratione dicimus compoſitiuam eſſe perfectiorem, ac præſtantiorem, ſicuti finis præſtantior eſt his quæ ſunt propter finem. Gloriatur autem Galenus in procemio Artis paruæ, neminem ante ipſum doctrinam ſcripſiſſe à notione finis incipientem. Quia plures ſcientiarum opifices illam quidem inuenerũt per ordinem reſolutiuũ, ſed poſtea docuerunt ſub ordine compoſitiuo: quorũ utrũq; feciſſe Ariſtotelem in inueniẽda atq; docenda tota arte logica ſuprà ex Simplicij autoritate monſtrauimus. Sic ueteres medici, ſicuti Herophili & Eraſiſtrati ſectatores, & Athenæus, de quibus in procemio Artis paruæ commeminit, ut forte inuenerint ſcientiam medicinalem per methodum reſolutiuam, eandem tamen ſub ordine doctrinæ compoſitiuæ docuerũt. Vere igitur Galenus gloriatur ſe primum ex medicis atq; philoſophis doctrinã ſcripſiſſe ſeruantem ordinem qui à notione finis incipit, reſolutiuum. Supereſt altera dubitatio diluenda, cur Galenus tribus doctrinarũ ordinibus nõ adiecerit quartũ, ſcilicet diuiſiuum. Hanc dubitationem ſoluentes dicimus, ordinem diuiſiuum reduci ad ordinem reſolutiuum. Eodem enim ferè ordine partes omnes artem medicinalem conſtituentes per methodum reſolutiuam, ſicuti per methodũ diuiſionis, inueniuntur, ut patère poteſt legenti librum Galeni de partibus artis medicatiuæ. Vnde in eodem libro Galenus methodũ diuiſionis, per quam docet partiri artem medicatiuam, uocat reſolutionem. Et hæc quoq; in eo libro initiũ ſumit à partibus fini propinquioribus, & terminatur ad eas quæ ſunt remotiores, & primæ in ordine compoſitiuæ. Verba autem Galeni in libro allegato ſunt hæc: Dico igitur eſſe quidem medicatiuæ primas & proprias, & maxime partes illas per quas nobis aduenit finis artis. Aliæ uero ſunt his ſuperiores. Primæ quidem igitur & proximæ, tot ſunt numero quot ſunt materiæ propinquiſſimæ. Eius proprijſſima autem materia medicatiuæ artis

Reſolutiuus & cõpoſitiuus ordo, uter dignior.

D

Diuiſiuo ordine quarto cur hoc loco Galenus nõ ſit uſus

A artis ſunt diſpoſitiones noſtri corporis, ſiue duæ ſint ſecundum genus, ſiue tres, ſiue plures. Deinde paulò inferius Galenus ſubiungit: Aliæ quidē igitur ſunt primæ & propinquiores artis, ſine quibus nō ſunt hæ. Prima quidē igitur ſignificatiua cuius ſunt partes duæ, hæc quidem dignoſcitiua præſentium, hæc uero futurorum præcognitiua. Neq; enim abſq; quod dignoſcatur paſſio, curationē eius poſſibile eſt inuenire: neq; abſq; hoc quod cognoſcatur terminus criſeos, poſſibile eſt curare conuenienter. Has autem rurſus neceſſarium eſt præcedere illam partem quæ eſt circa cognitionē omnium partiū animalis, quæ in anatome, ſiue diſſectione corporum inueniuntur. Secundario uero ex ſuperabundanti illam quæ eſt de actibus. Et tertio eam quæ de utilitate earum eſt. Ipſas autē rurſus has, eam quę de contemplatione circa elementa corporis. Et ſecundo eam quæ de uirtutibus naturalibus, quæ inueniuntur ex diſſectione animalium. Ad tot enim principia reſoluitur pars ſignificatiua, quam præcedere curatiuā & ſalubrem penitus diximus. Hæc quidem Galenus in libro quem diximus inſcripto, de partibus artis medicinæ. In quo & partes ſcientiæ medicinalis principales, & principaliū conſtitutiuas eodem ferè modo inueniri per methodum diuiſionis, quo etiam per uiam reſolutionis inueniūtur, nobis inſinuat, quū ait: Ad tot enim principia reſoluitur pars illa quæ & curatiuam, & ſalubrem antecedit. In lib. etiā de cōſtitutione artis medicinalis Galenus ait, ſe non in eo propoſuiſſe tractatu, ea quæ ad artem pertinent medicinalem, omnia tranſigere, ſed ſolum ex quibus, & quot principijs, & per quas uias eadem ars conſtituatur, edocere. Quæ omnia inibi quo ordine per reſolutionem inueniuntur, eodem etiam docentur. In hoc enim differt liber de conſtitutione artis medicinalis, à libro de partibus artis medicatiuæ: quoniam in hoc ſolum

Quatenus ſint differentes libri Galeni De conſtitutione artis medicinalis, & artis medicatiuæ.

B partes eiuſdem artis inueniuntur, in illo uero non ſolum inueniuntur, ſed etiā docentur, licet ut ſæpe diximus breuiter atq; conciſim. Quū uero in eiſdē principijs ſiue partibus conſtituentibus artem medicinalem inueniendis idem ferè ordo ſeruetur in libro de conſtitutione artis medicinalis per methodū reſolutionis, in libro uero de partibus artis medicatiuæ per methodum diuiſionis: ob hanc (ut arbitror cauſam) Galenus treis tantū & nō quatuor docendi ordines enumerauit, ut qui diuiſiuum cōputet cum reſolutiuo, ſeu diuiſiuū reducat ad reſolutiuū: Vnde & Petrus Leo, qui inter alios medicinæ profeſſores maximo meruit ætate noſtra Patauij ſtipendio, doctrinam reſolutiuā eandem cum diuiſiua apud Galenum cenſeri putauit: et recte quidem, ſi per tres doctrinas docendi ordines intellexiſſet. Sed quia partes, doctrinas, & ipſe modos doctrinales accipit, in eaſdem cum alijs incidit difficultates, & tanto magis, quanto à numero doctrinarum excludere cogebatur demonſtratiuam, quoniam reſolutiua eadem eſſet ſecundum ipſum cum diuiſiua. Vnde non potuit neq; ipſe ſeruare numerum doctrinarū apud antiquos philoſophos, nō ſolum Ariſtotelem, ſed etiam Platonem, cuius ſectator haberi uolebat, celebratarum. Ordinem autem diuiſiuum, ſeu doctrinam hunc ſeruantem ordinem, eſſe unam ex tribus à Galeno enumeratis, uiſi ſunt quidam etiam ex recentioribus olfeciſſe. Quos licet odorem ueritatis ſentientes, reprehendit tamen Pluſquam Cōmentator his uerbis: Credunt autem aliqui, ſicuti in eorum expoſiſionibus reperitur, non imitari in hoc Halin, quod ordinatio capitulorū in ſcientia ſiue libro, uel reductio ipſorum ſiue ipſarum partium ſcientiæ, ad unam diuiſionē principalem & generalem, continet omnes partes, ſicuti genus cōtinet omnes ſpecies: & quod uniuerſaliter ordinatio partiū ſcientiæ ad totam ſcientiam ſit genus doctrinæ: Alterum ſcilicet duorum quod eſt falſum, quoniam prima diuiſio generalis in ſcientia cum ſubdiuiſionibus ab illa dependentibus, nihil eſt probans, ſed

C nititur ipſa tantum diuerſitati acceptionis ſubiecti, & ſpecierū & partium ſubiecti cum diuerſitate ſuarum paſſionum, & propterea nō eſt dicenda doctrina: ſed illud unde dependet ordinatio capitulorū, & librorum, & uniuerſaliter omnium partium ſcientiæ. Propterea in hoc nulla diuerſitas eſt inter ſcientias: omnis enim ſcientia diuiditur, diuiſione prima continente quaſi infinitas ſubdiuiſiones, quæ omnes ad illam reducūtur, ſicuti in medicina notum eſt, & in naturali, & omnes ſcientiæ ab illa incipiunt. Et ſic ſequitur, quod unicū tantum eſt genus doctrinæ, quod nihil eſt. Hæc uerba Pluſquā Cōmentatoris tendunt etiam aliquo modo contra opinionem noſtram, qui putamus ordinem reſolutiuū parum à diuiſiuo differre, & alterum reduci ad alterum: & tamen diuerſa ponimus genera doctrinarum, quia & diuerſos ordines, quos tamen Pluſquā Commentator unum tantum eſſe opinatur in quacunqꝫ ſcientia uel arte, ſcilicet diuiſiuū. Nos tamen præter hunc qui in idem coit cum reſolutiuo, uel ad ipſum reducitur, duos alios docendi ordines luce clarius manifeſtauimus, ſcilicet cōpoſitiuum & definitiuum. Neqꝫ ipſe Pluſquā Cōmentator ſi ſtare uelit in his, quæ de doctrina definitiua & eius ordine determinauit, qui ſumitur à partibus definitionis, & non ſubiecti ſcientiæ uel artis, negare poſſit ordinem definitiuū differre ab ordine reſolutiuo ſeu diuiſiuo, quem facit omnibus ſcientijs eſſe cōmunem: quum aliud ſit ſubiectum ſcientiæ diuidere in partes, & partes partium, aliud definitionē ſcientiæ: & alius ordo ex hac, alius ex illa diuiſione proueniat: ut liquere poteſt legēti duos libros, alterum cui titulus eſt de partibus artis medicatiuæ, alterum qui Ars parua nominatur. Quod autē etiam obijcit Pluſquam Cōmentator, diuiſionem illam à qua ordo ſumitur capitulorū, nihil probare, & ideo non eſſe doctrinam: facile ſolui-

D tur ex his quæ antea nos ſępiſſime declarauimus, cum alia ratione treis doctrinas cōmuni uocabulo doctrinas nominari, alia hanc reſolutiuam, hanc cōpoſitiuam, hanc uero definitiuam diximus nuncupari. Et paulò ante, in hoc differre librum Galeni de partibus artis medicatiuæ, à libro de conſtitutione artis eiuſdem, ſignificauimus: quoniam in hoc tota ars medicinalis docetur ſub ordine reſolutiuo, in illo autem ſolæ partes totius artis per methodū diuiſionis inueniuntur, non autē etiam ſub eodem ordine diuiſiuo docentur, ſicuti in altero ſub ſolutiuo: Quos tamen ambos ordines unum eſſe, uel ſaltem alterum reduci ad alterū arbitramur, ut qui non magno inter ſe diſcrimine diſtent. Quia uero etiam ſuprà diximus ordinem compoſitiuum obuerſum eſſe ordini reſolutiuo, idqꝫ manifeſtari ex ordine librorum quem ponit Galenus circa finem Artis paruæ, quem credimus eſſe compoſitiuum: illud quoque lectorem admonendum duximus, quod ſi non ad unguem hi duo ordines ſua ſibi inuicem contrarietate reſpondent, nihil oporteat admirari, quum idem liber in eodem ordine poſſit uarijs reſpectibus eſſe altero prior atque poſterior: Quod etiam ita eſſe declarat magna expoſitorum Ariſtotelis de eius librorum ordine, non ſolum in philoſophia, ſed etiam Logica, controuerſia. Sufficit aūt in his de quibus diſſerimus, ut ordo cōpoſitiuus ordini reſolutiuo magna ex parte uideatur oppoſitus. Sed & illud fieri poteſt, ut in diuerſis doctrinarum ordinibus eadem pars alicuius ſcientiæ ultimo loco doceatꝰ: ſicuti pars illa quæ de ſalubribus titulū habet, tam in libro de conſtitutione artis medicinalis, in quo ordo ſeruatur reſolutiuus, quàm in ordine librorum Galeni ſecundum uberiorem doctrinā ſcriptorū, qui eſt cōpoſitiuus, ut diximus, ultimū ſortitꝰ locū. Quod ideo fit in ordine reſolutiuo, ne ordo partiū quæ partē curatiuā conſtituūt, doctrina partis ſalubris interpoſita dirimatꝰ: In ordine autem cōpoſitiuo eadē etiā parte dilata, ut melius idem ordo cōpoſitiuus continuaretꝰ. Sed ſatis eſt in his duobus or-

A bus ordinibus, quod maxima ex parte diuerſificent, & quod ſua ſequantur principia: alter notionem finis, id eſt principiū ſpeculationis: alter actionis ſiue cōpoſitionis principiū, quod eſt ultimum, ut ſuprà oſtenſum fuit, ſpeculationis. Quantumuis autem treis ordines dicti ſint inter ſe diuerſi, & uaria ſequantur principia, in omnibus tamen, quod etiam ſuprà monſtrauimus, ſunt ijdem doctrinæ modi, ſcilicet tam demonſtratio quæ ex prioribus, quàm altera quæ ex poſterioribus aliquid probat: alioquin non poſſemus uti eiſdem Galeni libris ad tres doctrinas, ſiue tres ordines doctrinarū, neq; poſſet tota ſcientia medicinalis ſub ſingulis ordinibus ſeorſum doceri. Quorum primū poſſe fieri ipſe Galenus teſtaē in procemio Artis paruę: ſecundum uero oſtendunt libri duo, alter ſtatim dictus, alter qui de cōſtitutione artis medicinalis inſcribitur. In quorum utroq; ſeparatim eadem ars tota, breuiter tamen atq; conciſim, in altero ſub ordine definitiuo, in altero ſub ordine reſolutiuo docetur, ut ſæpius antea dictum fuit: Nam eadem crebro repetere eſt nobis neceſſariū, uolentibus illa quæ à maxima uiris autoritate ſunt pernegata aſſeuerare: Hoc enim eſt quod duobus autoribus de hiſce doctrinis contraria diſputantibus, plurimum aduerſatur. Neq; enim poſſunt ſuis opinionibus inhærentes oſtendere quomodo Galenus totam docuerit artem medicinalē ſub ordine reſolutiuo & cōpoſitiuo, ſicuti ſub ordine definitiuo: Siquidem Pluſquam Cōmentator & ipſe fatetur non eſſe poſſibile in omnibus quæſitis uti doctrina reſolutiua, quare illi fateri eſt neceſſariū, doctrinam reſolutiuam dici ordinariam in uno aut pluribus ſcibilibus particularibus, & nō in tota ſcientia quæ docetur. In eandem etiam trahitur difficultatē Conciliator, qui uult doctrinam compoſitiuā eſſe demonſtrationē Propter quid, quū neq; ſub huius doctrinæ ordine poſſit medicinalis ſcientia doceri, neq; etiam naturalis, in qua nō ratio, ſed cognitio cauſarū

B ex effectibus inueſtigatur. Vnde caueat idem Conciliator ne male alleget differentia octaua Cōmentatorē ſuper doctrina quæ per antonomaſiā dicitur ordinaria, quæ eſt doctrina cōpoſitiua ſecundū eundem Conciliatorē: & eſt ut ait idem Cōmentator, incipere à cognitione cauſarum primarū rei cognoſcēdæ perfecte: Deinde intendere ad cognitionem cauſarum remotarum ſecundū ordinem, donec perueniatur ad cauſas propinquas. Innuit autem per hæc uerba Commentator ordinē quem ſeruat Ariſtoteles in tradenda ſcientia naturali, in qua ſicuti dixi non ſolum effectus per cauſas, ſed etiam cauſæ per effectus demonſtranē: quemadmodum etiā in ſcientia medicinali, ſub quocunq; doceatur ordine, ſiue definitiuo, ſiue reſolutiuo, ſiue cōpoſitiuo: Etſi enim ordo compoſitiuus hoc habet principium, quod illa quæ in eo priora ſunt uim habeant principiorū ad illa quæ ſequuntur: tamen in hoc ordine uniuerſo, ſiue in libris hunc ſeruantibus ordinem, multæ fiunt demōſtrationes ex poſterioribus, ueluti in libro de elementis ſecundum Hippocratem, qui tamen primus eſt in ordine cōpoſitiuo, ut ſuprà à nobis fuit declaratū. In hoc nanq; libro corpus humanum non eſſe ſimplex ex eo probatur, quod dolet, & ſit ex quatuor elementis conſtitutū: ex eo quod quatuor humores illis proportionales in deiectionibus ſeu ſponte, ſeu arte factis appareant, ut nō parum mihi ſubeat de Conciliatore admirari, qui uolens oſtendere ubi Galenus uſus fuerit doctrina cōpoſitiua, adducit in exemplum librum de elementis ſecundum Hippocratem: In quo tamen libro Galenus plurimū utitur doctrina reſolutiua, ſi per doctrinam reſolutiuam intelligamus, ut intelligit Conciliator, illam quæ effectibus cauſas, & ex poſterioribus priora demonſtrat. Illud autem uerius de eodem libro dici poſſet, quod eſt primus in ordine compoſitiuo, cui nō repugnat neq; demōſtratio Quia neq; Propter quid, ſicuti neq; duobus alijs ordini

C bus,quemadmodũ à nobis in pręcedentibus fuit declaratũ. Habent etiam & hoc duæ famoſæ opiniones incõmodum, quod non poſſunt uel probabilem afferre cauſam,ob quam Galenus totam artem medicinalẽ ſub quodam compendio traditurus,de artis logicę methodis uoluerit prooemiari. Nam quod ait Hali fuiſſe id Galeno propoſitum,ſtatim nos ad ſtudium dialectices excitare: huius cauſæ aſſignatio præter id quod incidit in repugnantiã ut ſuprà notauimus,etiã alteri ſubijcitur notæ: Neq; enim ulla ratio afferri poteſt, cur Galenus in hoc procemio,præcipue libri Artis paruę,tali genere exhortationis uti libuerit,ubi uidelicet minime fuit neceſſariũ. Quoniã in eo libro,ut Galenus inquit,nõ plene demõſtrationes, ſed eorũ quæ alibi latius fuere demõſtrata,quædam ueluti concluſiones tantũmodo contineantur. Adde quod hæc eadem exhortatio circa finem eiuſdem libri ſuperfluo repeteretur, ubi Galenus facta omnium librorum ſuorum quos ſecundũ uberiorẽ doctrinã conſcripſit,cõmemoratione,admonet nos priuſquã ad eorundem librorum lectionẽ perueniamus,in libris de demõſtratione debere exercitari: & recte admonet,quoniã in his illa latiſſime demonſtrantur quę in Arte parua per modum ueluti concluſionũ breuiſſime perſtringuntur. Quare illorũ quidem librorum nomine ea exhortatio fuit quodãmodo neceſſaria,ſed libri Artis paruæ gratia,ferè ſuperuacua. Pluſquam Cõmentator uero præter hanc & aliam innuit eiuſdem procemij rationẽ. Statim enim in principio expoſitionis ſcribit hæc uerba: *Traditurus medicinã ſcilicet Galenus ſub inſueto genere docendi ſcientias, operi præmittit procemiũ de diuiſionibus doctrinarum,ut eliciat quam intendit.* Ego autem non puto doctrinam definitiuam eſſe inſuetum docendi genus, quũ fuerit ex parte etiam apud Ariſtotelem, ut nos antea oſtendimus,uſitatum: quo

D etiam teſte Galeno, quidam Herophili ſectatores, & Heraclides Erethriæus uſi fuere: Quare inconſuetũ docendi genus potuit dicere neutrius eſſe doctrinam reſolutiuam,quam ſe ſolum ſcripſiſſe Galenus gloriatur. Ratio autem probabilior ob quam Galenus uoluerit librum ſuum ab hac oratione exordiri: Tres ſunt omnes doctrinę ordini inhærentes,eſt iſta: Quia quum ſint tres ordines generales qui ſeruari poſſunt in tota aliqua ſcientia docenda,ſcilicet reſolutiuus, compoſitiuus,& definitiuus: uoluit ſtatim nobis notificare quem ex his tribus in Arte parua eſſet ſecuturus,ſcilicet definitiuũ,propter totius ſcientiæ medicinalis compendioſam traditionem,& memoriã illorum quæ ſub illo ordine docerentur,faciliorem. In multas etiam alias incidunt tam Conciliator quàm etiam Pluſquã Commentator difficultates, quas non poſſunt ſubterfugere, uel ueriſimili ratione diſſoluere: Nam ſi per doctrinas ordinarias, docendi modos ſeu methodos logicas, ſicuti demõſtrationem Quia,& Propter quid Galenus intellexit, cur his non annumerauerit diuiſiuã? cur non etiam definitiuam quæ docet artem definiendi? de qua Ariſtoteles, & Theophraſtus apud Græcos, Boëtius & alij apud Latinos, tam accurate ſcripſere. Si diuiſiuam dixerint fuiſſe à Galeno à numero doctrinarum quæ ordinariæ dicuntur excluſam,quoniã nihil probet,non animaduertent ſe Galeni ſententiam uolentes interpretari, ipſum ſibiipſi facere repugnantẽ, qui multis in locis idem munus cõſtituendi omnes artes ex opinione Platonis tribuit diuiſiuę,quod tam Conciliator,quàm etiam Pluſquam Cõmentator dant reſolutiuę qualiſcunq; ipſa ſit,ſiue demõſtratio Quia,ſiue propter quid. Anceps ſanè locus et nequaq; ab illis diſſimulandus qui inter ſe de opinione Galeni ſuper tribus doctrinis tam operoſa diſputatione cõtenderunt. Oportuit enim ipſos quũ de Galeni opinione diſceptarẽt, eundẽ Galenũ nõ Ariſtoteli,à quo nõ raro diſſentit, ſed magis Platoni cuius ſemper ſummus fuit imitator,oſtendere cõſentientẽ. Quanquam

A quam neq; quum dicunt doctrinam diuiſiuam nihil probare, atq; ideo non eſſe ordinariam, omnino in hoc placent Ariſtoteli, qui libro ſecundo reſolutoriorum poſteriorũ uult methodum diuiſionis probare aliquid, ſicuti & inductionem, licet neutra earum ſyllogiſtice probet. Inductionẽ ſanè Ariſtoteles in primo ſtatim initio libri primi poſteriorum reſolutoriorum inter alias doctrinas intellectiuas numerat, quæ ex antecedenti fiunt cognitione, ut etiam antea diximus. Sed uiam diuiſionis eſſe certiorem uia inductionis cenſet Auerrois in expoſitione libri quinti Ariſtotelis de naturali auſcultatione, cõmento ſeptimo, ubi ait: Ariſtoteles poſtquã enumerauerat illa per quæ determinantur ſpecies motus, ex inductione uelle enumerare eadem ſecundũ diuiſionem, quæ eſt uia certior. Quare ſequitur ſecundum commentatorẽ, quod ſi inductio doctrina aliqua ſit, ſiue aliquid doceat, multo magis diuiſionẽ ſiue methodum diuiſionis eſſe doctrinã, & debere alijs doctrinis etiam ſecundũ Peripateticos annumerari. Galenus ſanè in libris ſuis frequenter utitur methodo diuiſionis ſiue ad probandum aliquid, ſiue docendum. Nam à parte ait in libro de differentijs morborũ, cui titulus eſt apud neotericos, De accidenti & morbo, per methodum diuiſionis oſtendi non eſſe plura morborũ genera quàm illa quæ ipſe inibi numerat uel membris ſimilaribus uel diſſimilaribus propria: ſolutionem uero continuitatis eſſe morbum utriuſq; communẽ. In libro autem de febribus ad Glauconem dicit, errores medicorum quancunq; hæreſim profiteantur, maximam atq; præcipuam habere cauſam, initium diuiſionis. Plato uero hanc eandem methodum diuiſionis adeò extollit atq; admiratur, ut in dialogo qui inſcribitur Phædrus, dicat ex perſona Socratis, ſe hominis qui diuidendi artem recte pertractet, à tergo tanquam dei ueſtigia reſpicere. Equidem miror fuiſſe B aliquos qui talem qualem nos conamur refellere, de methodo diuiſionis opinionẽ tam à Platonis dogmatibus abhorrentẽ, Galeno homini platonico adſcribere auſi ſint. Sed fac ipſum fuiſſe, & ſanè in multis fuit Ariſtoteles, nõne altero ſimili de doctrina definitiua implicantur errore? De illa loquor de qua Ariſtoteles præcepta accuratiſſime tradidit. Nam hanc quoq; uolunt fuiſſe à Galeno exemptam de numero doctrinarum ordinariarũ, quæ tamen tanto dignior eſt doctrina demonſtratiua, quanto cognitio principiorum certior eſt cognitione concluſionum: quanto etiam eſt illa doctrina præſtantior quæ rei eſſentiã explicat, quàm quæ accidentia ſubſtantiæ cuipiam ineſſe demonſtrat. O quanta dignus foret Galenus reprehenſione, ſi ſuam doctrinam definitiuam nihil probantẽ, atq; ideo (ut uidetur ſentire Pluſquam Cõmentator) nihil docentem, ſed tantũ ad memoriã facientem alijs duabus doctrinis ordinarijs annumeraſſet: Alteram autem docentem definire, rem tantopere in omni philoſophiæ genere expetendam, pro doctrina inordinaria repudiaſſet. Qui quidem audent hanc adeò abſurdam Galeno tribuere opinionem quod uidelicet doctrina quæ docet definire, non ſit uera doctrina, non parũ uidentur ipſum Galenum infamare. Non parum etiam Ariſtotelis detrahere exiſtimationi, qui circa artem definiendi tantum operæ ſtudijq; conſumpſerit, & nihil aliud niſi doctrinam inordinariã peregerit, qui ſapientis officium eſſe exiſtimauit poſſe definire. Quæ facultas ſi uana foret, nullus eſſet actus ſapientiæ, in quo ultimum finem hominis ille philoſophus collocauit, atq; ita ad incertum uita humana laboraret. Viderint autem tam Conciliator quàm etiam Pluſquam Cõmentator, ne non modo ueterum placita deſtruant, ſed etiam ſibijpſis repugnantia ſcribant. Nam ſi doctrina diuiſiua non ſit uera doctrina, non erit neq; definitiua: & ſi definitiua non ſit, non erit neq; demonſtratiua definitio: ſiquidem principiũ eſt demonſtrationis: Ad definitionẽ autem inueniendam diuiſio eſt neceſſaria. Quare ſi duæ

C primæ doctrinæ uacillabant, labet & tertia. Patet ergo ipſos neq; ueteribus, neq; ſibijpſis in ſuis ſcriptis conſentire. Non poſſunt etiam uerba Galeni quæ in procœmio Artis paruæ ſcripta inueniũtur, ſuis oſtendere opinionibus cõſona. Nam prima expoſitio Pluſquam Commentatoris uerborum illorum Galeni: Tres ſunt omnes doctrinæ ordinem habentes. Prima ex notione finis quæ per reſolutionem fit, omnino eſt diſſona græcæ literaturæ, ſecundum quam illud relatiuum Quam, non poteſt referre notionem finis, ſed doctrinam tantum: Et ut etiam antea ex Simplicij atq; ipſius Galeni autoritate fuit declaratum, notio finis non fit ex reſolutione, ſed antecedit reſolutionẽ. Ait Galenus in procœmio dicto, neminem ante ipſum ſcripſiſſe doctrinam ex notione finis incipientem, ex qua omnes artes conſiſtunt ſecundum rationem, ut habet antiqua tranſlatio, quam exponit Pluſquam Commentator. Sed mirum quantum hic expoſitor à uero Galeni ſenſu deerret, dum conatur oſtendere primum Galenum in ſcientia medicinali tradenda uſum fuiſſe demonſtratiua doctrina, quæ ex prioribus probat, quam idem Pluſquam Commentator putat eſſe reſolutiuam, ex qua Galenus dixerit omnes artes conſiſtere ſecundum rationem. Neq; hic ueram intelligens relationem illius uerbi Quæ, quod refert rationẽ finis, & non doctrinam, ut antea diximus. Cauſa, inquit Pluſquam Commentator, propter quam nullus antiquorum in medicina tradenda uſus fuerit iſta doctrina, quia in alijs non dubitamus philoſophos, qui præceſſerũt Galenum, ſicuti Ariſtotelem & alios, ipſa uſos fuiſſe, quia hæc doctrina ualde difficilior eſt cõpoſitiua. Facilius enim eſt uidere quod homo habeat febrẽ, quia habet ea quæ conſueuerunt concomitari febrem, quæ ſunt dolor capitis, ſitis, pulſus, ſpiſſitudo, & inteſio caloris urinæ, & ſimilia, quàm diſcernere propter

D quid habet febrem, quia habet putredinem calefacientem. Antiqui enim quaſi rudes & primi ſcriptores de medicinalibus à ſenſibilibus inchoantes, à poſterioribus uenerunt in non ſenſibilia, & priora. Hæc omnia ad literam Pluſquam Commentator, quem nollem tam male de antiquis medicis iudicaſſe, quum præſertim Galenus, cuius comparatione eoſdem medicos ueteres deprimit Pluſquam Commentator, ipſe inquam Galenus, fateatur plures ex illis fuiſſe nõ ſolum in medica, ſed etiam in logica arte præclaros, ueluti Herophilum, quem ob præcipuam diſſerendi facultatem dialecticum nominat: atq; Philotimum etiam condiſcipulum, & amborum præceptorem Praxagoram, qui ab Aeſculapio originem duxit, & cum his atq; ante hos Eraſiſtratum, Dioclim, Mneſitheum, Dienchen, Philiſtionem, Pliſtonicum, & Hippocratem ipſum, quibus Galenus conqueritur in primo libro Artis curatiuæ auſum ſe præponere Theſſalum quendam omnis methodi & demonſtrandi ſcientiæ ignarum. Atq; ſi libuit Pluſquam Commentatori omnes priſcæ ætatis medicos damnare hebetudinis, non debuit profecto intra eandẽ aleam etiam Hippocratẽ ponere, ex cuius Phyſiologia multa Platonem, plurima etiam Ariſtotelem accepiſſe, pluribus in locis Galenus teſtificatur. Qui etiam in libro cui titulum fecit, Quod optimus medicus ſit etiam optimus philoſophus, hoc ipſum nullius alterius, ſed tantum Hippocratis probat argumento, qui non ſolum medicam facultatem, ſed omnes philoſophiæ partes fuerit adeptus. Cuius etiam imitatione alios medicos exhortatur ad artem logicam capeſcendã. Tantum à uero abeſt id quod ſcripſit Hali, & uulgus medicorum poſtea credidit quidem, Hippocratem medicum excellentẽ, ſed logicæ artis expertem, ſolaq; ingenij bonitate tantum, quamuis habetur ab omnibus, medicum euaſiſſe. Quare ſi nihil aliud, hoc unum ſaltem Galeni de Hippocrate teſtimonium probare poſſit falſum eſſe Pluſquam Commentatoris de antiqua medicina iudicium. Vnde & falſa eſſe expoſitio

Libris primo ſecũdo & tertio.

A poſitio cōuincitur, per quam innuit, primū Galenū ex medicis uſum fuiſſe doctrina reſolutiua, per hanc intelligens demonſtrationē Propter quid, quam nulli antiquorum propter rationis ſubtilitatē potuerunt attingere. Sed quantū pertinet ad dignotionē febris, neq; Galenus arbitratur aliam eſſe methodum magis artificioſam, per quam poſſimus morbos latentes & eorū cauſas perquirere, quàm ex accidentibus quæ ſunt poſteriora. Sic enim & ipſe decernit in libro de conſtitutione artis medicinalis, ubi quemadmodū uera methodus huius partis totius ſciētiæ medicinalis inueniatur, oſtendit. Neq; uero quum eundē methodū ad particulariora deducit, quod facit in libro qui apud latinos De interioribus inſcriptus eſt, aliā ſequitur ad membrorū intrinſecas paſſiones inueniendas doctrinæ rationē. Quare ſi medici ueteres qui hac inceſſere uia rudes fuerūt, iudice Pluſquam Commentatore, rudis etiā Galenus, qui eandem uiam ſecutus eſt, & alios docuit. Sed multo etiā maioris ignorantiæ arguūtur antiqui medicinæ interpretes ex ſententia Conciliatoris, ſi neq; ex effectibus quod ſit humanæ rationi facillimū, ſciuerint demonſtrare. Quis enim non uideat hoc ſequi? ſi primus ex ipſis Galenus doctrinam ex notione finis, id eſt ex effectibus præcedentem (ſic enim exponit Cōciliator) in ſcientia ſcripſerit medicinali, ex qua doctrina, ut idem cenſet Cōciliator, omnes artes cōſiſtunt ſecundū rationē, id eſt doctrinæ ſecundū quas facilius procedit humana ratio, & quales ſunt in quibus ſeruatur proceſſus Quia: Nā ſic etiā exponit uerba Galeni Conciliator, uel Iacobus Forliuienſis pro Conciliatore: quæ ſanè expoſitio uideri facit antiquos medicos, nō dico homines rudes atq; hebetes, ut iudicat Pluſquam Cōmentator, ſed planè aſinos extitiſſe, qui etiam illū proceſſum ignorauerint, qui ſit humanā habenti rationē expeditus. Hanc tamen uetuſtatis infantiam tentauit Iacobus per alia uerba quodammodo excuſare, inquiens nullū medicum ante Galenum ſciuiſſe effectos debitos, & ſecundū ordinē in aliqua doctrina totali in ſuas cauſas reſoluere. Sed neq; Galenus ſciuit hoc facere, ut manifeſtū ſe reddit in decimotertio Artis curatiuæ, ubi agit de medicinis dolorū qui ex uenenis proueniūt, quas dicit nō ratione, ſed ſola experiētia cognoſci. Et ubicunq; fatetur plurima eſſe, quorū cauſæ ſunt inexplicabiles, quoniā nō à qualitate fiunt manifeſta, ſed à tota ſubſtātia, quam formā ſpecificā uocant. Neq; etiā Galenus uſquam totius ſcientiæ medicinalis doctrinā ita ordinauit, ut ſemper utatur demonſtrationibus Quia, & non aliquando Propter quid. Quare ut uenerabilē antiquitatē tanta ignorantia, & ſimul Galenum inanis iactantiæ ſuſpicione liberemus, illud dicamus, quo nihil ſit credibilius, quod etiā antea diximus, primū Galenū ſub tali ordine qualē nos declarauimus, reſolutiuo, totā artem medicinalē docuiſſe, quum nulla extent de medicina ſcripta, quæ dictū ordinē in tota medicina tradenda ſeruent: Adeò ut bono periculo poſſimus aſſeuerare, Galenū primū nō modo ex medicis ſed etiā philoſophis, doctrinā ſcripſiſſe ex notione finis incipientē, & ordine factā reſolutiuo. Quod ſi etiam ultimū fuiſſe dixerimus, nō procul à uero deflexerimus. Neq; enim obſtat id quod de ſe ſcribit Haliabas, quod modū elegerit doctrinæ diuiſiuum: nam ut etiā antea ſæpe declarauimus, aliud eſt modus doctrinæ, aliud ordo. Neq; repugnat modus doctrinæ diuiſiuus ordini doctrinæ cōpoſitiuo. Et nihil inſuper obſtat eſſe quinq; modos doctrinarū, quot Haliabas enumerat: ordines uero tantūmodo tres, quāuis uideatur neq; ipſe Haliabas ſciuiſſe doctrinarum modos ab ordinibus ſeparare atq; diſtinguere, & ideo anſam dediſſe poſterioribus tot ac tantarū de numero doctrinarū altercationū. Ait enim idē Haliabas Galenū in Arte parua uſum fuiſſe modo doctrinæ definitiuo: quod tamē falſum eſt, quū in eo libro Galenus neq; doceat definire, neq; ſemper definiēdo procedat. Sicubi uero Gale-

Iacobus Forliuienſis.

Plurima uero eiuſmodi ſunt quæ nō explicari poſſunt: quæpropter & à medicis proprietates arcanæ, & ſpecificæ uirtutes appellantur.

B

C nus ſeruauit modũ doctrinæ definitiuæ, hoc fecit in libro qui ad ipſum refertur au torem, ſub titulo Definitiones medicinales: in quo libro omniũ ferè rerum de quibus in medicina tractatur, ſolæ ſcribũtur definitiones. Sed redeamus ad Pluſquã Commentatorem, qui et ſi eum minori dedecore ueterum medicorũ, non minus tamen & ipſe barbare quàm Conciliator, atq; à uero Galeni ſenſu diſſone exponit eadem uerba Galeni, quæ in ueteri translatione ita ſcripta leguntur: Nemo tamen ante nos ſcripſit eam quæ ex notione finis incipit, ex qua omnes artes conſiſtunt ſecundum rationem, id eſt, ut Pluſquam Cõmentator exponit, ex qua extrahitur quæſitũ in omni arte per uiam rationis, id eſt per cauſam. Cuius expoſitiõis falſitatem oſtendit liber Galeni de cõſtitutione artis medicinalis, & antea à nobis ſuper hoc allegatus. In quo libro Galenus per eadem ferè uerba eandẽ ſcribit ſententiam ex ueterũ philoſophorũ autoritate, quod uidelicet unicuiq; arti à notione finis ſua ſit conſtitutio, & per notionem finis neq; cauſam remotam, neq; effectum poſtremum intelligit, ſed finem artis mente conceptum, ut ſuprà declarauimus. Per artes etiam hoc ipſo in loco Galenus intelligit neq; ſolum ſciẽtias ſpeculatiuas, in quibus eſt uſus demõſtratione Propter quid, ut intelligi uult Pluſquam Cõmentator, neq; ſolas actiuas, uel factiuas, quæ ex effectibus, & omnino ex poſterioribus ratiocinantur, quemadmodũ opinatur Conciliator: ſed utraſq; ut plurimũ artium exemptis manifeſtat, quorum aliæ finem habent ὅρος, aliæ contemplationẽ. Adeò illi duo Galeni expoſitores quanto ingenioſius ſtuduerunt uerba eiuſdem Galeni antea dicta interpretari, tanto magis à uero illorum ſenſu deuiarunt. Verba etiam illa Galeni de ſuis libris, quibus licet uti ad tres doctrinas, neuter poteſt

Per artes quid Galen. ſentiat.

D autor ſuæ opinioni ſtante uerborum eorum ſerie ut iacent accommodare. Quare coactus eſt Pluſquam Cõmentator non ſolum uerba, ſed etiam ſenſum figura inſueta, fruſtra accerſita, peruertere. Longior fuerim ſi uelim etiã alias adducere rationes, utranq; opinionẽ probantes longe à uera Galeni ſententia deerrare. Poſſunt enim hæc quæ iam a nobis ſunt dicta ſufficere, ſi etiam illa addantur quibus ſe mutuò utraq; opinio deſtruit, quum hoc ipſum ſit maximũ duarũ opinionum falſitatis argumeutũ, quod duo pari autoritate magiſtri tantum in illis opinionibus ſibi inuicem aduerſantur, quantum duo cõtraria quæ ſimul quidem falſa eſſe poſſunt, ſimul uero ueritatem continere non poſſunt. Vnde illud eſt conſecutum, ut ſcindẽte ſe in duas partes turba ſcholaſticorũ, quæſtio de doctrina reſolutiua nondum ſatis fuerit reſoluta. Nos uero, ſi qui futuri ſunt qui non ſe adeò autoritatibus manciparunt quin poſſint etiam fauere, atq; accedere ueritati, ſperamus his multũ caliginis, & multum ademiſſe tenebrarum. Quare ſicuti pridem à medicis qui in operibus artis exercitantur, gratiam exegimus, tiro ſerpente indicato, quem illi ex Aegypto uſq; quæritabãt, cuius tamen foret magna in Italia abundantia: ita nunc á iuuenibus medicinæ ſtudia æmulãtibus poſcimus, dempto illis tam lõgo diſpendio, de tribus doctrinis ſecundum Galeni opinionem diſputanti. Hæc enim quæſtio modo quo fuit hactenus in publicis literarum gymnaſijs pertractata, perplexas habet & inexplicabiles dubitationes. Secundũ autem opinionem noſtram, ſi ad doctrinarũ ordinem transferatur, tam facilem habet explicationẽ, ut me pœniteat in ea diſſoluenda tam multa uerba cõſumpſiſſe. Sed non facile fuit inueteratas opiniones illorum, præſertim qui habentur ætate noſtra non ſolum in medicina, ſed etiam in omni philoſophia admirabiles, ex animis hominum, qui ut aſſueti ſunt ita loquuntur, tentare abolere. Atq; utinam hic noſter conatus non modò temerarius, ſed penè furioſus à pluribus non iudicetur. Sed ſentiant alij quid uelint, nos hæc omnia animo nõ ad oſtentationẽ, ſed ſolam ueritatẽ ſpectante, ſcripſimus,

de

A de tribus ordinibus doctrinarũ ſecundum ueram (niſi noſtra fallimur opinione) Galeni ſententiã:quibus ſi fortè plures inueniantur,nos tamẽ de illis diſſeruimus quos Galenus præcipue approbauit, ſub quibus & ipſe totam ſcripſit medicinalem ſcientiam,ſed ſub duobus conpendioſam,ſub tertio uero uberiorem faciens tractationem. Et hoc quidem breuiſſimo epilogo noſtra omnis diſputatio quadã ueluti coronide terminetur.

NICOLAI LEONICENI DE TRIBVS DOCTRINIS ORDINATIS SECVNDVM GALENI SENTENTIAM LIBRI FINIS.

CAESAR OPTATVS NEAPOLITANVS NIcolao Leoniceno medico excellentiſſimo S. D.

ANTIQVORVM mos fuit probatiſſimus,uir clariſſime,ut ſiquis rerũ peritia præſtantiſſimus haberetur, illum etiam docti uiri in dubijs & obſcuris tanquam Apollinem cõſulerent. Hoc tecum noſtris temporibus meritò, non modo noſtri Itali, ſed alienigenæ identidem agunt. Dubitauimus proximis diebus dum de uirtutibus naturalibus ſcriberemus,de uirtute formatiua, materia quidem difficilima, & ab omnibus exoptata:
B quod tuo ad nos doctiſſimo & facũdiſſimo libro ita expediſti,ut nemo ſit qui in illa amplius aliquid deſideret: Nam tu Ariſtotelis & Platonis dubios de formatiua ſermones, & Hippocratis & Galeni ancipitem ſententiam in hac difficultate penitus declaraſti,& adeò abſoluiſti,ut pace neotericorũ dixerim,clarum ſit illorum commenta in hoc ſicuti in alijs multis,ab Ariſtotelis & Galeni opinionibus plurimũ aberraſſe. Nec mirum,quandoquidẽ opera Galeni deprauata, & adeò mutila circunferantur, ut ab illis rectè ſenſa elici nõ poſſint, iudicio omnium qui ſapiunt. Abſit aſſentatio. Tu noſter es Hierofantes. Tu primus, uerusq; Galeni interpres,in te uno confidimus omnes,qui latinum & integrum Claudium Galenum nobis reddas. Age igitur mi Nicolaẽ,quandoquidem in te omnis noſtra & poſterorũ ſita ſit ſpes, eam ne fruſtreris: collige, æde quas diu parturis Galeni translationes,ut illis fruamur. Vale. Calend. Septemb. M. D. VI.

NICOLAI LEONICENI

VICENTINI DE FORMATIVA VIRTVTE AD DOCTISSIMVM MEDICVM CAESAREM OPTATVM NEAPOLITANVM, LIBER.

VTRA ſit uerior opinio, Galeni ne an Ariſtotelis, de uirtute ille quam neoterici formatiuam uocãt: Et ſit ne eadem uirtus ſubſtantia, uel accidens, tua à me epiſtola quæris: quod nihil aliud eſt quærere, niſi quid ſit uirtus formatiua tantopere â medicis atque philoſophis decantata. Vt autem ex eadem epiſtola accepi, quum hæc ipſa quæſtio inter te ac doctiſſimum uirum Franciſcũ Caballũ multis audientibus agitaretur, chalcographus quidam importuna interpellatione ſuperuenit, qui meas ex Galeno trãslationes, quas mirum in modũ cupit imprimere, efflagitauit. Quam tu chalcographi uocas importunitatem, ego pro bono omine accipio, quod uidelicet futurũ ſit ut hæ atq; aliæ ſimiles, quæ quotidie tractantur à medicis quæſtiones, facilime diſſoluantur: ſi modo eædem translationes alijs quæ hactenus fuere in uſu clariores ac fideliores, ut ſanè laboraui facere, abs te atque alijs tui ſimilibus iudicabuntur. Sed de his quid acturus ſim, te priuata epiſtola admonui. Interim dum illę publicant̃, nolui tuum ſuper re quæſita deſideriũ cõmorari, quæ tantam habet ambiguitatẽ, ut penè inexplicabilis uideatur. Nam & illi ipſi inter quorum opiniones me arbitrum facis, uiſi ſunt etiam atq; etiã addubitaſſe de uirtute formatiua quid eſſet. Galenus ſiquidẽ in quodam ſuo libello cui titulũ fecit De formatione fœtus, ingenue fatetur ſe cauſam quæ hos format ignorare. Et quoniam libellus idem nondũ in latinam trãslatus eſt linguam, Galeni uerba illud teſtantia quod diximus, nõ aggrauabor apponere. Sunt autem hæc: Equidem fateor me de cauſa quæ format fœtum, dubitare. Nam quum uideam ſummam in hac formatione ſapientiã ac facultatem, neq; illam quę ſemini ineſt animã, quam Ariſtotelis ſectatores uegetabilẽ uocant, Platonici aũt cõcupiſcibilẽ, Stoici uero neq; omnino animam, ſed naturam appellant, fœtum formare exiſtimo, quum nullius ſit ſapientiæ particeps, ſed omnino irrationalis. Neque uero ab hac omnino poſſum diſcedere, propter magnam filiorum ad parentes ſimilitudinem. Ab anima autem rationali, quæ poſt partum uiget in tota uita, puto abſcedendum, quoniam nos ante ſectionem neque corporis partes, neque operationes cognoſcimus. Quum uero quidam ex platonicis præceptoribus mihi dixiſſet animam, quæ per totum extenditur mundũ, eſſe illam quæ format conceptus, haud equidem indignam iudicaui, cui talis ars atq; facultas adſcriberetur. Nõ potui autem adduci ut etiam ſcorpiones, phalangia, muſcas, uiperas, culices, uermes ab eadẽ formari putarem: proximam eſſe cuidam impietati talem opinionem arbitratus. Neq; uero mihi uidetur rationabile, materiæ animam ad tantum artificium peruenire. Hoc igitur unum de cauſa animalia formante, reor poſſe pronunciari, quod ſit ars atque ſapientia ſumma: Sicuti & quod poſt formationem in tota uita corpus tribus motionum principijs gubernetur, & illa quæ ex cerebro per neruos ac muſculos fit, & altera quæ ex corde per arterias, altera quæ ex hepate ꝑ uenas. Ex quibus aũt principijs ita auſus ſim opinari, in multis oſtendi tractatibus, ac pręcipue in quo de animę agit̃ ſpeciebus. Nullibi tamen auſus ſum ſubſtantiã animæ demõſtrare. Nondũ enim à quopiam linealibus demonſtrationib. probatum inueni, an ſit corporea uel incorporea, an omnino æterna uel corruptibilis,

Corpus tribus motionum initijs regitur.

ut in

A ut in libro de animæ ſpeciebus explicaui. Hæc quidem Galenus. Ex quibus uerbis apparet ipſum non ſatis habuiſſe conſtitutũ, quidnam foret de illa uirtute, quæ animalia format, ſentiendũ: Niſi quod uidetur propter eam quã nati continent generantium ſimilationem, ad animã uegetabilem quæ ſemini ineſt, ut ait, declinare. Quam etiam opinionem, tanquã Hippocratis, idem Galenus ſequitur in libro de ſemine, quemadmodũ eius uerba oſtendunt, quæ eodem libro in hunc modũ ſcripta leguntur: Rurſus uero ad primã animalis ſtructurã ſermonem transferamus, & ut nobis ordine certo & modo quodam clariore procedat totum cõceptus opificium, in quatuor tempora diſtribuamus. Primum quidem in quo uel per aborſus, uel per ſectiones adhuc forma ſeminis prævalere conſpicitur: quo quidem in tempore præ omnibus admirantibus Hippocrates nondum cõceptum nominat animalis ſtructurã, ſed ueluti nuper diximus in ſextana genitura quæ excedit, quũ quidem ſanguine plena fuerit, cor uero, cerebrum et hepar nondum articulationẽ & formam receperint, quandam tamen coagulationem & magnitudinem effatu dignam habuerint. Secundũ hoc tempus exiſtit, in quo carnoſa iam eſt & non iam ſimilis genituræ ſubſtantia conceptus. Quare neq; Hippocratem inuenies huiuſmodi ſpeciem, genituræ nomine appellantem, ſed iam conceptum uocantem, ut diximus. Tertiũ ſubinde tempus, quo iam ut diximus tria principia manifeſte uidentur. Reliquæ uero partes quandam ueluti ſubſcriptionem & umbratilem tantum deſignationem oſtendunt. Nam ſatis conſpicuam circa tria principia formationem intueberis, exiliorem earum quæ ad Venerem pertinent partium, & multo magis illarum quæ manus pedeſq; conſtituunt. Hæ enim poſterius, ut ſic dixerim, ramificantur. Simili enim uocabulo Hippocrates utitur dum uult oſtendere
B eam quam habent ad ramos proportionem. Quartum uero & ultimũ tempus eſt quando iam manus & pedes ſunt articulati, quo non amplius fœtus, ſed infans ab admirabili Hippocrate cõceptus nominatur: quo tempore & calcitrare, & iam ut perfectum animal moueri inquit. Verum non eſt, ut nunc de eo tanquã de animali faciam mentionẽ. Nam ſicuti planta omnem habuit à ſemine generationẽ ac formationem, ſtatim ab initio non ſecus atq; illa, duplex oſtendens motus principiũ ac formationis. Qualis enim eſt plantis radicatio in partibus terræ inferioribus, talis eſt in ipſis conceptibus in utero ſecundum locos arteriarũ ac uenarum inſitio. Qualis etiam eſt truncus in plantis uerſus ſuperius, tales propagines fœtibus à tribus principijs exortæ. Rurſus autem ſicuti plantæ duplicem habent ex ſemine exortum: nam ſurſum quidem truncũ producunt, & ramos uſq; ad ultima germina operantur, radices autem ad inferiora partiunť: ſic & fœtibus multæ ſunt partitiones uenarũ atq; arteriarũ, quæ ueluti trunci in totum conceptũ tanquam radices, in uterum terminantur. Quare non iniuria poſſemus Ariſtotelem in hac parte reprehendere, non ob id tantum quod illa non peruiderit, quæ oportuit ipſum peruidere, uerũetiam quod ſuorum oblitus eſt dogmatum, & naturæ opera aliter in plantis, aliter in animalibus explicauit. Nam quũ in plantis intuereť ſemen in ſe non ſecus quàm principiũ efficiens etiã materiale cõprehendere, alterũ tamen iſtorum animalibus adimit. Atqui hoc unũ ſufficiebat homini naturę operũ peritiſſimo, genituræ utilitatẽ cõmonſtrare. Si enim nõ alijs potentijs natura ſeminis efficit plantã, alijs aũt animal, ea quæ in plantis uidenť trãsferre ad animalia. Nam eandem inuenies in utriſq; proportionẽ. Nam plantæ ſemen eget terra, ut ex illa nutriatur, atque augeatur. Sed ob eaſdem cauſas & noſtrum corpus utero eget. Radices ſibi generat planta quibus attrahat alimentum è terra: & loci uaſa quæ ſunt fœtus radices, truncum ex ſe ſemen profert, & ab hoc ramos, deinde alios ſuper

C alios rurſus ramuſculos uſq; ad extrema germina. Hic quoque intuere aortam, & cauam uenam, & ſpinam. Rurſus autem ab his propagines multas, quæ ueluti rami in alios minores diuiduntur: qui rurſus ſcinduntur in alios, nunquam ceſſante propagatione, donec ad ultimas ueniat germinationes. Si uero ſanguineam hanc plantam cernis, aut carneam, non propterea oportet exiſtimare aliud eſſe q̃ plantam: nam opifex idem utriq; eſt, ſcilicet anima uegetabilis. Verum illud aduertas, quod hæc planta futura eſt animal, non quod illam quam prius habuit potentiam abijciat, ſed alteram ſuperacquirit: debet autem de loco ad locum moueri, quum iam perfecta eſt & ſoluta ab utero. Verum non poſſet hoc facere ſi frigida foret, ut ſtirpes, & non haberet ingrediendi inſtrumenta: ut igitur moderatũ calorem obtineret, quantus naturæ animalis congruit, & loca poſſet commutare, duo obtinuit principia: alterum inſtrumentorũ quæ calorem ſeruant naturalem, alterũ eorum quæ omnibus ſecundum electionem actibus ſubminiſtrant. Sed his quidem poſterius utetur. Principiũ uero uegetabile primum omniũ habet quod non ex ſanguine, ſed ex ipſo ſemine arteriam, & uenas, & neruum, & os, & membranã efficit. Nam & hæc antea ſuperiori ſermone à nobis ſunt expoſita. Ex his Galeni uerbis liquidò apparet ſecundum Hippocratis opinionem, quam Galenus hoc loco ſequitur, ſemen eſſe animatum, & uirtutem formatiuam quæ arterias, uenas, neruos, & ſimilia efficit inſtrumenta, eſſe animæ uegetabilis poteſtatẽ. Neq; aliud Galenus ſenſit ex eiuſdem Hippocratis autoritate, quum in prima particula aphoriſmorũ in expoſitione decimiquinti aphoriſmi ſcripſit hæc uerba: Huc quoq; animum aduerte, quod alijs quidem ratio difficilis, ſoli autem Hippocrati atque eius ſectatoribus facilis: neq; enim aliud quicquã eſt quod ab initio formauerit animal,

D ſicuti rurſus neq; quod auxerit, uel uſq; ad mortem nutriuerit, niſi calor hic naturalis, de quo nunc ſermo habetur. Hæc quidẽ Galenus: quem nemo putet ob id à ſeipſo, aut ab Hippocrate diſſentire, q̄d aliquando animalis formationẽ animę tribuit uegetali, quæ in ſemine exiſtit, ueluti in libro de ſemine: aliquando calori naturali, ut in prima particula aphoriſmorum. Nam hoc quoq; Hippocratis eſt dogma, eandem rem eſſe animam & calorem naturalem, ſiue corporis temperaturã quam complexionẽ uocant. Et licet Galenus multis in locis fateatur ſe animæ ſubſtantiam ignorare, ſicuti & cauſam animalium conditricem in libro de generatione fœtus, in pluribus tamen animam eſſe quandam temperaturã, tum ex Hippocratis, tum ex ſua etiam opinione nobis inſinuat. Sed quoniam hoc cõmune Hippocratis atq; Galeni dogma alibi latius explanauimus aduerſus Conciliatorem, qui differentia decimaoctaua huiuſcemodi opinionem Hippocratis quidem eſſe concedit, ſed à Galeni dogmatibus omnino conatur eximere, hoc in loco ſufficiet eiuſdem Galeni uerba tantũmodo adducere, quæ in libro de palpitatione & rigore ita ſcribuntur: Totum quidem corpus conſpirare & confluere arbitror. Calorem uero naturalem nõ aduentitium, neq; poſteriorem generatione animalis, ſed ipſum primũ & ab initio congenitũ, & natura atq; anima nihil aliud exiſtit quàm iſte calor, ita quod ſi ſubſtantiam ipſius per ſe mobilem & ſemper mobilem intellexeris, nõ aberrabis. Si ergo calor iſte natiuus à noſtræ generationis initio ſemini inditus, eſt anima illa quæ nos generauit ſecundũ Hippocratis opinionem, nõ differt Galenus uel à ſeipſo, uel ab Hippocrate, quum Hippocratis opinionẽ aliquando ſectatus uel animã uegetabilem, uel calorem naturalem ſemini inditum ait eſſe membrorũ animalis opificem. Tu uero ex his quæ ſunt à nobis hactenus exarata, iam per te collige, quid de uirtute animalia formante Galenus ipſe dubitauerit, & quid ex Hippocratis opinione nonnunquam ſcriptitarit. Vtinam tam

facile

A facile foret ſuper eadem re Ariſtotelis ſententiam explicare: ſic enim tuæ quæſtioni melius poſſemus ſatisfacere. Sed mos fuit huius philoſophi res difficiles admodum mira obſcuritate tractare: ſimili aſtu, ut aiunt nonnulli, quo ſepia piſcis atramento aquam infuſcat, ne à piſcatoribus capiatur. Adnitendum tamen eſt pro uiribus, ut partim ex eius ſcriptis, partim expoſitorũ, qui clariſſimi habentur in ſecta Peripateticorũ, quæ fuerit opinio Ariſtotelis de uirtute quam formatiuam uocãt, eliciamus. De hac ipſa tamen etiã Ariſtotelem dubitaſſe Galenus teſtatur libro ſecundo de cõplexionibus, ubi ita ſcribit: Vtriq; autem à ueritate aberrant una quidem & cõmuni ratione: quoniam de omni corpore & una partium conantur demonſtrare: ſecundo loco, quia uirtutis naturalis formatricis non meminerũt, quæ artificioſa eſt, & conſentaneas moribus animæ particulas format. De hac enim etiã Ariſtoteles dubitauit, ne forte diuinius quoddam principium exiſtat, & nõ ſecundum calidũ & frigidum, humidũ & ſiccum. Scribit autem hæc uerba Galenus aduerſus illos qui ex naſi ſimitate humiditatem, ex aduncitate ſiccitatem, ex oculorũ itidem magnitudine humiditatẽ arguebant. Quos dupliciter à uero inquit deuiare, & quia ex uno membro totius corporis cõplexionem putabant poſſe dijudicari, & quia formationis opus ſolis qualitatibus tribuebãt. Dubitaſſe autem Ariſtotelem, an hæc ſit naturæ opus in calido, frigido, humido, & ſicco operãtis, an alterius cauſæ diuinioris, conſtat ex uerbis eius, quæ circa finem quarti Meteororum ſcripta legũtur in hunc modũ: Talia autem à frigido, & calido, & motibus fiunt commixtis. Quæ uero ex his conſtant partes diſſimilares haud utiq; uiderentur, ueluti caput, manus, aut pes. Sed quemadmodũ quod fiat æs uel argentum frigiditas cauſa eſt, & motus eius: Quod autem ſerra, uel phiala, uel capſula, non etiam. Sed hic

B quidẽ ars, illic uero natura cauſa, uel alia cauſa. Hæc quidẽ Ariſtoteles: qui quum ſuperius calidum & frigidum, atq; horum motus partium ſimilarium animalis cauſas aſſignaſſet, poſtea ſubinfert: Quæ uero ex his conſtant, ſcilicet partibus ſimilaribus partes diſſimilares, non ex primis qualitatibus, uel ex alijs quæ ex primis ortum habent, ueluti ex mollitie, & duritie, aut reliquis, de quibus inibi loquitũ Ariſtoteles, ſuam eſſentiam ſortiuntur: ſed ſicuti æs quidem & argentũ à calido & frigido, atq; eorum motibus generantur: quæ uero ex his conſtant ueluti phiala, aut ſerra, nõ eandem habent cauſam generationis. Eodem modo ſe res habet in partibus diſſimilaribus animalis, quæ conſtant ex ſimilaribus: differunt tamen in hoc quod phialæ quidem & ſerræ, quarum altera fit ex argento, altera ex ferro, & ars cauſa eſt. Partium autem diſſimilarium animalis natura, uel alia cauſa. Ex his uerbis poſtremis Ariſtotelem fuiſſe ambiguum apparet, natura ne an alia cauſa ſuperior ſit partium diſſimilarium operatrix, quarum cauſas non poſſumus ad primas ſecũdas ue qualitates referre. Galenus quoque duas uirtutes facit totius generatiuæ: alteram quæ per calidũ, quæ alteratiua uirtus, ſeu immutatiua prima: quæ formatiua, ſeu ars optima, ſiue uirtus agens præcepto ſui creatoris agit: ac frigidũ & humidũ, ac ſiccum, quam uocat ipſe alteratiuam, Auicenna immutatiuam primã: Quæ uirtus, ut inquit Galenus libro primo de uirtutibus naturalibus, facit os, cartilaginem, neruũ, membranas, ligamentũ, uenas, & reliqua huiuſcemodi quæ ſecundum primam animalis generationem natura operatur: Vt autem ait Auicenna, ſententiam Galeni uolens ut uidetur interpretari, quæ dat neruo complexionem propriam, & oſſi cõplexionem propriam. Alteram quam & Galenus & Auicenna quoq; formatiuã nominant, quæ ut inquit Galenus, facit membrorum ſimilarium compoſitionẽ, & eorum quæ innaſcuntur cõplicationem, & in inteſtinum propaginem, & formã cauitatis interioris: Vt autem Auicenna ſcribit, quæ præce

Duæ uirtutes totius generatiuæ.

C pto ſui creatoris facit membrorũ lineationem, & ipſorum figurationem, & cõcaui tatem, & foramina, & lenitatem, & aſperitatem, & eorũ ſitus, & ipſorum continui tates. Hanc uirtutem Galenus ait eſſe artificioſam, uel potius artem optimam atq; ſupremam: Auicenna, ex præcepto ſui creatoris omnia quæ agit, operãtem. Hæc uero illa eſt, de qua Galenus atq; Ariſtoteles in uerbis ſuprà allegatis dubitarunt, ne ſit uirtus diuinior, quàm illa quæ ui agit qualitatum primarũ, aut ſecundarum. Hanc autem Ariſtotelis dubitationem quidam recentiores philoſophi ac medici, qui Arabum doctrinam ſequũtur, mihi uidentur accipere ex ſecundo libro de ge neratione animaliũ, ubi Ariſtoteles, Theodoro interprete, ſcribit hæc uerba: Ineſt enim in ſemine omniũ quod facit ut ſint fœcunda ſemina, uidelicet quod calor uo catur: Idq; nõ ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus qui in ſemine, ſpumo ſoq; corpore cõtinetur: & natura quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondẽs ele mento ſtellarum: Quam ob rem ignis nullum animal generat, neq; conſtitui quic quam denſis, uel humidis, uel ſiccis uidetur. At uero ſolis calor & animalium non modo qui in ſemine continetur, uerumetiam ſi quid excrementi ſit, quanquam di uerſum à natura, tamen id quoq; principium habet uitale. Cæterũ calorem in ani malibus contentum, nec ignem eſſe, neq; ab igne originem ducere, apertũ iam ex his eſt. In his uerbis Ariſtoteles nõ dubitanti, ſed planè aſſerenti ſimilis eſt. Cõper tum enim iam eſſe inquit, nõ autẽ etiam dubitari, ſit ne calor naturalis cõtentus in animalibus ignis, an natura aliqua elemento ſtellarum proportionalis. Neq; adeò hoc loco de uirtute formatiua ſeminis loquitur, de qua ait Galenus ipſum dubitaſ ſe, quantum de alteratiua ſiue immutatiua, quæ ſecundum Galenum facit os, car nem, neruum, & oſſa, & omnes denique partes ſimilares animalis: de quibus neq; D ambigit Ariſtoteles, quin ui calidi, frigidi, humidi, ac ſicci generentur, ut cõſtat ex uerbis libri quarti Meteororum paulò antea in medium adductis, & ex multis lo cis libri de generatione animalium probari poteſt. Atq; ex illo præcipue ſecundi de generatione animalium, ubi ita ſcribit: Ortus ſimilarium frigore calore'ue agi tati conſiſtunt, coquunturq; alia frigido, alia calido, quarum rerum differentias ali bi expoſuimus antè, ſcilicet quæ humore igneq; reſolubiles, quæ humore irreſo lubiles, igneq; illiquabiles ſint. Per uenas igitur & meatulos quoſq; alimentũ re ſudans, quemadmodum aqua per crudiuſculam cutem in carnem, aut carnis pro portionalem conuertitur frigore conſiſtens, ex quo fit ut caro ab igne reſoluatur. Sed quæ terrena admodũ oriuntur parum humoris calorisq; adepta, hęc dum re frigeſcunt humore cum calore euaporante, duram terrenamq; formam capiũt, ut ungues, cornua, ungulæ, roſtra: quamobrem igne hæc molliuntur. Sed humore nonnulla liqueſcunt, ut ouorum putamina. Nerui & oſſa calore interiore cõficiun tur, ſicceſcente humore: Quamobrem oſſa reſolui ab igne non poſſunt, quo mo do teſta indiſſolubilis eſt. Hoc in loco Ariſtoteles palàm facit ſe de ortu ſimilariũ idem ſenſiſſe, quod etiam libro quarto Meteororũ, neq; uel minimum de ipſis du bitaſſe quin calido, frigido, humido, & ſicco eorũ generatio perficiatur, quæ eſt al teratiuæ uirtutis operatio: Sed potius de diſſimilaribus, quorũ ſtructura & cõpoſi tio admirabilis nõ uidetur ad primas qualitates poſſe referri. Nam & quarto libro Meteororũ ad quem nos remittit hoc loco quum ait, ſe harum rerum differentias alibi expoſuiſſe, naturã fatetur calido, frigido, humido, ſicco'ue utentem, partes ſi milares animaliũ efficere: Partes autem diſſimilares, ut caput, manus, & pedes, nõ ita uideri conſtitui, ſed ab alia cauſa atq; aliter operante. Forte autem quiſpiã exi ſtimauerit Ariſtotelem libro ſecundo de generatione animalium, ubi ea uerba ſcri bit: Quamborem ignis nullum animal generat, neq; cõſtitui quicquam denſis, uel humidis,

Similarium generatio nõ eadem.

A humidis, uel ſiccis: uideri uirtutem potius formatiuã nobis innuere quàm alteratiuam: quam certum eſt autore Galeno, Auicenna'ue, & reliquis medicis, in membrorum ſimilariũ generatione per has agere qualitates, ex quibus ait Ariſtoteles, nihil uideri cõſtitui. Nos autem ita opinantibus atq; obijcientibus reſpondemus, *Reſponſio ad obiectionem.* non negare ſimpliciter Ariſtotelem calorẽ eſſe cauſam ſaltem inſtrumentariã partium animalis: ſed calorem igneũ, hoc eſt ab igne factum, qui, ut inquit idem Ariſtoteles libro primo Meteororũ, eſt exceſſus & ueluti feruor, & ut in libris de generatione & corruptione teſtat̃, glaciei proportione reſpõdet. Sicuti enim illa humidi concretio eſt propter exceſſum frigoris, ſic ignis feruor caloris eſt & ſuperabundãtia: quare ut & inibi ait, nihil ex glacie, aut igne generatur. Vt autem hoc in libro ſecũdo de generatione animalis, nihil ex humidis, aut ſiccis ignitis, id eſt igne peruſtis, generari uidetur (ſic enim uerior ſenſus Ariſtotelis explicatur, q̃ in uerbis quæ habentur in translatione Theodori) neq; conſtitui quicquã denſis, uel humidis uel ſiccis uidetur. Has enim qualitates, ſcilicet humiditatem & ſiccitatẽ tanquam principia paſſiua cõferre ad cõſtitutionem animalium, non negat Ariſtoteles: quum calor uiuificus agit in ipſas, quem ait eſſe proportionalẽ calori ſtellarũ, *Calor innatus ſimilis calori ſtellarum.* qualis eſt qui in ſemine cõtinetur. Sicuti enim calor cœleſtis agens in lutum, ex eo generat animalia, ita & calor ſeminis in materiã ſibi cõuenientem idem operatur. Quare hic calor ſemini inditus nõ calor cœleſtis, ut quidã opinantur, ſed calori cœleſti proportionalis ab Ariſtotele dicitur. Sicuti enim eſt duplex ignis ſecundum Ariſtotelẽ, alter in cõcauitate orbis lunæ qui uiuificus eſt, alter qui eſt feruor & caloris exceſſus: ita & geminus calor, alter quo natura utitur tanquã inſtrumento ad animaliũ generationẽ, alter quem ars adhibet ad ſuorũ operũ perfectionem. Calo

B rem autem habentẽ principiũ uitale, nõ ſolum in ſemine cõtineri, ſed etiam in excrementis quæ à modo naturæ receſſerunt, Ariſtoteles ait: Quorum tamen excrementorũ calorẽ nemo ſanæ mentis, aut cœleſtem, aut diuinũ exiſtimauerit. Quare quantũ ad hunc locũ attinet, haudquaq; ex eo mihi uidetur Auerrois, aut Cõciliator Auerroim ſequens, differẽtia quadrageſima octaua poſſe cõcludere, quod Ariſtoteles uirtutẽ formatiuã, quæ eſt calor ſeminis, uel eo utitur tanq; inſtrumento, diuinis principijs aſſimilauerit, uel quod eam rem diuinã & intellectũ nominauerit, atq; à corpore ſeparabile iudicauerit. Quæ omnia putat Cõciliator differentia allata ex alijs uerbis Ariſtotelis, quę eodẽ loco libri ſecundi de generatione animaliũ, ſcripta inueniunt̃ euidẽter oſtendi: Quũ tamen his quæ Ariſtoteles eodẽ loco determinat, ſint omnino cõtraria. Verba Ariſtotelis quæ à Cõciliatore allegãtur ſecundum antiquã translationẽ hæc ſunt: Geniturę corpus in quod egredit̃ id quod animalis principij, & hoc quidẽ ſeparabile exiſtens à corpore in quo apprehenditur quid diuinũ. Talis autẽ quod uocatus intellectus. Quæ uerba exponens Conciliator ait, quod cõſiderans Ariſtoteles uirtutẽ formatiuã non habere organũ adhuc figuratũ in maſſa ſpermatica, uocauit eam ſeparabilẽ: ipſius tamẽ ſeparabilitas eſt alia ab ea quæ intellectus, longeq; minor: Ille nanq; ſeparabilis eſt omnino, hæc autem uirtus diuina practica præ alijs nobilitata generationis uirtutibus, quũ ipſa ſit ſimplex & immaterialis ferè nõ immediate materiã attingens, indiguit ſubiecto magis diſtincto eam uehiculante ad membrorum generationes, & formas dandas cõuenientes: hoc aũt fuit ſpiritus, eſt enim corpus ſubtile uehiculũ uirtutis. Eguit etiã inſtrumento quum ſit ſimplex, ſicuti aliæ mixtorũ uirtutes. Huius aũt uirtutis duplex exiſtit inſtrumentũ: Vnum quidẽ eſt calidũ cœleſte, quod eſt uiuificatiuũ cõtinue, nunq; uero peremptiuũ, faciens animata ad aliquam cœli conformitatem accedere: Agit enim ad cõſiſtentiam & continentiam eorũ maxima, ceu omnis uir

C tus cœleſtis facit conſtitui:ſicuti & in eſſe contineri ſubſtantias generatas. Et id dignius eſt inſtrumentorũ, quo ea medio actus nobiliores exercet, generatũ ineſſe tali magis finitãs. Eſt etiam ipſi aliud inſtrumentũ ſecundariũ, ſcilicet calidum elementare, quod quidẽ nõ habet omnifariã uiuificare & cõtinentiam cauſare, niſi calido reguletur cœleſti. Demũ ſubiũgit Cõciliator, quod huiuſmodi duplex calidũ in frugũ diſtinguitur maturatione ſecundũ Galenũ quarto De ſimplici medicina. Hæc quidẽ omnia Conciliator. Quæ, ſi liceat tam celebris famæ ætate noſtra uiro cõtradicere, nõ cõſonant loco Ariſtotelis, quẽ ipſe adducit ex lib. ſecũdo de generatione animaliũ. Nam ut à poſtremis uerbis eius incipiam, in quibus eſſe uirtutis formatiuæ duplex inſtrumentũ nitit̃ demonſtrare, nõ cohærere illa Ariſtoteli, ex his quæ antea diximus de duplici igne, & duplici calore, ſatis arbitror eſſe perſpicuũ: & adhuc magis ex uerbis ipſius Ariſtotelis, etiã ſecundũ antiquã translationem, quã pro ſua expoſitione allegat Cõciliator, poſſumus demõſtrare. Nam calidum cœleſte non eſſe inſtrumentũ uirtutis formatiuæ, aut alterius uirtutis uirtuti formatiuæ miniſtrãtis, indicãt uerba Ariſtotelis, quę in antiqua habent̃ translatione: Omniũ quidẽ in ſpermate inexiſtit, quod gonima facit eſſe ſpermata uocatũ calidũ. Hoc autẽ non ignis neq; talis uirtus eſt, ſed interceptus in ſpermate & in ſpumoſo ſpiritu, & in ſpiritu natura proportionalis exiſtẽs aſtrorũ ordinationi. In his uerbis Ariſtoteles apertiſſime oſtẽdit calorẽ illum, qui facit ſemen eſſe fœcundũ, de quo hic agit, non eſſe *extrinſecũ ſemini, qualis eſt cœleſtis*, ſed ipſi ſemini inexiſtentẽ. *Subiũgit tamen hunc calorẽ nõ eſſe ignem*, neq; talem uirtutẽ: ne quis forte *exiſtimaret*, quod eſſet calor igneus, hoc eſt talis ignis, qui uim habet deſtruendi magis q̃ generandi: & non calor, ſed feruor potius atq; exceſſus caloris nominat̃,

D ut ſuprà diximus ex eiuſdem Ariſtotelis autoritate. Naturã aũt huius caloris, quæ eſt generatrix & nõ peremptrix, cõtentam in ſemine uel ſpiritu ſeminis, nõ ait Ariſtoles eſſe cœleſtem, ſed proportionalẽ: uel ut habetur in noua translatione Theodori, proportione reſpondentẽ elemento ſtellarũ. Unde nõ ſequitur: Calor ſeminis nõ eſt calor igneus, ergo eſt calor cœleſtis. Eſt enim calor tertius elemẽti ignis qui facit ad generationem, atq; ideo dicitur calori cœleſti proportionalis. Illa uero eſt multo magis conſecutio neceſſaria: Calor ſeminis eſt proportionalis calori cœleſti, ergo non eſt calor cœleſtis: quod enim alteri eſt proportionale, non eſt idem quod illud alterũ. Mens in anima, eſt proportionalis oculo in corpore, ergo mens non eſt idem quod corporeus oculus. Neq; inficias eo, calorem cœleſtem eſſe cauſam generationis animaliũ, quoniã teſtante alibi Ariſtotele, Sol & homo generãt hominem: ſed nego eſſe inſtrumentũ intrinſecum ſemini, de quo hoc loco libri ſecundi de generatione animaliũ intelligit Ariſtoteles, quũ quid ſit illud quod facit ſemen ſecundũ, nititur declarare. Hoc enim in ſemine cõtinetur, ut uerba Ariſtotelis planiſſime oſtendũt. Motus autem æternorũ & uolubiliũ corporũ, & formæ intellectuales ſunt extra ſemen, ut clarius eſt quàm ut egeat demonſtratione. Galenus quoq;, quem ad oſtendendũ calorẽ duplicem allegat Cõciliator libro quarto De ſimplici medicina, nõ aliud eodem libro uoluit, niſi quod præter calorem ſeminum intrinſecũ ex quibus fruges generãtur, qui calor eſt anima ipſorũ ſeminum, ſecundum Galenũ etiam calor cœleſtis ad frugũ complementũ exigatur. Sed neque ex uerbis Ariſtotelis à Cõciliatore adductis differentia quadrageſimaoctaua, Corpus aũt genituræ, &c. elicitur, quod Ariſtoteles uirtutẽ formatiuã ſeminis uel intellectũ uocauerit, uel quid diuinũ, aut à corpore ſeparabilem iudicauerit. Hæc enim omnia repugnant his quæ paulò ſuprà in eodẽ loco determinauerat, quum mentem ſolã extrinſecus accedere, ſolam eſſe diuinã, nihilq; eius cõmunicare cum

Sol & homo generant hominem.

corpore,

A corpore,hoc eſt eſſe à corpore ſeparabilem,oſtendit. Si ſoli hæc menti cõueniunt ſecundũ Ariſtotelẽ, quomodo paulò poſt eaſdẽ etiã uirtuti formatiuæ tribuit proprietates,& quod mens appelletᷓ,& quod ſit ſeparabilis,et quod res diuina ſit? Vnde illud quoque de ea colligi poſſet, quod etiam deforis accederet. Nam translatio Theodori,quæ & fidelior & multo clarior eſt antiqua, hæc omnia oſtendit quæ dicimus, ſi uerba quæ allegãtur à Cõciliatore de uirtute formatiua, & nõ de illa quæ proprie mens appellatur,& ſola ſeparabilis eſt,dicta intelligãtur. Siquidẽ pro illis uerbis à Conciliatore adductis, habentur hæc alia in translatione Theodori: Corpus autẽ geniture in quo ſemen animalis principij contentũ unà prouenit,partim ſeparabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur: partim inſeparabile,&c. Adapta hæc uerba uirtuti formatiuæ ut uult Conciliator, debere adaptari,& planè ſequentur illa quæ antea diximus,uirtutem ſcilicet formatiuã mentem appellari, & eſſe partem diuinã, quæ cõprehenditur in ſemine,& præterea eſſe ſeparabilem. Ex quibus etiã,ut diximus, colligi illud poſſet,ipſam uenire deforis. Sed hæc omnia etiam in propatulo falſa,uiſus eſt animaduertiſſe Cõciliator, unde adiutus à barbaræ translationis obſcuritate, mira gloſſemata excogitauit,quæ nunq̃,ut arbitror, Ariſtoteles ſominauit. Ait enim uirtutẽ formatiuã,nõ mentem uel intellectũ ſimpliciter ab Ariſtotele nominari,ſed intellectum uocatũ ad differentiam intellectus potentionalis & agentis. Sed uelim ſcire à Cõciliatore aut Cõciliatoris ſectatoribus,ubi unquam legerint apud Ariſtotelẽ, uocatũ eſſe intellectus proprietatẽ ſicuti potentionale & agẽs. Nónne hoc quoddam eſt nugamentũ, ſi ita dicatur,quod uirtus formatiua ab Ariſtotele intellectus uocatus uocetur. Neq; enim hanc fugit Conciliator nugationẽ,etiam ſi pro uerbo

B Vocatur,poſuerit Nominatᷓ, ita ſcribẽs: Nominauit aũt eam Ariſtoteles intellectũ uocatũ. Si pro uerbo nominauit, uocauit dixeris,apertã uidebis nugationem. Sed & translatio Theodori quæ habet, qualis eſt quæ mens appellatur, manifeſtiſſime deſtruit Cõciliatoris expoſitionẽ. Alibi quoq; Ariſtoteles per uocatũ intellectũ nõ uirtutem formatiuã,ſed ipſum ſolum nudumq; intellectũ, qualis eſt qui intellectus agens nominatᷓ,nobis dedit intelligendũ: ut quũ primo libro de anima Timeũ taxat non recte dicentẽ,animã eſſe magnitudinẽ,his uerbis: Primũ quidẽ igitur non recte dicentẽ, quum animã dicat eſſe magnitudinẽ totius, uidelicet talem eſſe uult qualis uocatus intellectus. Vocatũ autem intellectũ ſignificare hoc loco intellectũ agentem, licet ex Themiſtij paraphraſi cõiectari. Cui cõſentit etiã expoſitio Commentatoris quæ ait: Timeum in uerbis ſuis per animã intellectũ ſignificaſſe, & nõ uirtutem formatiuã. Ait præterea Cõciliator,quod conſiderans Ariſtoteles uirtutem formatiuã non habere organũ adhuc figuratum in maſſa ſpermatica, uocauit eam ſeparabilem. Sed meminerit Cõciliator non ea ratione aliquam uirtutem uocari apud Ariſtotelem à corpore ſeparabilem, quia nõ habeat organũ figuratum: ſed quia nõ habeat organum corporeum, uel ut uerbis Ariſtotelis utar, quia eius actio nõ cõmunicat cum corpore. Tali enim ipſe utitur ratione in hoc ipſo de quo diſputamus loco, uolens probare ſolam mentem extrinſecus accedere: nihil enim cum eius actione cõmunicat actio corporalis. Reliquæ aũt potentiæ animæ quum ſint inſeparabiles,ut ait,per ſe accedere nõ poſſunt. Quorum enim,inquit,principiorũ actio corporalis eſt,hæc ſine corpore ineſſe nõ poſſunt: Verbi gratia, ambulare ſine pedibus. Itaq; extrinſecus ea uenire impoſſibile eſt. In primo etiam libro de anima,ubi dubitatur,ſit ne anima à corpore ſeparabilis an nõ, in hunc modum decidi ac definiri poſſe quæſtionẽ Ariſtoteles arbitratur,ut ſi quod ſit animæ opus aut affectio propria, poſſit contingere ut anima ſeorſum à corpore ſit. Quia autem

Virtus à corpore ſeparabilis apud Ariſtotelem.

C Ariſtoteles per operationem animæ propriã intelligat, non illam quæ fit ſine organo figurato, ſed organo corporeo ſimpliciter, indicãt uerba Themiſtij ſenſum philoſophi in loco ſtatim allato explicantis. Sunt autẽ hæc, quæ uerbis paulò ante adductis ſubiungũtur: Sed ſi nihil eſt ſoli animæ propriũ, imò corpus ad omnia munia in ſocietatem participatumq́ recipitur, ſiue illud hoc eſt quod oculis cernitur, quodq́ forma iſta quæ ſub obtutum uenit & figura monſtratur, ſiue interius & latentius aliud quale cõminiſcebatur Plato, nõ poteſt cõtingere ut ſeorſum à corpore habeatur obmaneatq́: alioquin ocioſum aliquid natura creauerit, quod defendi nõ poteſt. Ex his ſatis arbitror eſſe oſtenſum nõ poſſe uirtutem formatiuã, quæ ut etiam concludit Conciliator, habet corpus ſubtile pro inſtrumento, aliquo modo ſeparabilem nominari ſecundũ Ariſtotelis opinionẽ. Quod autẽ neq́ res diuina ab ipſo uocetur, illa ratione probat̃, quia cũ corpore aduenit, ſemine ſcilicet, quod eſt excrementũ alimenti. Abſurdũ autem uidetur ut alicui excremento res quæpiam diuina tribuatur natura. Et ob ſimilem rationẽ negauit Ariſtoteles uirtutem intellectualẽ, quæ res diuina ſit, cũ ſemine prouenire, quod ſit excrementũ alimẽti, unde eam extrinſecus accedere pronũciauit. Si ergo Cõciliator uirtutem formatiuam rem cõcedit eſſe diuinã, cogitur autẽ id cõcedere ſi uerba illa omnia: Corpus autẽ geniture in quo ſemen animalis principij cõtentum unà prouenit, partim ſeparabile à corpore, *in quibus res diuina comprehenditur*, qualis eſt quæ mens appellatur: de uirtute formatiua dici ab Ariſtotele intelligãtur. Hanc quoq́ uirtutem & nõ ſolum *intellectualẽ* accedere extrinſecus unà cogetur fateri, quod nos poſſe colligi ex Cõciliatoris ſententia etiam antea ſignificauimus: quũ præſertim Ariſtoteles uirtutẽ, de qua loquitur in uerbis adductis, nõ aliquo modo ſeparabilem,

D ſed ſimpliciter ſeparabilem, & nõ quaſi diuinã, ſed omnino diuinã, & talem qualis quæ mens appellatur, eſſe nobis inſinuauit. Quod animaduertens Michaël Epheſius, cuius plures habẽtur in libros Ariſtotelis græce ſcriptæ expoſitiones, in quibus præſertim libris deſunt Alexandri cõmentationes, hunc locum exponens, nõ de alia ui uult hæc uerba ab Ariſtotele ſcribi, q̃ de ea de qua etiã paulò ſuprà idem Ariſtoteles in eundẽ ferè ſenſum hæc uerba ſcripſerat. Reſtat igitur ut mens ſola extrinſecus accedat, eaq́ ſola diuina ſit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Sequentia enim uerba quæ in græco codice ita ſe habent, *τὸ δὲ τῆς γονῆς σῶμα, ἐν ᾧ συναπέρχεται τὸ σπέρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς. τὸ μὲν χωριστὸν ὂν σώματος ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον. τοιοῦτος δ᾽ ἐστὶν ὁ καλούμενος νοῦς. τὸ δ᾽ ἀχώριστον, τοῦτο τὸ σπέρμα τῆς γονῆς διαλύεται καὶ πνευματοῦται, φύσιν ἔχον ὑγρὰν καὶ ὑδατώδη.* Hoc eſt, ſi uerã uolumus facere translationẽ, & quaſi uerbũ ex uerbo: Geniture autem corpus in quo unà prouenit ſemine principij animæ, hoc quidem à corpore ſeparabile, in quibus pars diuina cõprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur: hoc autẽ inſeparabile, hoc geniture ſemen diſſoluit̃, &c. Hæc inquã uerba facit Michaël Epheſius præcedentibus cõſonare, ſupplendo uerbum relatiuũ Cuius, atq́ ita legendo: Geniture autẽ corpus, in quo unà prouenit ſemen principij animæ, cuius ſcilicet animæ hoc quidẽ eſt ſeparatũ, ueluti qui deforis intellectus: hoc uero inſeparabile, ſcilicet pars irrationalis. Ex hac Michaëlis Epheſij expoſitione liquidò conſtat uirtutẽ ſeminis formatiuã, neq́ intellectũ uocatũ ab Ariſtotele nominari, neq́ ſeparabilem ullo modo ab ipſo cenſeri. Hæc enim nõ uirtuti formatiuæ, ſed illi quæ intellectus, aut mens ab Ariſtotele dicitur, accommodantur. Eſt autem & altera expoſitio eorundem uerborũ Ariſtotelis apud Cardinalem Beſſarionem in Platonicarũ defenſionum libro ſecũdo, capite uigeſimoſecũdo, ſtudentẽ probare idem ſenſiſſe cum Platone Ariſtotelẽ de unione animæ cum corpore per mediũ aliquod corpus naturæ

A turæ excellentis, quale erat uehiculũ illud animæ à Platone deſcriptũ ex corpore lucido æthereoq́ contractũ: quod quidem uehiculũ quidam Platonis calumniator dignũ irriſione iudicarat. Verba Beſſarionis loco allegato ſunt hæc: Enimuero hãc rationẽ unionis extremorũ per mediũ uſq; adeò neceſſariã & Ariſtoteles ipſe putauit, ut idem ferè libro de generatione animaliũ ſecundo dixerit, unionẽq́ animæ cũ corpore hoc corruptibili fieri ſtatuerit, intercedente alio corpore diuiniore ipſis elementis, ac ſeparato. Omnis, inquit, animæ uirtus aliud ſortiri corpus uidetur, & his quidẽ diuinius quæ uocant̃ elemẽta. Atq; ut animæ inter ſe nobilitate uel ignobilitate differunt, ſic talis natura corporis inuicem differt. Et paulò poſt de eodem corpore loquens: Hoc, inquit, nõ ignis eſt, neq; ulla talis potentia, ſed ſpiritus qui in ſemine illo genitali ſpumeoq́ concipitur, & natura quæ in ipſo ſpiritu analoga eſt elemento ſtellarũ. Quinetiam paulò poſt id ponit partim à geniture corpore ſeparatum, partim non ſeparatum, quod ſcilicet craſſius ac materialius humidum atq; aquoſum ſit. Hoc enim diſſlari ac diſſolui per totũ ſperma exiſtimat tanquam in lacte coagulũ. Nulla igitur ratio eſt cur irridere Platonem aduerſarius debeat, quod animã exiſtimauerit cum excellentis naturæ corpore ad generationem accedere. Hæc Beſſarion ad uerbũ, uolens ut diximus cõuenire Ariſtotelem cum Platone ſuper animæ uehiculo, demonſtrare. Nõ differt autem hæc expoſitio uerborum Ariſtotelis à prima Michaëlis Epheſij recitata, niſi in eo quod ſeparabiles atque inſeparabiles differentias altera partibus animæ tribuit, ſcilicet intellectuali & irrationali, altera corpori quod eſt uehiculum animæ, quod Ariſtoteles eſſe ſeparabile dicit, in quibus pars diuina cõprehenditur, quaſi altera, ſcilicet irrationalis & appetitiua uehiculũ habeat, atq; ſubiectũ craſſius, & à corpore hoc corruptibili inſeparabile. Nam quũ ipſa ſit corruptibilis, ſubiectũ quoq; habuit corruptibile. Vt

Analoga, id eſt proportione et ratione reſpondens.

B enim, inquit, ſicuti animæ inter ſe nobilitate uel ignobilitate differunt, ſic talis natura corporis inuicẽ differt. Hanc etiam opinionũ Ariſtotelis atq; Platonis ſuper eodem uehiculo animæ cõcordiam tangit Themiſtius in paraphraſi primi libri Ariſtotelis de anima, ubi illorũ ſentẽtiam recitat, qui omnia hæc quæ ſub aſpectum & oculos recidunt & ſubiecta ſunt nobis, ab anima reſpuunt, diuinã quandam & cœleſtem naturã adhibẽte qua animus atq; mens ſit. Probabilis enim, ait Themiſtius, & ratione nixa ſententia. Nam apud Platonẽ uehiculum illud rarũ ac ſplendidũ nihil aliud, q̃ ingeniũ è quo animus conſtet, oſtendit. Apud Ariſtotelẽ quoq; naturã quandã animæ tributã inuenias quę quinto corpori proportione reſpondeat, quã ad omniũ animaliũ animas pertinere cenſuit. Videtur ergo Ariſtoteles ſecũdum iſtos uiros, nõ minus Ariſtotelicæ q̃ etiã Platonicæ ſectæ familiares, loco illo libri ſecũdi de generatione animaliũ, quem unà Venetijs uidimus, nõ de uirtute loqui formatiua, ſed de uehiculo animæ, quod partim ſit ſeparabile, & partim inſeparabile. An uero uehiculũ hoc præſertim lucidũ & æthereũ quod ad animã pertinet rationalem, in ſemine aliquãdo cõtineatur, ut uident̃ uerba Ariſtotelis ſignificare quũ inquit: Corpus autẽ genituræ in quo ſemen animalis principij cõtentum unà prouenit, partim ſeparabile: nõ paruã habere poſſit dubitationẽ. Quã etiã augent uerba Themiſtij ſuprà recitata, quæ innuunt naturã illam quinto corpori proportionalẽ, quã Ariſtoteles animæ tribuit, ad omniũ animaliũ animas pertinere. Sed hunc alterius quæſtionis ſcrupũ his qui tam Platonicæ, q̃ etiã Ariſtotelicæ diſciplinæ ſunt ſtudioſi, nos in cõmune diſcutiendũ relinquimus. Hæc tantũ ſufficiat annotaſſe, quæ ad eius loci libri ſecũdi de generatione animaliũ, quem unà Venetijs uidimus, aliquam faciunt intelligentiã. Et omnino probant hoc duo uerba, intellectũ, uocatũ, longe aliud apud Ariſtotelẽ q̃ uirtutẽ ſeminis, quã formatiuã uocat,

C ſignificare. Tu uero fortaſſis non hæc ſolum, ſed quid omnino ſit uirtus informatiua ſecũdum Ariſtotelem à me ſcire deſiderãs, id ſcilicet quod etiam Galenus à philoſophis diſcere mirum in modum affectauit, & tamen apud ipſos nõ potuit inuenire, ut uerba teſtantur quæ ab eodem Galeno in libro de fœtus generatione ſcripta inueniuntur in hunc modũ: Iam ad ea de quibus præcipue in hac intendimus tractatione deſcẽdentes, oſtendemus philoſophos, neq; illa quæ à medicis ſunt recte quæſita, digna ullos inquiſitione exiſtimaſſe. Sed quum dixere formari à natura conceptũ, putaſſe ſe plus aliquid dixiſſe, quàm nomẽ notitiæ uulgaris. Nemo enim eſt tam rudi atq; hebeti ingenio, qui neſciat cauſam eſſe aliquã conceptus generationis, quam naturam uocamus omnes: eius tamen ignorantes ſubſtantiam. Ego uero ſicut oſtendi, noſtri corporis opificiũ ſummã præ ſe ferre ſui cõditoris ſapientiam ſimul ac poteſtatem, ita opto ut mihi philoſophi oſtendant quis ſit ille opifex deus, ne aliquis ſapiens ac potẽs, qui quidẽ prius excogitauerit quale oporteat ſingulorum animaliũ corpus formare, deinde facultatem adhibuit, qua talem affingeret qualem antea mente conceperat: deus'ne inquam, an anima alia quàm diuina. Neq; enim illam quam naturã uocant, ſiue corporea, ſiue incorporea ſit ſecũdum ſubſtantiam, an tantũ dicent ſapientiæ faſtigiũ prouenire, cuius eſſe illam penitus expertem aſſeuerãt: unde nõ ſit ueriſimile tanto hanc uſum fuiſſe in fœtu formando artificio. Nam & Epicurei, & aliorũ qui omnia aiunt abſq; prouidẽtia fieri, iam pridem eſt exploſa ſententia. Atqui neceſſariũ eſt uel ſecundũ aliquem motum ratione atq; arte carentẽ, ad aliquem optimũ finem pertingere fœtus formationẽ, uel ſicuti qui uiſu admiranda cõſtruunt, ubi his aliquod motus principium indidêre, ipſi recedũt, quæ uero ab ipſis fuere cõſtructa uſq; ad modicũ temporis mouentur

Apta ſimilitudo.

D artificioſe: ita & deos ubi tot tribuerũt plantarũ motuum idoneas, atq; animalium ſeminibus ſucceſſiones, uacare ipſos, & nihil ſubinde agere. Sed primũ ex his nõ oportet refellere, cum ſit opinione hominũ reprobatum, ad quas præſertim hic ſermo à nobis habeatur. Secundũ autem diligentem exigit perſcrutationem, an fieri poſſit, ut talis qualem intuemur oculis humor, geniture ad tantum numerum motuum ſibi inuicem ſuccedentiũ ſufficere ualeat, neq; oſtendat̃ in aliquo, donec ad finem perueniat opportunũ. Nam ſicuti uidetur incredibile, ut quod fit à fortuna in tanta partiũ multitudine non aberret: ita temerariũ apparet opinari eam motuum conſecutionẽ eſſe artificioſam, quæ ab ea fit ſubſtantia quam ipſi eſſe irrationalem aſſeuerant. In his uerbis Galenus notat Ariſtotelem, atq; eius expoſitorem Alexandrum, qui cauſam generationis animaliũ ad potentiam quandam referunt irrationalem, quam naturã uocant, atq; eius motus quibuſdam motibus ab arte factis aſſimilant, qui ſpontini dicuntur, quibus initiũ dat quod aliquid tangendo mouet, deinde ipſo ceſſante ab opere, prima pars mota mouet aliã, & iſta ſubinde aliam, atq; ita deinceps, adeò ut uideãtur omnes citra primã ſponte moueri, quæ tamen principium ſuæ motionis aliunde habuerũt, ſcilicet à mouente primum. Sic enim & in generatione animalis ſecundum Ariſtotelem uidetur contingere: nam pater eſt ille qui ſemini indit uim quandam motricem, quæ mouet materiam, ſanguinẽ ſcilicet menſtruũ, quem mater exhibet. Primus autem motus ſecundũ ciet, ſecundus tertium, tertius quartum, uſque ad complementum generationis. Talem aſſignari modũ à philoſophis Peripateticis noſtræ generationis teſtantur uerba Ariſtotelis ſecũdo de generatione animaliũ, ubi quærit cauſam efficientem membrorum animalis. Proponit autẽ quæſtionẽ hoc modo: Sed hoc loco nõ ex quo orianẽ quærimus, ſed à quo partes corporis generantur. Aut enim extrinſecus aliquid in genitura & ſemine inſtrumentũ agit, idq; aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens

A bens animã eſt. Poſtea ad utranque partem Ariſtoteles argumentatur, & rationibus ſi non ueris ſaltem uerisſimilibus probat nõ eſſe poſſibile, ut aliquod extrinſecum unumquodque uiſcerũ, aut alias partes efficiat. V nde uidetur poſſe concludi, quod pars aliqua intrinſeca ſit illa quæ omnia facit. Sed hãc quoque deſtruit cõcluſionem, & demũ uolens totã ſoluere dubitationẽ, ſcribit hæc uerba: Hæc igitur ſoluere conandũ eſt. Fortaſſe enim aliquid ex his quæ diximus nõ ſimplex eſt, ut ab extero nihil effici poſſit: nam & eſt ut poſſit, & eſt ut non poſſit. Sed ſemen an id à quo ſemen dicamus, nihil refert, quia motũ quem illud mouebat ſemen in ſeipſo cõtinet. Fieri autẽ poteſt ut hoc ab hoc moueatur, & hoc ab hoc ſit perinde quaſi admirabilia illa ſpontina. Partes enim habent uim modo quodã etiam quũ quieſcunt, quarũ primam ubi extrinſecus aliquid mouerit, ſtatim proxima actu efficit. V t igitur in ſpontinis illis quodãmodo illud mouet, quod nihil nunc tangit, ſed ante tetigit: ſic id à quo ſemen, aut quod ſemen effecit, mouet, quum aliquid tetigerit, quanque non adhuc tangit, & motus qui ineſt quodã efficit modo, ut ædificatio ædes. Igitur aliquid eſſe quod efficiat, ſed non ita ut hoc quicque, nec perfectũ ineſſe primũ agens, apertũ iam eſt. Quemadmodũ autem unũquodque fiat accipiendũ hinc eſt, hoc initio omnia quæcunque aut natura aut arte efficiuntur ab eo quod actu eſt, fiunt ex eo quod potentia tale eſt. Semen igitur tale eſt, motumque habet & principium tale, ut motu peracto pars exiſtat, quæque eadem, ſitque animata. Nõ eſt enim facies niſi animam habeat, neque caro, ſed corrupta æquiuoce dicetur facies aut caro, perinde quaſi lapidea aut lignea facta ſit. Simul autẽ partes ſimilares & inſtrumentales, ſiue officiales efficiũtur. Et quemadmodũ non ſecurim, non aliud inſtrumentũ dixerimus factũ ab igne ſolo, ſic nõ pedem, non manum, eodemque modo ne carnem quidem:

B nam eius quoque aliquod officiũ eſt. Dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicũque alij affectus partibus inſunt animatis, à caliditate & frigiditate effici poſſunt: At ratio qua iam caro aut os eſt, nõ poteſt: ſed à motu proficiſcente efficitur ab eo quod genuit, quodque actu eſt id quod potentia eſt, id ex quo gignitur, quomodo in his quoque agitur quæ arte efficiuntur. Ferrũ enim durũ aut molle efficitur calore uel frigore: at uero enſis à motu inſtrumentorũ, qui artis obtinet rationẽ. Ars enim principiũ formaque eius quod efficitur, ſed in alio. Motus aũt naturæ in ipſo eſt ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam. Hæc quidẽ Ariſtoteles. Ex quibus liquidò apparet ipſam à Galeno notari, quod naturam tantũ, & nihil aliud eſſe dixerit cauſam generationis animalium, atque eius motus ſpontinis motibus aſſimilauerit. Sed & Alexander expoſitor Ariſtotelis apud græcos nobiliſſimus, eũdem modũ explicat animantiũ generationis, & planè naturã à qua hæc generantur, potentiam eſſe irrationalẽ aſſeuerat. Licet aũt cõmentarij Alexandri, neque in libros de generatione animaliũ, neque in alios de naturali auſcult. ætate noſtra habeantur, Simplicius tamen inter expoſitores Ariſtotelis autor & ipſe clariſſimus, exponens primũ librum eiuſdẽ Ariſtotelis de naturali auſcultatione, ubi de cauſis agit præcipue exemplari atque formali, adducit uerba Alexandri: quæ non parũ faciunt ad intellectũ uerborũ Ariſtotelis, quæ nos ſuprà ex ſecũdo lib. de generatione animaliũ recitauimus. Et poſt diligentẽ uerborũ Alexandri examinationẽ, demũ quid ſibi uideatur adiungit. V tranque duorũ expoſitorũ Ariſtotelis de generatione naturali ſententiã hoc loco ſubijciemus, quoniã nõ minimũ ad id quod tu quæris de uirtute formatiua ſecundũ Ariſtotelẽ, uidentur cõducere. Ex quibus inſuper cõſtabit illos errare qui autore Ariſtotele, eandẽ uirtutẽ uocãt intellectũ, quã idem Alexãder dicit eſſe irrationalẽ: & quidẽ Ariſtoteli cõſonè, qui libro ſecũdo de naturali auſcult. ea quæ à natura fiunt, his quæ ab intellectu, ex aduerſo diſtinguit. Nõ eodẽ modo, inquit

C Alexander, in his quæ gratia alicuius fiunt omnibus finis ſe habet, & exẽplar. Sed quæcũq; quidẽ per electionem & artem & rationem fiunt, in his neceſſariũ eſt finem, cuius gratia alia fiunt faciente cogitatũ, & tanq; ſignũ proponi & exemplar eorũ quæ futura ſunt. In his aũt quæ à natura fiunt, nõ ita: neq; enim per electionẽ natura operaſ, neq; ſecundũ rationẽ quæ ipſi inſit. Potentia enim irrationalis natura eſt, ſed principio indito materiæ quæ & principij, & eorum quæ ab ipſo & ex ipſo futura ſunt, eſt ſuſceptiua. Hoc primũ ipſi materiæ inditũ fecit quidem illud cuius eſt effectiuũ, quum præfinitũ quoddã ſit. Quod uero ex ipſo factũ eſt, aliud efficit: nam ſingulũ ipſorũ eius quod ſequitur, eſt effectiuũ atq; motiuum, ſi nihil impediat: & hoc uſq; ad aliquem finem & formã naturalem, cuius erat principiũ id quod primũ fuit materiæ inditũ. Quemadmodũ enim in his quæ neruo impelluntur, ubi artifex principiũ motus indiderit, primũ hoc fit ſequentis motiuum, & illud deinceps alterius, donec per quandã ſucceſſionẽ motus in omnibus peragatur, niſi aliquod obſtaculũ interueniat: & hoc totũ fit nõ mouentibus primis ſubſequentia per aliquã rationem, aut electionẽ ipſis inexiſtentem. Sic autẽ & mandata ſeminis natura atq; facultas propriæ materiæ, ut ipſa mouere, illa aũt moueri apta eſt. Potẽtia uero indita ex motu primo, aliam rurſus facit motionẽ atq; potentiam nunquã ceſſantibus motibus, donec ſimile ei à quo mandata eſt, generetur, & uel idem ſpecie uel genere, ſicuti in multis contingit, & alijs quæ ex diſſimilibus generantur. Hæc quidẽ Alexander: *quæ uerba Simplicius*, ut dixi, nõ ceſſat identidem in dubitationẽ *reuocare*, & tandem ſui iudicij calculum apponit ita ſcribens: Adhuc autem quæ de generatione rerum naturaliũ dicũtur, ſcilicet ab Alexandro, mihi animaduerſione digna uidentur. Si enim quod prius inijcitur ipſum quidẽ illud

D effecit cuius eſt effectiuũ, & quod ex hoc factũ eſt, aliud, & ſingulũ illius quod ſequitur ipſum eſt effectiuũ atq; motiuum uſq; ad finem & formã naturalem, cuius erat principiũ, quod primũ materiæ fuit iniectũ: Si inquam ita generatio perficiſ, & prius granũ germen emittit, germen culmũ, culmus ſpicam, quomodo perfectiora fiunt ab imperfectis? Deinde quid ſit totius cauſa, aſſignare non poſſumus. Nam quũ una forma ſit, unã etiam cauſam eſſe oportet ante particulares. Omnino autẽ ſi prioribus alteratis ſequẽtia fiunt, illa quæ præcedũt materiæ magis rationẽ obtinebũt, & non cauſæ efficientis: nunq; enim efficiens cauſa alterata opus euadit. Præterea ſi nõ quodcũq; ex quocũq; generaſ, ſed ex eo quod tale potentia eſt, manifeſtũ eſt quod germen potentia culmus. Omne autẽ quod potentia eſt, materiale eſt, & nõ effectiuũ. Quare germen materia culmi rationabiliter diceretur, minime autem efficiẽs cauſa. Deinde omne quod ex potentia ad actum peruenit, ab altero quod actu ſit perduciſ ad actũ. Si igitur germen non eſt actu culmus, nunq; efficiet culmũ actu. Omnino aũt ſi uniuſcuiuſq; natura & cauſa motionis ſimile ſibi ſubiectũ & nõ alteri facit, liquet quod natura ſeminis ſemen faciet, & natura hominis hominẽ. Quomodo aũt proprie hominẽ faciet ea quę eſt in ſemine, quæ nondũ eſt hominis natura anteq; homo fiat? An ſicuti dictũ eſt antea, ipſa ſimul facit & fit, quia aptitudinẽ habet, & uita quædã exurgẽs eſt & ad formã excitata? Siquidẽ natura uirilis ſeminis & mulieris, naturã habẽt quę trãſmutari deſiderat, & ad animal perfici. Quia aũt proprie efficiens eſt, & proxima cauſa eſt, materna natura atq; paterna: in ſtirpibus uero natura tritici, & terra: etiam forma ſecundũ actum in patre præcedat & matre, & in rationibus quæ actu inſunt in terra, ſecũdum quas ea quæ potentia ſunt ad actum perducuntur. Atq; hoc modo natura eius quod generatur ſi factiua diciſ, ita factiua eſt, ut & ipſa ſimul fiat. Quæ uero proprie factiua eſt? quæ actu talis exiſtit; quoniam natura ſimilis eſt generatrix, & omnia intermedia

illius

A illius gratia præaccipit: Et ſi interim alteratur natura dum ſimul fit & facit, unũ tamen ordinẽ ſeruat cõtinuatum uſq; ad finem, ad quẽ quum peruenit, ceſſat ab opere. Dicit autem Ariſtoteles, quod natura ſunt quæcunq; ab aliquo principio, quod ipſis inſit, cõtinuo mota ad aliquem finem perueniũt, in quo ceſſant à motu. Quare & in homine præaſſumpta eſt geniti ratio, & ſecundum illam fit id quod fit, patre quidem dante principiũ motus, & uſq; ad finem motionẽ per ſemen: Sicuti in his quæ neruo impelluntur, artifex indit principiũ motus & impetum ad finem, ſecundum illam quæ in ipſo præexiſtit rationem totius ordinatæ motionis, materna autem natura adhuc proximius ſpecificante. Quomodo autem potentiam irrationalem naturam nominat, quæ propter finem aliquem agit, & ordinatim procedit ſecundũ numeros & præfinitas mẽſuras? An duplex eſt efficiens ratio, altera quidem quæ cum cognitione facit, quam ſolam putat expoſitor rationẽ: altera ſine cognitione & ad ſeipſam cõuerſione, ordinate autẽ & determinate, & propter finem aliquem principalem. Et quemadmodũ quod nõ cognoſcit irrationale uocatur ad rationem cognoſcentem cõparatum, ſic illud quod temere, & abſq; ordine facit, irrationale eſt, ſi ad illud quod ordinate & determinate ac gratia alicuius agit, conferatur. Sicuti igitur ſecundũ hanc rationem fiunt ea quæ natura conſtant, ſic ſecundum exemplar, non tanquam efficienti notum atq; propoſitũ, ſed ſicuti efficiente ſuo eſſe, & non per electionem aſſimilante ſibi quod fit, quemadmodũ annulus ſigillum. Ariſtoteles quoq; in libro ſecundo de generatione, contra Empedoclem diſputans, naturã concedit eſſe rationem. Sed quomodo ſine cognitione efficientis eſt ordo & præfinitus finis in actione? Etenim res naturales talem habent cõſtitutionem, quod ſine cognitione aliqua ipſo eſſe ſeruãt ordinem & cõſecutionem,
B & in præfinitũ deſinũt finem, ſicuti quæ neruo impelluntur. Verũ quo modo ſine efficientis cognitione ordo eſt & finis in efficientia præfinitus? Etenim res naturales talem habent conſtitutionem, quod cauſæ ſine cognitione ipſo eſſe ſeruãt ordinem in generatione, & conſecutionem, ut in eorum quæ neruo impelluntur, euenit motu. At res naturales uel caſu fiunt, quod abſurdũ ſit dicere, uel ipſa ſeipſa talia cõſtituunt, uel aliqua alia cauſa. Vtcũq; res ſeſe habet, cognita omnino ſubſtantia talis euaſit. Nam quod metiẽ potentiã ad illa quæ fiunt cognoſcens utrunq; efficiebat. Quare rectũ eſt ut naturam potius cõcauſam dicamus, proximas uero cauſas eorum quæ generantur & corrũpuntur cœleſtium corporum motus, ſecundũ quos hæc inferiora tranſmutantur: Superiores autem cauſas, rationes horum motuũ in anima ſitas. Et adhuc ſupra has formas intellectuales, ex quibus primis delibatur omnibus lux formalis pro natura & aptitudine recipiẽtis. Hæc quidẽ Simplicius, qui & ipſe ſicuti Galenus, abſurdum putauit generationem animalium ſoli naturæ tribuere, ut quæ ſit potẽtia irrationalis & expers cognitionis: Quare maluit eam cõcauſam nominare, ſiue inſtrumentalem: Superiores autem cauſas ſicuti animã ipſam, mentem eximiam, & formas intellectuales, hoc eſt ideas, potiores cauſas iudicauit. Quare qui aiunt uirtutem formatiuam uocari ab Ariſtotele intellectum, melius fortaſſis dicerent eam eſſe ſupremi intellectus inſtrumentum. De quo tamen Ariſtoteles generationem naturalem naturaliter tractans, nullam facit mentionẽ: quin potius ſecundo libro de naturali auſcultat. nolens cauſam ſeparatã attingere, ne doctrinã theologicã cum phyſica cõfunderet, naturã negauit cõſilio agere ac ratione, & de ea tanq; de potẽtia irrationali locutus eſt. Quem uerborum ſenſum etiam in ſua expoſitione ſecutus eſt Alexãder. Simplicius uero, qui quantum potuit Platoni Ariſtotelem ſtuduit facere cõſentientem, ne naturæ opera ſine cognitione aliqua & ueluti caſu facta uiderenẽ, illis non modo naturam ac cœlum,

C ſed prӕterea animam & formas intellectuales pro cauſis arrogauit, atq; ita Galeni dubitationi ſatisfecit. Cui propè temerarium uiſum eſt, tot motionum conſecutionem, tam'que artificioſam fieri à potentia, quam philoſophi dicunt eſſe irrationalem: ſicuti & Scotus, & quidã ex recentioribus Scoti ſectatores ſimili ratione negauerunt: ſemen aut eius uirtutem ſufficiens eſſe principium generationis animalium, & concauſam potius, nõ quidem generationis membrorum animalis, ſed alterationis magis prӕcedentis eſſe dixerũt. Prӕcipuas autem cauſas eiuſdem generationis deum & calorem cœleſtem uirtuti diuinӕ conſentientẽ aſſerere non dubitarunt; uiſi tamen plus ad Platonicũ quàm ad Ariſtotelicũ dogma declinare. Nam naturam cauſam eſſe generationis animaliũ, licet Simplicius platonizans eam malit concauſam nominare, conſtat ex uerbis antea recitatis ex libro ſecundo de generatione animalium, ubi aſſignans Ariſtoteles inter artem atq; naturam differentiam, ita ſcribit: Ars enim principiũ formaq; eius quod efficitur, ſed in alio: Motus autem naturӕ in ipſo eſt ab altera profectus natura, quӕ actu obtinet formam. Loquitur autem hoc in loco Ariſtoteles de motu naturӕ in ſemine exiſtentis quũ generatur animal, quӕ ſiue cauſa ſit, ſiue concauſa generationis animalium, non paruam adhuc adfert quid ipſa ſit, philoſophantibus dubitationẽ: Vtrum anima uel uirtus animӕ, aut natura ſeu potẽtia naturalis, quӕ de imperfectiori tranſit ad perfectius, & cauſa eſt generationis ſubſtantiӕ, ut Simplicius in prӕdicamentis uideatur exiſtimare, inquiens: In omni autem mundo ſi qua generatio prouehitur, non aliter quàm per potentiã ad ſubſtantiam prouehitur atq; perficitur, materiaq; quũ recipit formam, per potentiam ad ipſam peruenit: Hӕc autem potentia uel per ſeipſam ſufficiens eſt prouehi, quemadmodum in animabus ex ſe mobilibus, uel ad

D perfectũ ab actu prouehitur. Loquitur autem Simplicius inibi de naturali potentia, quam uult eſſe ſecundam ſpeciem qualitatis, de qua eodem loco etiam hӕc uerba protulit: Eſt autem uniuerſaliter hoc genus exiſtens omnibus, quӕ quouis modo perficiũtur: neq; enim omnino ab imperfecto ad perfectum quippiam aliquid peruenit, niſi media adſit potentia, addens quidem illud quod deficit ad perfectũ, complementum autem ſuſcipiens à perfectiſſimo. Hanc potentiã naturalem Simplicius in libris de phyſica auſcult. naturam uocat, & uult eſſe principium, partim paſſiuum, partim actiuum, ut uerba eiuſdem Simplicij ſuprà à me recitata demonſtrant. Et cum natura multis modis dicatur, de materia ſcilicet, forma, & cõpoſito, & generatione, & cauſa efficiente eiuſdem generationis, quӕ tamen ita efficiens, ut etiam fiat naturӕ hoc ultimo modo dictӕ, uult Simplicius prӕcipue conuenire naturӕ definitionẽ ab Ariſtotele libro ſecũdo de naturali auſcultatione aſſignatam. Naturã quoq; hoc modo acceptã, ſentit idem Simplicius eſſe ab anima differentem: Ait enim Ariſtotelẽ atq; Platonem nõ eodẽ modo dicere naturã eſſe principium motus corporibus, ſicuti & animam: quoniam natura non eſt principium motionis actiuӕ, ſed paſſiuӕ magis. Et allegat Ariſtotelem dicentem libro octauo de phyſica auſcultatione, quod corpora naturalia non ſunt ex ſe mobilia ſicuti animata: poſſent enim & ſe ſiſtere, & à motu ceſſare, ſi poſſent mouere ſeipſa. Quare ſubiũgit Simplicius: Videri naturã eſſe aptitudinem quandam ad moueri & perfici quę ueluti de ſub & ſupra germinat, & ſua aptitudine prouocat cauſas perficientes: Si enim eſſet motus principium, ut aliquid mouens, nõ eſſet inter ipſam & animam, & cauſam primã mouentem, differentia. Sed quoniã corpora longe ab indiuiſibili atq; incorporea natura diſtantia, atq; ab illa quӕ ſecundum ipſum eſſe uita conſiſtit, mortua facta ſunt, & per ſeipſa nihil ſpirantia, atq; ad omnem uitam refrigerata, ultimam quandam uitӕ ſpeciem in ſeipſis habuerunt, quod eſt ſecundum

Natura multis modis dicitur.

potentiam

A potentiam & aptitudinem hanc quam naturã uocamus: propter quam etiam mortua moueri poſſunt & tranſmutari, & hoc ipſum quod dicitur naſci, & adinuicem paſſiue quodammodo agere. Neq; enim ſynceræ ſunt horum actiones, ſed paſſibiles, unde omnia corpora naturalia mota mouẽtur. Atq; illud quod proprie immobile eſt, ipſum eſt quod mouet, ut ait Ariſtoteles. Ex his uerbis Simplicij atq; alijs ſuprà recitatis apparet, naturam, quæ eſt motionis principium in ſemine quum generatur animal, non eſſe animam, neq; uirtutem animalem, ſed naturalem: ſiquidẽ ſecundum ipſum natura ab anima differt, & eſt ea imperfectior, ut quæ ſit principium non minus paſſiuum quàm actiuum, & potentia quædam iuuans in animatis ad animæ introductionem in materiã, quam naturam Alexander uocat primũ principium materiæ mandatum, ut uerba eius indicant à Simplicio allegata. Quare mirandũ eſt de Auerroẽ, qui in expoſitione libri ſeptimi de prima philoſophia, ait Alexandrum uideri conſentire ei quod ab Ariſtotele dicitur eodem libro, loco quo ſcribit ſemen facere ſicuti quę ab arte, quia habet poteſtate ſpeciem: Et his etiã quæ in eandem ſententiam ſcribũtur ab Ariſtotele de animalibus. Poſtmodum in cõmentatione eiuſdem loci propriam & Ariſtotelis recitans opinionẽ, ſcribit hæc uerba: Nos autem dicamus, quod quum conſiderata fuerit demonſtratio Ariſtotelis in hoc loco, ſuper hoc quod formæ materiales ſunt generãtes formas materiales, apparebit quod ſemina ſunt illa quæ dant formas rerum generatarum à ſeminibus per formas quas dederunt ſemina generantia: in generabilibus autem non ex ſe, id eſt caſu apparebit quod corpora cœleſtia ſunt illa quæ dant iſtis aliquid loco ſeminũ & uirtutum, quæ ſunt in ſeminibus, & in eis quæ generãtur ex ſemine: & quod omnia iſta ſunt uirtutes naturales diuinæ generantes ſibi ſimilia, ſecundũ
B quod artes generant ſua artificiata. Et ideo dixit Ariſtoteles libro de animalibus, quod hæ erunt ſimiles intellectui, ſcilicet quia agunt actiones intellectuales, & iſtę uirtutes aſſimilantur intellectui in hoc, quod non agunt per inſtrumentum corporale. Et in hoc differunt iſtæ uirtutes generatiuæ, quas medici uocant formatiuas à uirtutibus naturalibus, quæ ſunt in corporibus animalium. Iſtæ enim agunt non actione intellectus operatiui, ſed agũt per inſtrumenta terminata, & membra propria: Virtus autem informatiua nõ agit per membrum proprium. Et ideo dubitat Galenus & dicit: neſcio utrũ iſta uirtus ſit creator aut nõ, ſed uniuerſaliter nõ agit niſi per calorem qui eſt in ſemine, non ita quod ſit forma in eis ſicut anima in calore naturali, ſed ita quod ſit incluſa in eis ſicut anima eſt incluſa in corporibus cœleſtibus. Et ideo Ariſtoteles magnificat hanc uirtutẽ, & attribuit illam principijs diuinis, nõ naturalibus. Sed iſtam uirtutẽ ſe intelligere dum ſeparata eſt, eſt impoſſibile. Mirandum eſt inquam de Auerroẽ, qui hæc omnia Ariſtoteli aſcribat ſecundum Alexandri expoſitionẽ, qui naturam ſeminis potentiã ait eſſe irrationalem, nedum ipſam uocet intellectũ, aut agentẽ ratione intellectus operatiui: ob quã differt ab alijs uirtutibus naturalibus, quæ non ita agunt, ſed per inſtrumenta terminata, & membra propria. Verũ hæc omnia neq; eſſe conſentanea Ariſtoteli, neq; ex uerbis eius quæ ſecundo libro de generatione animalium ſcripta inueniuntur, elici poſſe ſatis antea demõſtrauimus. Neq; uero Galenus ob id dubitauit, utrum uirtus formatiua eſſet creator, an creatura, quia uideret ipſam nõ agere per inſtrumentum proprium, ſcilicet aliquod membrum figuratum: ſed propter ſummum eius artificiũ, quod uidebatur uires naturæ tranſcendere. Atq; ideo in hoc non eſt concors Ariſtoteli, atq; Alexãdro eius expoſitori, ut uidetur Auerrois uelle medicum philoſophis cõciliare, inter quos alibi diſſidiũ quærit: ſed longe diſſentiẽs, quoniam illi naturã facerent potentiam irrationalem mirabiliũ operum quæ appa

C rent in generatione animalis, autorē. Nō ſolum autem Auerrois male in ſua commentatione allegat Alexandrū, quaſi eadē cum Galeno de uirtute formatiua ſentientem, ſed Themiſtium etiam non recte arbitratur cum Auicenna de datore formarum cōuenire. Themiſtius ſiquidē quid opinetur, de his quæ ex ſemine generantur animalibus, manifeſtū ſe facit in paraphraſi librorum de anima Ariſtotelis primo ſcilicet libro, cap. uigeſimoprimo, ubi contra Timeū diſputans, & alios qui haudquaq; ſufficienter de anima ſcripſiſſent: Nam neq; quemadmodū affectū diſpoſitumq; eſſe corpus animandū deberet eſſe, neq; quæ cognatio inter animā & corpus habeatur, unquam dixiſſent. Tandem in fine capitis ſcribit hæc uerba: Iam ſi artuum ea eſſet natura, ut in ſuis inſtrumentis habitare, atq; in ea ingredi ſua ſponte poſſent, utiq; tibiciniū in tibias nō in lyram intraret, lyricinium in lyras non in tibiam tranſiret: igitur & animas in ſuum aliquod proprium corpus, ſi ſuum animæ inſtrumentū corpus eſt, diuertere oportebit. Dixi diuertere, imò non diuertit, ſed fabricatur architectaturq; ſibi cōueniens accōmodatumq; inſtrumentū. Deformat ipſa ſibi, & præparat domiciliū nō deformatū antè & præparatū, demū ſubit. Non enim quemadmodū cithara dedolatur prius & cōditur, tum demū adhibeť ad muſicam, ita & corpus ornatur antè, inſtruiturq;, mox animæ ſumendū offerť. Quale igitur ſingulis animis corpus inſtrumentūq; cōueniret, item qua ratione anima illud ſibi confingeret, *neglectum à Timeo penitus*, & retro habitum. Ex his uerbis Themiſtij apparet nō uere de ipſo exiſtimari, quod idem dixerit de uirtute formatiua quod Auicenna: Nam Auicenna, ut refert Cōmentator ſuprà allata cōmentatione, credidit omnes formas eſſe ab intelligentia agente, quam uocat datorem formarum. Themiſtius uero nō agens ſeparatū, ſed animā ipſam formare ſibi corpus

D quod ſubit, liquidò inſinuat. Vnde uidetur ſenſiſſe ſemen maris, quod architectať & fabricat ſecundū Ariſtot. eſſe animatū, quando eius anima eſt illa quæ ex materia, quā fœmina præbet, ſuū ſibi facit domiciliū. Neq; enim eſt anima patris generantis, alioquin migraret à corpore in corpus, neq; ob eandem rationē anima abſtracta, quam ſecūdum Themiſtiū oportet his quæ ex putrida natura generantur, dare creationē, lineationem, & animā. In his autem quæ ex ſemine non ſit neceſſarium, quū anima ſeminis à generāte ſemini indita, ſufficiens ſit formare & animare materiā ſibi conuenientem. Semen autem maris, quod uicem gerit artificis atq; architecti, eſſe animatū ſecundū ſententiā Ariſtotelis, nō repugnat his quæ ab eodem autore ſcribūtur lib. ſecundo de generatione animaliū, ubi quærit, habeat ne ſemen animā. Et ex ſuo ſermone uidetur ſentire, quod ſemen ſit animatū potentia quidē: ſed ea qua geometer dormiens uel uigilans quidē, nō autē operans dicitur geometer. De qua etiam potentia fortè intellexit Ariſtoteles libro ſecundo de anima, quū ita ſcribit: Semen autē & fructus potentia tale corpus eſt, ſcilicet animatū. Vel per ſemen intelligit Ariſtoteles ſanguinē menſtruū. Et hoc uidetur innuere Themiſtius in eius loci paraphraſi, ita ſcribēs: Planè ex his quæ dicta ſunt liquere arbitror, animā neq; cadaueris, neq; ſeminis perfectionē eſſe: alterū quia deſijt, alterum quia nondū in uitam promotū eſt. Item alterū non poteſt amplius uitam habere, alterū poteſt quidem, ſed nondū habet. Poteſt uero, quia fieri organicum poteſt, & uitam accipere. Quemadmodū enim ferrū informe atq; rude poteſtate ferra eſt, idcirco quia poteſt in ferram id genus excudi, nondū tamen eſt ferra, ſed tūc erit quū aciem & figurā habilem ad ſecandū acceperit: ita & genitura ſeminalis potentia animal, quia poteſt in organicū corpus exculpi, nondū tamen eſt animal, ſed tunc erit quū per ſe ali & indoleſcere poterit. Hęc uerba Themiſtij ſi de ſemine maris intelliganť, Ariſtotelico dogmati nō cohærebūt, qui uoluit maris ſemen nō eſſe

causam

A cauſam materialem,ſed efficientem tantũmodo. Ipſe quoq; Ariſtoteles in primo li
bro de generatione animalium, quid ſit genitura,quid ſemen, oſtendit his uerbis:
Genitura igitur uocat̃,quod à generãte proueniens cauſa eſt, quæ prima obtinet *Genitura.*
principiũ generationis, uidelicet in his quæ coire natura uoluit. Semen eſt quod *Semen.*
ex illis coeũtibus originem trahit,quale ſemen omniũ plantarũ eſt,& animalium
nonnullorũ in quibus ſemen diſtinctum non eſt: ueluti quod ex mare & fœmina
primum miſcetur quaſi cõceptus promiſcuus quidam, aut animal. Hæc enim iam
habent quod ex ambobus requiritur. Ex quibus uerbis Ariſtotelis liquet, quod
illud quod proprie ſemen dicitur, utranq; partem cõplectitur, materialem ſcilicet
& efficientẽ. Materialis eſt illa quæ ferro informi proportione reſpondet. Nam ſi-
cuti illud poteſt in ſerram excudi, ita hæc poteſt in corpus organicũ exculpi. Ne-
que perturbet aliquẽ id quod in tranſlatione habetur(genitura)quaſi plus de ma-
ris ſemine,quàm fœminę Ariſtoteles intellexerit: nam in codice græco Themiſtij,
ſperma legitur,id eſt,ſemen. Et fortè trãslator nõ ſine ratione uerbo Genitura,ad-
didit ſeminalis, ne ex toto Ariſtotelis dogma peruerteret, qui nullo modo uult ge
nituram,id eſt,maris ſemen uicem materiæ præſtare. Vocabulum enim genitura
proprie ſignificat illud quod diximus. Semen autem licet & ipſum apud Ariſtote
lem aliquando pro genitura capiatur, ut in eo ipſo loco, quo ponit inter ſemen &
genituram differentiã, poſtea ſubiungit: Natura autem eius quod ſemen uocatur,
proprium tamen eius ſignificatũ eſt mixtio genituræ & ſanguinis menſtrui. Sic er
go apparet Themiſtiũ uirtutẽ formatiuã non in anima ſeparata, ut ei aſcribit Com *Virtus formati*
mentator, ſed in ſemine maris animato poſuiſſe. Et hoc ex paraphraſi librorum de *ua in ſemine nõ*
anima,quam uidetur citare Cõmentator,quum ait libro duodecimo de prima phi *in anima ſecun*
B loſophia, cõmentatione decimaoctaua, Themiſtiũ aperte dixiſſe illud alterũ eſſe, *dum Themiſt.*
ſcilicet animã abſtractam, dantem animato creationem, lineationem, & animam.
Quid uero idem Themiſtius ſenſerit in paraphraſi libri duodecimi de prima phi-
loſophia,quo in loco eius ſententiã etiam Cõmentator adducit,nõ auſim aſſerere,
quoniã illud opus Themiſtij non extat. Tu uero ex his collige quid Graij ueteres
Ariſtotelis expoſitores,de uirtute ſenſerint formatiua,quam alij naturã ſeu poten
tiam naturalem,ſicuti Alexander atq; Simplicius, alij animã ſeminis,ſicuti Themi
ſtius eſſe dixerũt. Quid uero Arabes atq; Latini recentiores philoſophi, atq; theo
logi de eadẽ uirtute fuerint opinati, promptũ tibi erit ex eorũ libris accipere. Com
mentator quidẽ lib. duodecimo de prima philoſophia,cõmentatione decimaocta
ua,multas Arabũ recitat opiniones, & tandem apponit ſuam, quã ait eſſe Ariſto-
telis,quum tamen eadẽ magna ex parte etiam Platonis exiſtat, quem nihilominus
Cõmentator interim damnat. Nam quum multa ſcripſiſſet,quæ ait eſſe in libris de
animalibus declarata, de calore ſolis atq; ſtellarũ,& caloribus generãtibus ſpecies
animaliũ ex caloribus cœleſtibus deriuatis, ait poſtmodũ eoſdem calores propriã
habere menſuram ab arte diuina intellectuali, quæ eſt ſimilis uni formæ unius ar-
tis principalis ſub qua ſunt artes plures. Secundum hoc igitur ait eſſe intelligen-
dum,quod natura facit aliquid perfecte & ordinate,quamuis non intelligat, quaſi
eſſet rememorata ex uirtutibus agentibus nobilioribus,quæ dicuntur intelligen-
tiæ. Poſtmodũ ſubiũgit: Iſtæ autẽ proportiones & uirtutes quæ fiunt in elementis
à motibus ſolis,& aliarũ ſtellarũ ſunt hæ, quas reputat Plato eſſe formas & eas in-
tendit,ſed longe inſpiciebat eas: quapropter dicit formas eſſe. Hæc quidem Auer
rois,qui platonizans,ut dixi,Platonẽ damnat. Nam naturã nõ eſſe cauſam princi-
palem,ſed inſtrumentalem,& agere aliquid perfecte atq; ordinate,ut directa eſt à
uirtutibus agentibus nobilioribus quæ dicũtur intelligentiæ, eſt Platonis dogma

C potius quàm Ariſtotelis,qui in philoſophia naturali,in qua agitur de generatione animantium,parum de eiuſmodi cauſis abſtractis locutus eſt,ne ut retro diximus duarũ diſciplinarũ præcepta cõfunderet. Sed quum idem Ariſtoteles in multis locis,& libro de auſcultatione naturali,& de generatione animaliũ naturã arti ſimilem tradat: ars uero ſecundũ rationes proprias ad earũ ſimilitudinem ſua opera fabricans,liquet ex hoc quod etiã natura eodem modo facit:quare nihil fruſtra facit. Si ergo natura non eſt primũ efficiens, alia autem eſt cauſa uniuerſalis omnium rerum,ſicuti natura naturaliũ, clarum eſt quod illa omnium quæ generãtur rationes præaccipit,& cauſas,& ad eaſdem rationes ea quæ generantur eximilat. Hæ uero rationes ſunt Platonis ideæ, quæ in mente opifice ab his qui Platonis placita uere interpretantur,ſitæ intelliguntur. Et has etiã concedit Cõmentator, quum menſuram caloris naturalis,à quo animalia generantur,ait prouenire ab arte diuina intellectuali, quæ eſt ſimilis uni formæ unius artis principalis, ſub qua ſunt artes plures: Licet poſtea dicat Cõmentator Platonẽ, cuius ſenſus ignorauit,aliud de ideis exiſtimaſſe,& longe illas inſpexiſſe contendat, & demũ præferat Ariſtotelis opinionem ſuper generatione rerũ naturaliũ. Quæ tamen duæ opiniones non multũ uidebuntur diſcrepare,ſi præter cœlum atq; naturam cauſæ etiam illæ ſuperiores, mens ſcilicet eximia & formæ intellectuales,adhibeantur: Quando & Simplicius tactam cõtra Alexandrũ *de generatione naturali*, & natura,potẽtia irrationali dubitationẽ,nõ *magis Platonice*, q; *etiam Ariſtotelice* ſoluit. Quam ſolutionẽ uidetur Cõmentator mirũ in modũ in ſuis uerbis approbare. Qui pariter & ipſas uirtutes quæ ſunt in ſeminibus nõ actu animatas,ſed tantũ potẽtia eſſe uult,& eſſe potẽtias

D naturales poſtmodũ inſinuat,quum ait naturã facere aliquid perfecte & ordinate, quamuis nõ intelligat, animam autem mundi per omnem naturã inuectam à Themiſtio aſſeri, propter ea animalia quæ ortu ſpontali de materia putri proueniunt. Non eſt adeò Ariſtoteli diſſonũ, ut uidetur Auerrois exiſtimare: quandoquidẽ & ipſe Ariſtoteles lib. tertio de generatione animaliũ,uolens quomodo eadẽ animalia quæ ſine ſemine ortũ habent generentur exponere,his utitur uerbis: Generantur autem in terra humoreq; animalia & plantæ,quoniam humor in terra, ſpiritus in humore,calor animalis in uniuerſo ineſt, ita ut quodammodo plena ſint animæ omnia. Non temere ergo Auerrois Cõmentationis libri duodecimi de prima philoſophia, cõmentatione decimaoctaua, quæſtionẽ abs te propoſitam aggrediens difficilem iudicauit,quam nõ potuit ſoluere,niſi ad Platonicorũ dogma, quod tamen ſtuduit improbare,deficeret. In quo etiã animaduerto peccaſſe Gentilẽ Auicennæ expoſitorẽ,qui in expoſitione primi libri Auicennæ,quærens quid ſit uirtus formatiua, poſt improbatã inter alias etiã Auicennæ opinionẽ, demũ ad uerũ Platonis dogma cõfugit,ita ſcribẽs: Dico igitur quod in entibus naturalibus oportet ponere quoddã agens per intellectũ,quod eſt formæ inductiuũ,limitans,agẽs, præparans materiã. Et cauſa huius eſt,quia ſic cõtingit in arte ſicuti in natura. Non poſſumus iſta aliter probare, ſed in arte uidemus, quod eſt ibi aliquod agens per intellectũ limitans,agens,præparans materiã: ſicuti uerbi gratia in arte fabrili apparet: Nam in fabro eſt ars quædã cognoſcitiua limitans,& menſurãs,agens,præparans materiã,ſicuti ignem,aquã & ſimilia: ut ex materia præparata,ſcilicet ex ferro præparato per ignem,aquã, & malleationẽ poſſit induci quantũ intendit, ſicut cultelli,uel alicuius alterius. Sic igitur etiã erit in natura, ſcilicet agens aliquod per intellectũ limitans,agens,præparãs materiã. Et totum corpus cœleſte cõpoſitum ex omnibus, quod quidem hoc efficit inſtrumentaliter per motũ & lumen principaliter per intellectiuas, quæ in eo ſunt in quibus recepta eſt ars quæ intro. Quæ

quidem

A quidem ars factiua eſt omnis formæ inferioris uel inferius exiſtentis. Vnde dicebat Auerrois duodecimo metaphyſices, quod natura nō operatur niſi reminiſcēs ex ſuperioribus cauſis diuinioribus. Et hæc quidē Gentilis in ſolutione quæſtionis de uirtute formatiua quid ſit. Qui etiam paulò antea ſcribit omnes Ariſtotelis ſectatores in hac ſententia conuenire, quod ſcilicet præter agens, præparans materiam ſit ponendum aliquid aliud agens per intellectum: à qua tamen ſententia Alexander Ariſtotelicę diſciplinæ pręcipuus imitator, uiſus eſt, ut antea probauimus, diſſentire. Multo rectius Simplicius, non quæ Platonis ſunt, Ariſtoteli tribuit, ſed quæ Ariſtotelem dicere oportuerit, ſi & præceptori & ueritati cōſona loqui uolebat, manifeſtauit. Hæc ſunt quæ de uirtute formatiua nos pro temporis breuitate, maximis alioquin & philoſophicæ & medicæ profeſſionis occupationibus impediti, ſcribere potuimus. Neq; nos latet pleraq; alia in medium afferri potuiſſe, quæ recentiores philoſophi atq; theologi ſuis in libris de eadem uirtute ſcripta reliquerunt. Sed nobis ſatis uiſum eſt Auerrois & Cōciliatoris opinionē pertractare, tum quia hi duo autores plurima de uirtute formatiua ſcripſere, tum quia ipſi idem precipuā non modo apud philoſophos, ſed etiam apud medicos habent autoritatem.

DE VIRTVTE FORMATIVA LIBRI FINIS.

NICOLAI LEONICENI

B VICENTINI DE DIPSADE ET PLVRIBVS ALIIS SERPENTIBVS OPVS, AD ILLVSTRISSIMAM DOMINAM LVCRETIAM BORGIAM FERRARIAE DVCEM.

NIHIL eſt quod libentius arripiam, quàm illas quæ mihi offerunt quotidie iuuādæ mortalitatis occaſiones. Vnde his quoque obligatum me ſentio, qui ſuperioribus annis ad ſcribendum de tiro & uipera uel cōtradicentes excitarūt. Quare Lucretia dux Ferrariæ inclyta, ad tuorum erga me beneficiorum cumulum hoc quoq; acceſſit, quod etiam de dipſade ſerpente tam uiperæ ſimili ut difficile ſit internoſcere, ut dictarē aliqua, prima dediſti cauſam. Nam per Herculem Strozam poëtam inſignem tibi familia- *Stroza poëta.* rem, cuius nutu pridem gymnaſium philoſophorū ac medicorum gubernabatur, eiſdem profeſſoribus de ea ſerpente quæſtionem quænam eſſet, aut qualis, proponi iuſſiſti: Es enim, ut omniū ſemper uirtutū, ita bonarū artium & medicinæ præſertim, apprime ſtudioſa. Huius tui ſtudij, & propenſę in hanc maxime facultatem humano generi ſalutarem amplificandam uoluntatis, ego teſtis optimus eſſe poſſum, quem aliquando magnæ etiam mercedis ſponſione hortari non deſtitiſti, ut omnia Galeni de medicina uolumina latina facerē: Quod opus iamdudū à me inchoatū, ſed poſtea propter temporū calamitates intermiſſum, forte ſi ætas ſuffecerit, tuo mihi fauore aſpirāte cōplebitur: aut ſaltem magna pars eius & potior, conficietur. Nunc quod inſtat agamus: effigiem dipſadis atq; naturam, quam noſſe cupis, & quî conueniat cum uipera, quîue differat, manifeſtemus, rem tibi (ut ſpero) futuram non iniucūdam: medicis autem admodū ſcitu neceſſariam, ne quærentes

C uiperam ad theriaces cõpoſitionem, decepti ſimilitudine dipſadem capiãt. Quem quidem errorem recentioris ætatis medicis ſuſpicor contigiſſe, antequam à nobis quid eſſet tirus aut uipera, indicaretur. Sed & hũc & plures alios ad cognitionem ſerpentiũ attinentes, contra autores barbaros, qui hanc quoq; medicinæ partem, ſicuti & omnes alias infinitis penè mendacijs deprauarunt, hoc eodẽ opere ſumus demonſtraturi, ſumpto à uipera initio, quæ magnã habet, ut diximus, cum dipſade ſimilitudinẽ. Erit autem tanto in dipſade inueſtigatio difficilior, ꝗ̃ in uipera fuerit

Dipſas. aut etiam futura ſit, quanto dipſas nõ habet aliquã naturæ proprietatẽ, per quam poſſimus ipſam ab alijs ſerpentibus omnibus, quemadmodum in uipera fecimus, ſeparare, atq; ad eius notitiã certam atq; indubitabilem peruenire. Fallũtur enim, qui putant alia uia melius, quàm illa qua nos inceſſimus, quæ ſerpens ſit uipera, & quo nomine uulgò nuncupetur, manifeſtari. Nam ex eis quæ Auicenna ſcribit libro quinto, capite de uiperis ad theriacæ compoſitionem recipiendis, nemo quid uipera ſit facile dijudicauerit, tum propter ſermonis, qua ubiq; ferè Auicenna, ſiue eius interpres utitur, obſcuritatẽ, tum quia pleraq; etiam inibi ſcripta poſſunt falſa exiſtimari, ſi cum his conferantur quæ de eiſdem ſerpentibus antea Galenus ſcripſerat libro ſuo de theriaca ad Piſonem, quem uidetur de eodem antidoto Auicenna ſcribens uoluiſſe interpretari, licet multa peruerterit, quemadmodũ ſtatim ſumus oſtenſuri. Galenus ſiquidẽ eo quo diximus de theriaca ad Piſonem libro, uult uiperas habere caput & totum corpus latius, non autem ſubtile collum atq; minutum, ut ſcribit Auicenna. Quod etiam inquit Auicenna, earum caudas eſſe curtas (ut eius utar uocabulis) ſtrepitum facientes in inceſſu, haud omnino ad illa uerba

D Galeni congruit, quibus uiperas ad theriaces compoſitionem exigi præcipit, non habentes caudas inuolutas, neq; inceſſum cum ſtrepitu, ſed tacitũ magis atq; quietum. Signum quoq; quo Auicenna marem diſtinguit à fœmina in eodem genere uiperarum, non eſt idem omnino cum eo quod à Galeno ponitur. Galenus ſiquidem ait, caninos dentes plures eſſe duobus in fœmina, in mari autem duos tantũ. Quod etiam diſcrimen Nicander, clarus medicinæ uates, elegãti carmine cecinit:

Mas geminis notus uirus ructare caninis
Dentibus: his autem fert fœmina uipera plures.

Hanc eandẽ differentiam ex dentibus ſimpliciter, nõ ex caninis dentibus, ex quibus autores antedictos, Auicenna notauit his uerbis: Et eorum ſignũ eſt, quod maſculi in omni latere habent unum dentem, & fœminæ plures. Fortè autem falſum eſt quod mas unum tantũ dentem habeat in omni latere, & fœmina plures, niſi de caninis intelligamus. Fieri enim poteſt ut mas etiam plures duobus ex alijs dentibus habeat, qui canini nõ ſunt. Nec minus dubitationẽ faciũt, quæ poſtea Auicenna ſubiungit: Et oportet ut alienentur cornutæ uariæ atq; aſpides. Hæc enim uerba oſtendũt ſenſiſſe Auicennam has etiam ſerpentes eſſe ex genere uiperarũ, quæ ſicuti mares in eodem genere & in piſcinis degentes, & littoribus aquarũ, & mari ſint abijciendæ. Subiũgit deinde Auicenna: Et petroſæ omittendæ. Cuius præ-

Quercinæ. cepti ſtatim attulit cauſam, quoniam in eis ſunt quercinæ facientes ſitim. In quibus uerbis duo ſunt errores, alter quod quercinas, hoc eſt, id genus ſerpentium, quod Græci δρυΐνας appellant, eo quod in quercuum radicibus habitant, facit ex eodem genere uiperarũ, quum tamen ſint genus diuerſum: alter quod quercinas à ſitim facientibus nõ diſtinguit. Quæ ſitim facientes ab eodem effectu græce διψάδες nuncupantur. Apertius autem Auicenna libro quarto, capite de ſpeciebus ſerpentũ, uiperã nõ eſſe ſpeciem, ſed genus potius multas ſub ſe cõtinens ſpecies, indicauit his uerbis: Et ordo ſecũdus eſt de uiperis, quarũ ſpecies iterũ ſunt diuerſæ. De eis

enim

A enim ſunt uiperæ alelifati, & de eis ſunt uiperæ quercinæ, & de eis facientes ſitire, & reliquæ quas dicemus. Sed neq; ex his quæ eodẽ libro quarto, cap. de morſu uiperarum Auicẽna ſcribit, plus ſciat quiſpiam quæ ſerpens ſit uipera, & quo nomine uulgò cenſeatur, indicare: quoniã quæ hic ab Auicenna ſcribuntur ſigna morſus uiperarũ, partim ſunt alijs etiam ſerpentibus cõmunia, partim ex Paulo male trãslata. Nam & amphiſbena ſerpẽs ſuo ictu facit eoſdẽ quos uipera caſus, quemadmodũ non ſolũ Dioſcorides & Paulus, ſed etiã ipſe Auicenna teſtať. Niſi quod Auicenna in hac ſerpente uidetur ambiguus: quoniam eam aliquãdo ſalientem ad duas partes appellat ad Greci nominis imitationẽ, aliquando autẽ Haren aut Carenet: & dicit ſe exiſtimare quod ſit ex genere draconũ marinorũ. Scytale quoq; quã corrupto uocabulo Auicenna ſcyſcetalin uocat, eadem affert mala quæ uiperæ, ut Dioſcorides & Paulus aperte ſignificãt: Obſcure aũt Auicẽna, qui colorẽ ſcyſcetalis ſimilem eſſe ſalienti ad partes dicit, & accidentia eſſe illa, & curã eius eſſe illam. Neq; tamẽ propterea Auicennã improbamus, quod cõmunia accidentia & uiperæ, & quibuſdã alijs ſerpentibus ponat, quãdo hoc Dioſcorides Paulusq; fecerũt. Sed ſolũ hoc cõuincere intendimus, nõ poſſe ex his (ut nõnulli opinantur) quid uipera ſit euidenter oſtendi. Ex alijs quæ idem Auicenna de Paulo perperã tranſtulit, utrũq; nitimur manifeſtare, & nihil iſta conferre ad uiperæ cognitionẽ, & male Auicennã uerba antiquorũ plerunq; interpretari. Inter alia ſigna morſus uiperarum hoc in primis Auicẽna ponit, quod aliquãdo ſanguis incipit aquoſus, deinde ſpumoſus. Paulus aũt quem uidetur uoluiſſe Auicenna in hoc imitari, dicit ſanguinem & ſanioſum humorem primũ fluere, deinde oleaginoſum, nõ ſpumoſum, ut Auicenna tranſtulit. Deinde ſubiũgit Auicenna: Poſtea apparet apoſtema calidũ,
B rubeum habens bothor, & ueſicas ſicuti ex aduſtione ignis, & quãdoq; perambulat, deinde fit uiride illud apoſtema prope morſum, & ſub ore. Et accidit in uiſceribus inflammatio, & in corpore rubedo cum rigore. Paulus autẽ ait circa morſum fieri tumores ſubrubeos & liuidos, reliquũ autẽ corpus decolorari. De ardore in uiſceribus neq; Dioſcorides, neq; Paulus ullã faciũt mentionẽ, niſi quod Dioſcorides hepati accidere inflammationẽ inſinuat. Paulus quoq; & Dioſcorides unà nõ ſanguinis fluxũ è naribus ſicuti Auicenna, ſed gingiuas ſanguinolentas inter caſus qui morſum uiperæ conſequuntur, enumerant. Iam legentes extiment quammulta duci poſſint in controuerſiam, ſi quis uelit ex Auicennæ ſcriptis, quæ qualis'ue ſerpens ſit uipera, noſcere, id cupientibus notificare. Si quis uero eadẽ, qua nos gradiatur uia, atq; ita paucis ratiocinetur: Sola uipera inter ſerpentes parit animal, autore Ariſtotele non uno in loco, ſed pluribus, maraſſus ſerpens ſeu maraſſi fœmina parit animal, ut ſenſus oſtendit, igitur uipera atq; maraſſus eadem eſt ſpecies, diuerſis nominibus apud diuerſas gentes nuncupata: Neminem puto è numero philoſophorum, qui modeſtiſſimũ putant Ariſtotelis cedere autoritati, contradicturum. Niſi quis fortè etiam philoſophus dubitauerit, maior'ne ſit Herodoto fides adhibenda, an Ariſtoteli. Herodoto inquam, qui uniuerſam Græciam ſuis mendacijs infamauit, propter enim ipſum ſcriptum eſt: Et quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria. Hic autem, neſcio an dixerim hiſtoriarum uel magis fabularum ſcriptor, hoc quoq; inter cætera fabulatur, ſerpentes eſſe in Arabia ſubalatos, qui eodem modo quo uiperæ coëunt, ac pariunt. Idq; factum ſolertis naturæ prouidentia, ne ſi eandem habeant, quam cæteræ ſerpentes, generationem, fiant humani generis internecio: ſtatim in hac ipſa ratione mendaciſſimus. Nam ſi uera ſit, oportuit eadem naturæ prouidentia baſiliſcum, aſpides, ceraſtas, hemorroum, hydrum, cenchrida, & pleraſq; alias ſerpentum ſpecies, quarum aliquæ nõ

Scytale.

C minus noxiæ, aliquæ uero magis etiam quàm ſubalati ſerpentes, ſunt homini exitiales, animal & non oua parere, & marem in coitu, fœminam autem in partu interire: quorum utrunq; de uipera tantum traditur. Quod autem ſola inter ſerpentes animal pariat, etiam ab Ariſtotele confirmatur. Sed ut alterum quoq; uerum ſit, in genere uiperarũ marem in coitu, fœminam obire in partu, non tamen Herodotus ſua ratione id efficit, quod uult. Nam duobus è medio ſublatis multi ſuperſunt, quum ſit uiperæ partus fœcundiſſimus, ut quæ una die pariat pluſquã uiginti numero, autore Ariſtotele, libro de hiſtoria animalium ſexto. De quo etiam numero Plinius libro decimo de naturali hiſtoria teſtificat̃, niſi quod nõ omnes uel plures uno die, ut ait Ariſtoteles, ſed ſingulos ſingulis diebus catulos pari à uipera idem Plinius affirmat. Quam etiam ſententiã ſecutus eſt in translatione Theodorus, nimius aliquando uerborũ Plinij affectator. Ex his enim ſequitur uiperã eſſe maraſſum ſeu ſcorctionem, & nõ eſſe. Nam quum ſola uipera inter ſerpentes pariat animal, ut ait Ariſtoteles, & Plinius quoq; conſentit, ſequitur neceſſariò uiperam eſſe ſerpentem, quam uulgò maraſſum, uel ſcorctionem nũcupamus, quoniam & maraſſus fœmina uiuipara eſt. Quia autẽ uipera parit ſingulos ſingulis diebus uiginti ferè numero, ut inquit Plinius, maraſſus autem quod etiam uiſui ſubijcitur, uno die plures ædit in lucem, hac ratiocinatione in ſecũda figura colligitur uiperã non eſſe maraſſum. Itaq; ex Plinij uerbis, imò etiam *Ariſtotelis* (ſi Theodoro Gazæ interpreti credimus) *ſequitur contradictio*. Sed uiderint alij quomodo Plinium tueantur. Nos ſummum philoſophum Ariſtotelem facile à tanto errore uindicamus: ſicuti & quoſdã alios eiuſdem philoſophi locos male à iunioribus philoſophis intellectos,

D ſumus hoc opere quãuis aliud agentes defenſuri. Verba Ariſtotelis de uiperæ partu ita in græco codice ſcripta inueniuntur: Τίκτει δ' ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καθ' ἕν, τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσιν. Quæ nos uerbum ex uerbo ita interpretamur: Parit autem una die ſingulos, parit autem pluſquam uiginti numero. Eſt autem ſenſus horum uerborum, nõ quod ſingulos ſingulis diebus pariat, imò quod una die pluſquam uiginti numero, ſingulos tamen, hoc eſt, nõ binos aut ternos, aut quaternos ſimul, ſed unum poſt alterum. Quod etiam facit maraſſus fœmina, quæ plures una die, ſigillatim tamen parere uiſitur. Vtrum autem plures quàm uiginti numero ſemper una die pariat, uel aliquando pauciores, non puto hoc ex rerum natura conſtare. Fieri enim poteſt, ut ſicuti in pleriſque alijs animalibus numerus fœtuũ nõ eſt præfinitus, ita neq; in huius ſerpentis partu Ariſtoteles de ipſo non id quod ſemper fiat, ſed potius quod crebro contingat, in animalium hiſtoria ſcribere non dubitauerit. Vnde nulla ex ſcriptis eius recte interpretatis, ſequitur cõtrarietas. Sed neque ut Herodotus uerum dixerit ſerpentes eſſe in Arabia ſubalatos animal parientes, propterea Ariſtotelis unam tantum uiperam inter ſerpentes animal parere aſſerentis, ſententia deſtruitur, quoniam ſecundum eundem philoſophum alatum & inalatum non uariant ſpeciem, ut probat primo de partibus animalium argumento formicarum & cicindelarum, quæ in eadem ſpecie & alatæ & non alatæ inueniuntur. Hæc autem obiter dicta ſint tum ad Ariſtotelis, tum ad noſtræ quoque, quæ maxime Ariſtotelis nititur autoritate, de uipera opinionis defenſionem. Nunc ad dipſadem redeamus, in qua eadem eſt quæ in uipera ratio: Nam ſi uelimus eam per uerba Auicennæ, libro quarto, capite De ſerpente faciente ſitim, deſignare, & quæ ſit uulgaris nomenclatura hanc ſcire uolentibus aperire, non minus in hac, quàm etiam in uipera legentis animus hæſitabit, & tanto magis, quanto uidetur Auicenna ſibijpſi in dipſadis figuratione repugnare, quum in capite libri quarti ſtatim antea allegato, dipſadem pingat capite paruo & collo

groſſo,

A groſſo, incipiente curuatura eius ex collo groſſo uſque ad caudam ſubtilem. Hæc enim ſunt Auicennæ ferè ad literam uerba. Et poſtea ſubiungit ex quorundam autoritate, formam dipſadis eſſe formam uiperæ. Et tamen ipſe Auicenna libro quinto, capite quo de uiperis agit quæ ueniũt in Theriaces compoſitionem, dicit quod uiperæ ſunt ſerpentes capita habentes plana, quæ ſunt lata proprie apud propinquitatem colli minuti, ſubtilis ualde. Quare non poterit dipſadis forma ſiue figura eſſe forma uiperæ: ſiquidem dipſas ſecundum Auicennam habet caput planũ & latum, collum autem minutum, & ſubtile ualde. Præterea dipſadis & ad uiperam aſſimilatio plurimam habere poteſt apud Auicennã ambiguitatem: quoniam hic autor (ut ſuprà oſtendimus) uult uiperam non eſſe nomen ſpeciei, ſed generis potius, multas ſub ſe ſpecies cõprehendentis. Quare relinquitur dubitatio cui uiperæ ſpeciei dipſas aſſimiletur, niſi fortè quis dixerit omnes ſerpentum ſpecies, quæ ſecundum Auicennam ſub uiperarũ genere continentur, eandem habere formã, ut ſimpliciter potuerit enunciare formam dipſadis eſſe formam uiperæ: quod tamen fatuũ eſt imaginari. Quo etiam cõceſſo, alterũ æque ridiculum ſequitur, Auicennam nihil aliud uoluiſſe dicere, niſi dipſadem ſibijpſi in forma aſſimilari, quum ſecundũ Auicennam dipſas ſit uiperæ ſpecies, ut antea probauimus. Quare quærendum eſt aliquid quod ita ſit dipſadi peculiare, ut in nullo alio ſerpentũ genere reperiatur, ſicuti parere animal eſt ſoli uiperæ inter omniũ ſerpentũ genera propriũ. Sed hoc dipſadi peculiare inquiet aliquis facile eſt adinuenire ex uerbis Auicennæ, qui eam ſitim facientem nominat: quoniã ſitim intolerabilem facit, ut etiam Lucani uerſus oſtendunt, qui ita ſcripti apud ipſum leguntur:

Signiferum iuuenem Tyrrheni ſanguinis Aulum,
B Tota caput retro dipſas calcata momordit.
Vix dolor, aut ſenſus dentis fuit, ipſaq; lethi
Frons caret inuidia, nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit uirus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit uiſcera tabe,
Ebibit humorem circa uitalia fuſum
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit, defeſſos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atq; oculos lachrymarum uena refugit.

Qui uero hoc mihi reſponderit: fortè aliquid dixerit, niſi ſit idem effectus etiam ſerpentibus, quæ uiperæ nominantur, cõmunis. Conueniunt ſiquidem uiperæ & dipſades non in forma ſiue figura ſolummodo, quemadmodum uidetur Auicenna exiſtimare, ſed etiã in pluribus alijs. Et nonnullæ ex ipſis in hac præcipue naturæ proprietate, quod carniũ ſuarũ eſu uel ictu quē dentibus ingerũt, ſitim inæſtimabilem faciũt, adeò ut Galenus dubitauerit idem ne eſſet uiperarum ac dipſadum genus, an potius diuerſum, ut multi ante ipſum philoſophi ac medici uiſi ſunt exiſtimaſſe, qui uiperã à dipſade diſtinxerunt. Idcirco ſcribit Galenus libro undecimo de ſimplici medicina, ſe in hac ambiguitate Marſos interrogaſſe, nunquid haberent aliquod ſignum per quod ſcirent utrunq; genus dipſadum ſcilicet & uiperarum diſcernere: Qui nullum eſſe omnino genus dipſadum & uiperarũ reſponderunt, ſed eas quæ circa mare & loca plena ſalſugine uiuerent, carnes habere ſalſas. Vnde & in Libya plurimas eſſe tales, carere autẽ illis Italiã propter regionis humiditatem. Hæc quidẽ Marſi: quorũ ſi ſit uera ſentẽtia, paucis poſſumus propoſitam ſoluere queſtionẽ, ita dicentes: Dipſadẽ eſſe uiperam libycã ſiue maraſſum libycũ, aut in locis aridis & ſalſuginoſis, qualis eſt terra Libyæ, degentẽ. Vt autẽ ad hanc

Galenus Marſos de uiperarũ ac dipſadũ generibus conſultat.

C Marſorum ſententiã facile declinemus illud præcipue facit, quod Ariſtoteles Pliniusue duo autores in tradenda tum cæterorum animalium, tum ſerpentum maxime hiſtoria diligentiſſimi, nihil (quod ſciam) de natura dipſadum ſcriptum reliquerunt: quaſi ea inter uiperas eiuſdem generis ſerpentes tacta: niſi quod Plinius uno aut altero tantum in loco in quarundam medicinarum mentione dipſadis unà cum uipera meminit. Ex quo tamen conuinci non poteſt dipſadem eſſe ſpeciem à uipera differentem, quum ſint uiperæ aliquæ ſitim facientes, aliquæ nõ facientes pro uarietate locorum, in quibus degunt. Et quæ quidem ſitim faciũt, dipſades cognominantur: Quæ uero non faciunt, ſimpliciter uiperæ nuncupantur, quemadmodum ex uerbis Galeni paulò poſt ſumus demonſtraturi. Accedit ad hoc quod Galenus nõ auſus aperte hanc Marſorum damnare opinionem, tantum dubitare ſe dixit uerá ne omnino, an ſecundum aliquid falſa forent quæ à Marſis accepiſſet.

Aſſertio Leoniceni.

Quare & nos, ſicuti certiorem ſententiã ſuper hoc, in aliud tempus differimus, ita nunc cõſtanter affirmamus dipſadem uel eſſe maraſſum in locis aridis & ſalſuginoſis genitum, uel maraſſo quamſimilimũ, adeò ut difficilimũ ſit internoſcere. Quandoquidem Galenus tantæ alioquin doctrinæ atq; experiẽtiæ uir, ingenue fatetur ſe neſciuiſſe alterũ diſtinguere ab altero, atq; ideo ſuper his Marſos tanquam aſſiduo ſerpentum uenatu peritiores conſuluiſſe: qui neque ipſi ſcierunt quantumuis in tractãdis impune ſerpentibus exercitati, aliam inter uiperas dipſadasq; præterquam ex ſolo in quo uiuunt, differentiam aſſignare. Subijciam autem eiuſdem Galeni uerba, ut fortè quiſpiam non habeat cauſam, me etiam cum riſu reprehendendi uſq; adeò maraſſis addictum, qui uelim omnes ſerpentes ad maraſſorũ ſpeciem relegare, ut etiam ſicuti in uipera, quam probaui eſſe maraſſum, uel ut alij no-

D minant Scorctionem, nemo me potuit refellere, niſi Ariſtotelem philoſophorum antiſtitem unà redargueret: ita in dipſade nemo me arguat, niſi Galenum alterum medicorũ principem coarguat. Hæc ſunt huius autoris libro quo diximus, undecimo de ſimplici medicina uerba, ubi de carne uiperarum loquitur: Viperarũ quidem caro ad tantam peruenit exiccandi potentiã. Quia uero nonnulli ex eſu eius in uehementiſſimam ſitim inciderũt, & propterea uiperas illas dipſadas nominãt. Sunt autem & qui ex morſu earum inquiunt impleri bibentes, ſed diſrumpi prius quàm ſitis ſedetur. Propterea Romæ uiperarum uenatores, quos Marſos uocant, interrogaui, ſi quod ſignũ poſſent me docere, per quod utrunq; genus uiperarũ inuicem diſtingueretur. Hi uero nullum omnino eſſe genus dipſadũ uiperarum dixerunt, ſed eas quæ circa mare habitant, & circa loca plurimam habentia ſalſugiginem, carnem habere ſalſam. Vnde & in Libya multas huiuſcemodi naſci, in Italia autem nõ eſſe propter regionis humiditatẽ. Hæc quidem à Marſis audiui. Non tamen poſſum affirmare ſi omni ex parte uerũ dicũt, an ſecundũ aliquid mentiantur. Quod enim in his quæ dixere, locis, uiperæ naſcantur carnẽ ſalſam habentes, mihi uidetur ueriſimile, quoniã me nõ latet carnes animalium ex alimentis tranſmutari. Non tamen poſſum quod nullum ſit genus dipſadum uiperarum demonſtrare. Tutiſſimum autem eſt cauere uiperas, quas in talibus locis uenantur, ſiue ad uſum cibariũ, ſiue ad pharmaci cõpoſitionem: quale eſt iſtud celeberrimum, quod omnes medici Theriacen nominant. Ex quibus ultimis Galeni uerbis iam diſcere poſſunt noſtrę ætatis medici, quãto fuerint dudũ in errore uerſati, qui hactenus Tirum, id eſt, uiperam, ex terris admodum calentibus aridiſq;, ueluti ex Aegypto & Arabia perquiſierunt, quũ tamen hunc haberent in Italia ſerpentem, multo peregrinis ſalubriorẽ. Hæc habui quæ de dipſade ſcriberem ſecũdum Galeni opinionem, qui dipſadem aut minimũ aut nihil diſtare figura à uipera nobis inſinuauit.

A qua

A A qua etiam opinione non multum Auicenna diſceſſit, quum dixit formam dipſadis eſſe formam uiperæ. Si quis uero aliorum mauult ſententiam ſequi, qui fecere dipſadem non ſolum ſpecie, ſed etiam effigie aliquantulum à uipera differentem, ſubijciam Nicandri uerſus, dipſadis formam, magnitudinem, ac mores deſcribentis, quos nos ita in latinam uertimus linguam. Nicandri de dipſade uerſus à nobis translati hi ſunt:

Dipſadis eſt ſpecies quæ uipera parua uidetur.
Ocyus hæc hominem quem fortè momorderit, ictu
Terribili exanimat cauda extenuata, colore
Lurida, in extremis urunt incendia pectus
Dipſadis ex morſu, nec labra madeſcere poſſunt,
Dum ſitis infeſtat, multo licet oris hiatu
Perſimilis tauro qui pronus mergitur undis,
Hauriat immodicum potum, nec deſinat antè
Quàm miſero uenter diſrumpitur, atq; ita magno
Pondere, quod nequeat longum tolerare, leuatur.

Eoſdem in dipſade effectus quos Nicander cecinit, Dioſcorides etiã & Paulus ſcripſerunt, qui & ipſi uiſi ſunt dipſadem differre ſpecie à uipera putauiſſe. Qui præterea autores hanc eandem ſerpentem duobus alijs nominibus inſignierunt, non dipſadem tantũ à ſiti, ſed & preſtera & cauſonem ab incendio, cuius eſt cauſa, uocitantes. De qua nominum uarietate etiam Suidas autor bonus apud Græcos teſtificatur his uerbis: Dipſas ſpecies ſerpẽtis, eſt uero uipera maſculo minor, ſed in necando uelocior. Eſt autem colore alba, & habet lineas in cauda duas. Quidam ue-
B ro ipſam preſtera nominant, alij cauſonẽ. Naſcitur autem in Libya & Arabia magis. Alijs etiam cenſetur nominibus, uidelicet melanuros, id eſt, uerbum ex uerbo nigricauda: & ammoatis, id eſt, arenoſa: & centris, id eſt, ſtimulo ſimilis. Hanc eandem nominum in eadem ſerpente uarietatem Aelianus libro ſexto de hiſtoria animalium annotauit, & eodem colore, ijſdemq; in cauda lineis eius pinxit imaginẽ. Verum hic ingens oritur difficultas, in qua non ſolum Lucani, ſed etiam Alberti exiſtimatio periclitatur. Cui tamen Alberto minus ſit ignoſcendũ, quoniam Magni cognomẽtum adeptus ob eam quam habere creditus eſt, & adhuc creditur in omni philoſophiæ genere excellentiam: ubi de rebus quarum cognitio ad philoſophos ſpectat, agebatur, debuit pluſquam poëta peruidere. Difficultas quæ oritur, hæc eſt: Quo pacto quum eadem ſit ſerpens preſter & dipſas, quemadmodũ antè dicti nõ parũ uerendę autoritatis uiri teſtificantur, Lucanus tamen & de preſtere & de dipſade ſeparatim, ueluti de diuerſis ſerpentibus loquatur, atq; ab altera quidem, id eſt dipſade

Difficultas ingens, in qua Lucani et Alberti exiſtimatio periclitatur.

Signiferum iuuenem Tyrrheni ſanguinis Aulum,

dicat miſerabiliter exanimatum, quemadmodum eiuſdem Lucani uerſus alij ſuprà notati manifeſtãt. Ab altero uero, preſtere ſcilicet, ſcribat Narſidiũ Marſi agricultorem non minus crudeliter, ſed propè eodem mortis genere fuiſſe enecatũ, ut infrà ſcripti uerſus oſtendunt:

Narſidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit preſter, illi rubor igneus ora
Succendit, tenditq; cutem pereunte figura.
Miſcet cuncta tumor maior iam corpore toto,
Humanumq; egreſſa modum ſuper omnia membra
Inflatu ſanies late tollente ueneno.

C Quomodo etiam Albertus Magnus duo capita faciat, alterũ de dipſade, alterum de preſtere. An dicendum fuerit eſſe duas dipſadis ſpecies, alteram quæ uiperæ ſimilima ſit, de qua Galenus dubitauit, an in idem genus coiret cum uipera: Alteram omnino à uipera differentem, quæ tum dipſas tum etiam preſter nominetur: & primam quidem Aulum, ſecundam uero Narſidium iuxta Lucani uerſus occidiſſe: Aut duos preſteras, alterum generis proprij, alterũ cum dipſade communis: atq; ita excuſetur Albertus, & quicunq; alij duo capita alterũ de dipſade, alterũ de preſtere ſuis tactatibus inſeruerunt. Sed huic excuſationi illud aduerſatur, quod Dioſcorides, Paulus atq; Nicãder, & Plinius apud nos de una tantum dipſadis ſpecie meminere, quæ à diuerſis effectibus à ſiti quidẽ dipſas, ab incendio autem preſter nominatur. Eandem autem eſſe de qua antedicti autores loquuntur, & preſterem de quo Lucanus, eo pariter argumento probari poteſt: quoniã idem ferè effectus & ab illis dipſadi, & à Lucano preſteri tribuuntur. Fortè autem & Centris, & Ammoatis non ſunt ſerpentum aliarum à dipſade nomina, ſed ipſa una eſt quæ & preſter & cauſon ab incendio (ut diximus) nuncupatur, & centris pariter: quoniam (ut ait Nicandri expoſitor) facies eius tendit in acutum, atq; ita centro aſſimilatur: Ammoatis autem, quia ſua habet in arenis latibula. Verũ de hoc nolo decernere, tum quia res eſt in obſcuro, tum quia utraq; opinio magnos habet autores. Nõ deſunt alia mihi exempla quamplurima, ex quibus oſtendere poſſum Albertum philoſophum citra Lucani poëtæ autoritatem plures ſerpentũ ſpecies, deceptum (ut uidere licet) nominũ diuerſitate, fruſtra multiplicaſſe, quaſi natura, quũ fieri uoluit ex parente nouerca, non ſatis multas huiuſmodi peſtes in ſerpentũ generatione protuliſſet, niſi nos ipſi alias inſuper earundem ſerpentum ſpecies, & to

D tidem mortium inutiliter fingeremus. Baſiliſcum ſerpentem omnium pernicioſiſſimum, qui non contactu, ſed etiam afflatu unumquodq; ſibi uicinum exanimat, cuius ſementem, ſi fieri potuiſſet, oportuit funditus abolere, Albertus tamen nobis cõgeminauit: Siquidem duo capita facit, alterum de baſiliſco, alterum de armene, quaſi ſint ſpecies ſerpentum differentes, æquale uirus habentes, quum tamen una ſit, quæ græco quidem uocabulo βασιλίσκος, latino regulus, barbaro autem armene nuncupatur. Eſſe autem unicam ſpeciem baſiliſcum & armenem, & non duas (ut putauit Albertus) effectus indicant, qui idem baſiliſco & armene partim ab Alberto & Auicenna, partim à Dioſcoride, Galeno ac Paulo, atq; in primis à Nicandro ſoli baſiliſco tribuũtur. Siquidem hi græci autores nihil de armene ſerpente parem habente cum baſiliſco poteſtatem, meminerunt. Medicinæ etiam, quas ad morſum armenæ ſerpentis Auicenna ſcribit, ſunt quas Dioſcorides & Paulus ex Eraſiſtrati ſententia ad morſum baſiliſci tradiderunt. Subijciam autem Dioſcoridis ac Pauli uerba, ad quorum imitationem eadem ferè ſcripſiſſe uidetur Auicenna, ut maior mihi ſuper hac ſerpente fides adhibeat. Dioſcorides ac Paulus ita ſcribunt: His autem quos baſiliſcus momorderit, ut inquit Eraſiſtratus, prodeſt caſtorei drachma una pota cũ uino: ſimiliter aũt & papaueris. Hanc eandem curationẽ inſerens Auicenna ſcribit in hunc modũ: Et dixerũt quod morſo ab eo, ſcilicet armene, nõ cõfert aliquid: Si uero aliquid cõfert ei, tunc ſemẽ papaueris uſq; ad drachmam unã, & caſtoreũ uſq; ad drachmã unã, quidã iam teſtificati ſunt illud. Quare non temere ſtatim in titulo capitis de baſiliſco & armene inſcripti, Auicenna dubitat, ſit ne idem ſerpens armene cũ baſiliſco, uel diuerſus. Quid tamen opus erat Auicennam dubitare? quum neq; Nicander, neq; Dioſcorides, Galenus, aut Paulus, ut diximus, ullam faciant de armene ſerpente mentionem. Niſi fortè quis putet per armenem apud Arabes eam feram intelligi, quam Græci Catoblepam nominant.

Catoblepa.

A minant, de qua Plinius libro octauo, capite uigeſimoprimo, & Solinus quoque libro ſuo de ſitu & memorabilibus orbis, capite quadrageſimotertio, commeminit. Verum hi duo autores uidentur catoblepam non ſerpentibus, ſed quibuſdã alijs feris, lyncibus, ſphingibus, crocutis, & cercopithecis, Indicis bubus, leucrocutis, caletauris Aethiopiæ, manticoræ, & monoceroti Plinius: Camelopardali uero, & cephis, rhinoceroti, & quibuſdã alijs beſtijs, quibus regio Aethiopũ plena eſt, Solinus annumerare. Quod ſi Plinius ſtatim poſt factã de catoblepa mentionẽ etiam capite eodem de baſiliſco ſubiũgit, non puto ob id facere, quia utrunq; animal ſub eodem proximo genere ſcilicet ſerpentum contineatur, alioquin ambos tam ſcilicet catoblepam quàm etiam baſiliſcũ inter ſerpentes retuliſſet, capite ſcilicet eiuſdem libri uigeſimitertij, cui De ſerpentibus titulus eſt. Sed catoblepa fera eſt, ideo de ea inter alias feras mirabiles facit mentionẽ. Quia uero eandem habet quam baſiliſcus, ſolo intuitu oculorũ hominẽ exanimandi uim, ideo illi baſiliſcũ annexuit. Plinius quoq; baſiliſcũ ſerpentem, catoblepam autem feram generaliori uocabulo nuncupauit, uolens (ut arbitror) hac appellationum diuerſitate nõ eſſe eiuſdem proximi generis hæc duo animalia nobis ſignificare. Sed & alia Plinij catoblepam deſcribẽtis uerba, cæteris membris inertem, caput prægraue ægre ferentẽ, deiectũ ſemper in terrã, etiam nobis inſinuant catoblepam eſſe animal quadrupes potius, qualia ſunt reliqua, quæ eodem capite à Plinio cõmemorantur, q̃ ſerpentẽ. Aelianus quoq; non cõtemnendæ apud Græcos autoritatis, talem catoblepũ (ſic enim ipſe nominat) nobis deſcribit, ut non ſerpentis, ſed feræ quadrupedis effigiem repræſentet. Hæc ſunt eius autoris libro ſexto de hiſtoria animaliũ de catoblepo uerba: Terra libyca multarum ac diuerſarum ferarum fertilis eſt: parit autem & catoblepum ita uocatũ tauri effigie, ſed aſpectu horribiliorem: nam ſupercilia illi eminentia, & hirſuta, oculi uero ſubijciũtur non ut bobus magni, breuiores autem & ſubcruenti, non directum habentes intuitum, ſed in terram pronum: unde beſtiæ nomen. Iuba uero ex uertice incipiens, equinis ſimilis ſetis deſuper à fronte deſcendit in faciem, atq; ipſum uiſu reddit terribiliorẽ. Hæc Aelianus, qui luce clarius nobis oſtendit catoblepum nõ eſſe (ut nõnulli putauere) ſerpentem armenem apud Arabes nuncupatum. Præterea qui dixerũt quod morſo ab armene non confert aliquid: ſi uero aliquid confert ei, tunc ſemen papaueris uſq; ad drachmam unam, & caſtoreum uſq; ad drachmam unam. Et quod quidam teſtificati ſunt illud, neq; illud dixerũt, neq; etiam ſunt teſtificati de catoplepo, neq; de aliquo ſerpente à baſiliſco diuerſo, ſed de baſiliſco tantummodo, ſicuti Dioſcorides Pauluſq; ex Eraſiſtrati (ut antea diximus) teſtimonio. Eſt autẽ Auicennæ mos, quũ uult medicos ueteres, præcipue Dioſcoridem, Galenũ, & Paulum citare, ſine nomine uti hoc uerbo, dixerunt, ut poſſum multis apud eundem Auicennam exemplis oſtendere de his, quæ illi autores ſuprà memorati antea dixere, & ipſe poſtea Auicenna non tamen eos nominatim adducendo, recitauit. Multo tamen plus eſt, ut mihi uidetur, Albertus quàm Auicẽna dubitãs, reprehendendus: Albertus inquam, qui ſtudio prolapſus multa ſerpentum genera, quæ nunquam natura genuit, connumerandi duas eſſe ſerpentũ ſpecies baſiliſcum & armene eaſdem uires habentes ſine aliqua dubitatione aſſeuerauerit. Subiungam autem etiam Alberti de armene uerba, ex quibus unuſquiſq; poterit dijudicare nullam feciſſe ipſum inter armenem & baſiliſcum ſiue regulum, niſi ſolam nominis & magnitudinis differentiam. Alberti de armene uerba, libro uigeſimoquinto de animalibus hæc ſunt: Armene ſerpẽs eſt, quo nullus penitus ſerpens peior eſt, niſi regulus ſolus: Nõ enim differt à regulo in nocumento, quia uiſu interficit, & auditu ſibili ſui, ſicuti regulus, & quodcunq;

Aelianus de catoblepa ſerpente.

B

Auicennæ familiaris modus ſcribendi ueteres autores.

C animal mordet,ſtatim diſſoluit̃ & morit̃. Et ſimiliter moritur omne animal, quod animal appropinquat ei, etiam ſi ab eo non mordeatur: ſed quantitate maior eſt quàm regulus, & eſt quantitas eius ab uno cubito in cubitum, & morſus eius nullam penitus recipit curationem. Hæc quidem Albertus. Miror autem quum ipſe eaſdem tribuat nocendi uires armenæ, quas etiã baſiliſco, quomodo ſolum regulum eſſe armene peiorem inſinuat. Niſi fortè putauit Albertus non eſſe armenem adeò maleficum ſicuti baſiliſcus, quia poſſit quidem, ſed tamen nolit tantum nocere quantum baſiliſcus. Sed unde hæc armenæ pietas? unde miſericordia? Equidem puto non poſſe baſiliſcum armenæ in malitia conferri, niſi idem ſibiipſi comparetur: qui quum unus ſit ſerpens, ut pro duobus ſit habitus, cauſam fuiſſe puto, quia uarij autores de eodem ſerpente, alij ſub uocabulo græco baſiliſcus, alij ſub barbaro armene, eoſdem tamen effectus & eandem curationem, ut antea oſtendimus, tradiderunt. Verum qui de baſiliſco ſcribunt, nihil de armene loquuntur. Qui uero de armene tractant, baſiliſcum prætermittunt: niſi quod Auicenna utrunq; nominat, dubitans tamen ut diximus, ne unus ſit, qui duo à quibuſdã cenſetur. Præterea Semerion qui de ſerpentibus ſcripſit, à quo, ut coniectari poſſumus, multa de eiſdem ſerpentibus tractans Auicenna accepit, in baſiliſco quidem ab Alberto citatur, in armene autẽ minime, quod uidere licet in omnibus alijs ſerpentibus fruſtra ab Alberto duplicatis: Nam ſi in uno ſerpentis nomine Semerion allegatur, in altero omittitur: unde unuſquiſq; facile poſſit animaduertere Albertum in multiplicandis ſerpentum ſpeciebus nulla re magis, quàm ex nominũ uarietate fuiſſe deceptum. Nam & ſimili cauſa alteram quoq; eiuſdem ordinis ſerpentis ſpeciem,

Ceraſtes. & propè ueneno baſiliſco æqualem, idem Albertus duplicauit, ceraſtem ſcilicet,

D de quo ſerpente agit, & ſub ceraſtis nomine primum, & poſtea ceriſtalis, neſciens tamen eandem eſſe ſpeciem diuerſis nominibus appellatam, ceraſtes uocabulo, ut opinor, in ceriſtalim deprauato. Quanquam apud Auicennam non ceriſtalis, ſed ſirtalis ſcriptura adhuc magis corrupta legatur. Quod autem non ſit ceriſtalis ſiue ſirtalis ſerpens à ceraſte ſerpente differens, plura habemus argumenta. Primum quod omnia ſigna quæ ſcribit Albertus ex Semerionis & Auicennæ autoritate ad ceriſtalis morſum notificandum, ſunt quæ in ceraſte à Dioſcoride & Paulo etiam traduntur. Quæ nos ſubijciemus, ut facta utrorunq; collatione non differre altera ab alteris, niſi diuerſitas tranſlationum aliquid immutat, ab omnibus intelligatur. Hæc ſunt ſigna morſus ceriſtalis ſeu ſirtalis à Semerione atq; Auicẽna, ipſo Alberto teſtante, ſcripta: Ceriſtalis eſt ſerpens de genere uiperarũ, & ſecundi ordinis, & eſt cinereus duorum cubitorum. In loco morſus accidit inflatio, & ueſicæ duritia, apparent & fluxus humiditatis ſanguineæ nigræ ex loco morſus, & patitur læſus alienationẽ rationis, & tenebroſitatem uiſus, & ſpaſmum mortificantem. In his autem quos ceraſtes momordit, Dioſcorides Paulusq; hæc ſigna ſcribũt: Locus quidem attollitur cum duritie & puſtulatione. Fluit autem à morſu ſanies nonnunq̃ quidem nigra, nonnunquam uero ſubruffa. Circa autem totum corpus pallor apparet, & penis quidem tetanum patitur, mens uero extra ſe fit: Oculis autem caligines oboriuntur: tandem cõuulſus per modum tetani moritur. Quiſpiam tamen poſſit pro Alberto reſpondere duas eſſe ſerpentum ſpecies, quarũ morſus iidem caſus cõſequuntur. Sed contra hoc eſt, quod qui de ceriſtali ſcribunt, ſicuti Semerio, atq; Auicenna, nihil præterea de ceraſte loquuntur: alioquin ſicuti in ceriſtali, ita etiam in ceraſte autor uterq; ab Alberto citaretur. Qui autem de ceraſte uerba faciunt, ſicuti Nicãder, Dioſcorides, Galenus ac Paulus, nullam de ceriſtali uel ſirtali fecere mentionẽ. Quam quidem rationem puto efficacem non ſolum ad pro-

bandum

A bandum erraſſe Albertũ,ſed etiam ad oſtendendum unde errandi habuerit occa=
ſionem: quia enim ſeorſum apud Plinium atq; Solinũ ſiue quoſcunq; alios latinos
uel græcos autores de ceraſte legerat. Seorſum autem de ceriſtali uel ſirtali apud
Semerionem & Auicennam, hanc tantum in nominibus diuerſitatem attendens,
incidit in errorẽ,putans eam quæ fuit in uocabulis ſolum, eſſe etiam in re ipſa dif=
ferentiam. Videtur autem & hæc cõfuſio nominum nõ mediocriter Auicennam
perturbaſſe,adeò ut in hac ipſa ſerpẽte, quam ſirtalim nominat, dubitauerit cuius
ordinis eſſet:licet Albertus non tantum ex Semerionis,quantũ etiam ex Auicen=
næ ſententia,eam ſecũdi ordinis ſtatuat. Hæc enim ſunt Auicennæ de ſirtali nõ pa
rum ambigentis uerba:Et ego quidẽ dixi hunc ſerpentẽ in loco extimatiue, & nõ
noſco eum,neq; ordinem eius,neq; ipſius genus cum uerificatione, & nec ſcio an
iſte ſit in iteratione,an non.Hæc quidem Auicẽna, plenus (ut apparet) dubitatio=
num:quarũ tamen nõnullas ſpero me poſſe facile perſoluere, nixus Nicãdri, Dio
ſcoridis,atq; Galeni, & Pauli,à quibus Arabes omnia ferè, licet perperàm quædã
acceperũt,autoritate.Nam de ordine in quo ſit ſirtalis ſerpens reponenda, prom=
ptum habemus ex eiſdẽ autoribus reſpondere,ex quibus etiã probauimus ceriſta
lim aut ſirtalim eſſe ſerpentem ceraſtem apud Græcos nominatã.Quũ enim apud
autores Gręcos ſuprà cõmemoratos baſiliſcus,aſpis,atq; ceraſtes in eo ſerpentum
ordine collocentur,quorũ morſus non recipit curationẽ, niſi per membri tacti ue
neno abſciſſionem,iam liquere poteſt ſirtalim eſſe ordinis primi,ſecundũ quod de
ſerpentũ ordinibus loquitur Auicenna.Quare nõ ſatis recte eam in ſecundo ordi
ne uidetur Albertus poſuiſſe. Alterã autem de ſirtali ſerpente Auicennæ dubita=
tionem,An ſcilicet facta ſit apud ipſum ſuperflua repetitio,non æque facile eſt ſol=
B uere:quoniã cornuta,de qua antequã de ſirtali loqueretur, Auicenna uerba fece=
rat, ſi nomen attendimus,atq; remedia, quæ ad morſum cornutæ Auicenna adhi=
bet,uidetur ea eſſe ſerpentis ſpecies, quam Græci ceraſtem nominãt, quam corru
pto uocabulo ceriſtalim ab Alberto, ſirtalim autem ab Auicenna nũcupari ſuprà
demonſtrauimus. Auicenna ſiquidẽ de cornutæ ſerpentis curatione ita ſcribit:Et
quod ei appropriatur eſt,ut in potu detur ſemen raphani cum uino.Idem raphani
dis ſemen cum uino potum ſcribit Dioſcorides contra morſum ceraſtis auxiliari.
Deinde ſubiũgit Auicenna, quod eidem morſui cõfert cyminũ Indum, & ſiſamũ
cum uino,& caſtoreũ cum uino. De ſiſamo itidem ſcribit Dioſcorides, quod ſanat
morſum ceraſtis. Cyminũ autẽ Indum eſt id, quod à Græcis & à Latinis ammi no
minatur:licet Dioſcorides,ammi non cyminũ Indum,ſed potius Aethiopicũ uoca
ri teſtetur.De ammi autẽ Plinius libri de naturali hiſtoria uolumine uigeſimo ſcri
bit in hunc modũ:Eſt & cymino ſimilimũ,quod Græci uocãt ammi:mitigat cum li
ni ſemine ſcorpionũ ictus, cum uino potum drachmæ duæ, priuatimq; ceraſtum
pari potione myrrhæ. Idem Plinius ſecũdo & trigeſimo uolumine ita de caſtoreò
ſcribit:Teſtes caſtorũ medentur aduerſus ceraſtem. Auicenna quoq; morſui cor=
nutæ iubet imponi ſalem tritum confectũ cum alkitran. Plinius uero trigeſimopri
mo eiuſdẽ libri de naturali hiſtoria uolumine, ſalis naturã cum origano & cedria,
id eſt,gummi cedri,quam Arabes alkitran uocãt(quidã male picem liquidã inter=
pretantur)cõtra ceraſten cõmendat. Si uero cornutæ deſcriptionẽ apud Auicen=
nam cõſideremus,uidetur cornuta nõ eſſe ex ceraſtũ, ſed aſpidum genere potius.
Quandoquidẽ Albertus tum Auicennã,tum etiam Semerionẽ in cornuta aſpide
allegãs ait,quod eſt ſerpens ordinis primi, cuius longitudo eſt ab uno cubito uſq;
ad duos,& ſunt ſuper caput eius duæ eminẽtiæ, ſicuti duo cornua,& color corpo
ris eius eſt color rubeus, & uenter eius eſt ſicuti ſquamæ ſiccæ,duræ:quæ quũ am

C bulant, ſtrident ſuper terram, & ſtrepitum faciũt, & dentes eius ſunt æquales, non
recurui: ſecundum plurimũ habitat in locis arenoſis. Quæ quidem omnia ad uer-
bum ferè ſcribit Auicenna de cornuta. Quare alterum duorum nõ poteſt Auicen
na euitare, quin aut remedia, quæ erãt ad ceraſtes opportuna, male ad aſpidũ mor
ſus accõmodauerit: aut ſi ſerpens de qua agit cornuta ſit illa, quam Græci ceraſten
uocant, fruſtra eũdem ſerpentem in altero capite de ſirtali repetierit. Fortè autem
ſeorſim diligentius contra Semerionem & Albertum conſiderandum, an in gene
re aſpidum ſint aliqui ſerpentes cornuti. Hoc enim Nicãder negat, qui ait aſpides
non habere cornua, ſed quoſdam ueluti callos in fronte circa ſupercilia prominen
tes, propter quos uidentur eorum oculi in quadam cauitate reconditi. Albertus
inſuper ſcribit Solinum dicere, quod aſpides cornibus impetũt homines, ſed hoc
non eſſe probabile. Ego uero neque quod omnino ſint aſpides habentes cornua,
neq; quod dipſas ſit ex aſpidũ genere (quoniam & hoc quoq; Solinus refert) puto
eidem Solino credendũ: quoniam alterũ (ut dixi) Nicander improbat, alterum ue
ro eſt nõ modo Nicãdri, ſed etiam Dioſcoridis, Galeni, Pauliue ſententiæ contra-
rium, quemadmodũ ex his quæ ſuprà ex horum autorũ teſtimonio de dipſade ſcri
pſimus, ſatis declaratũ arbitramur. Sed & in hoc ipſo aſpidũ genere multipliciter
Aſpidum tres ſpecies. errat Albertus: Nam quum ſint tres aſpidũ ſpecies, ut ſcribit Galenus libro de the
riaca ad Piſonẽ: una quæ χερσαῖος, id eſt, *terreſtris* à *Græcis* nominat̃, quæ (ut opi-
nor) *eſt illa, quam Auicẽna aſpidem* ſiccam appellat: Altera quæ χελιδόνιον, id eſt,
hirundinacea ab *eiſdem* Græcis uocatur, ab Auicenna hirũdo: Tertia quæ πτύας,
latine aũt ſpuens, ab Auicenna ſeu ab Auicennæ interprete nuncupat̃. Albertus
D de multo pluribus ſcribit aſpidũ ſpeciebus: Nam præter cornutã aſpidem, de aſpi-
de ſicca primũ facit mentionẽ. Deinde de aſilo, quam uult eandem eſſe cum ſpuen
te ſpeciem, licet de hoc Auicenna fuerit ambiguus. Deinde de hipupice, quod pu
to eſſe uerbũ à græco uocabulo ptyade transformatũ, tanquam ſpecie ſerpentis à
ſpuente differente cõmeminit, & ait eſſe illam, ex cuius ueneno ſuauem mortẽ ſibi
Cleopatræ mors. Cleopatra cõſciuit. Ex quibus uerbis Alberti præter nominis ſimilitudinẽ etiam
colligimus hipupicem non eſſe aſpidis ſpeciem à ptyade ſiue ſpuente diuerſam,
quandoquidem Galenus quoq; teſtatur Cleopatram ex tribus ſuprà cõmemora-
tis aſpidis ſpeciebus ptyadem ſibi feſtinãdæ mortis gratia, ne uiua foret Romanis
ſpectaculum, in triumpho Auguſti Cęſaris admouiſſe. Vltimo loco etiam obtria-
lum alijs aſpidis ſpeciebus Albertus annumerat, adeò ut idem Albertus uideatur
plus nimio ſerpentũ genera, de quibus ſcripſimus, fœcũdaſſe, nõ ſolũ ſpecies ſub
generibus multiplicando, ſed etiam in ſpeciebus cornua, quũ & aſpides cornutos
finxerit, qui tamen cornibus uacant, ut antea probauimus Nicandri autoritate, &
ceraſtis octo dederit cornua, quaſi duo aut quatuor nõ ſatis eſſent ad noxam, quot
tantum illis Nicander, Plinius atq; Solinus & alij, qui de ceraſtis ſcripſerũt, aſſigna
uere. Verum Albertus parum in latinis literis elegans, quũ apud Pliniũ & Solinũ
legiſſet ceraſtas habere cornicula quadrigemina: per quadrigemina bis quatuor
(ut coniectari poſſumus) intellexit. Auicennæ uero de aſilo dubitationẽ, an ſit ea-
dem cum ſpuente aſpidis ſpecies, licet neq; ipſe, neq; etiam Albertus, quãtum ex
uerbis eorũ datur intelligi, uideãtur aſilum ſiue ſpuentem aſpidibus annumerare,
nos hoc modo ſoluimus: Dicimus aſilũ à ſpuenti, ſicuti genus à ſpecie differre: ſi-
quidem ptyada ſiue ſpuentem eſſe aſpidis ſpeciem ſuprà Galeni autoritate mon-
ſtrauimus. Aſilum uero nõ aſpidis ſpeciem, ſed ſimpliciter aſpidem apud Auicen
nam ſignificare ea ratione probamus, quod quę à Dioſcoride & Paulo in his quos
aſpis momorderit ſcripta inueniũtur, eadem in morſu aſili ab Auicenna referunt̃.

Verba

A Verba enim Dioſcoridis ac Pauli in his quos aſpis momorderit, ita ſe habẽt: Morſus quidẽ ſimilis eſt puncturis acus, & paruus uidetur omnino abſq; tumore. Sanguis autem non multus, ſed paucus & niger deſtillat. Velox autem obtenebratio oculorũ hominem occupat, & labor totius corporis uarius, omnino autem leuis, & non ſine uoluptate conſequitur. Quare Nicander ita de huius ſerpentis morſu pronunciauit: Sine labore autem moritur homo, color uiridis apparet, cordis morſus exiguus, frons cõtinuò cõuellitur, palpebræ ueluti in dormiente ſine ſenſu aliquo mouent̃: Inter hæc autem mors hominẽ rapit ante diem tertiã. Apud Auicennam autẽ aſili ſerpentis morſus ſigna in hunc modum ſcripta reperiuntur: Locus morſus eius eſt paruus ſecũdum quantitatem puncturæ acus abſq; apoſtemate, & currit ex eo ſanguis paucus niger, & accidunt ei qui ab eo morſus eſt, tenebroſitas oculorum, & dolor in uiſceribus, & ore ſtomachi in primis: Deinde clauſio oculorum, & profunditas ſomni: & non uiuit ultra tertiam diem. Quare ex his omnibus colligere poſſumus dupliciter Albertũ erraſſe, & quia ſpuentẽ atq; aſilum eandẽ ſpeciem putauit, quæ tamen eo modo, quo diximus, differant: Et quia hippupicẽ, quæ eadem erat cum ſpuente, ut antea monſtrauimus, ſpecie eſſe tamen differentem exiſtimauit. Sed neq; minus Albertus ſerpentem miliarem plus quàm fuerat opportunum multiplicauit, in hoc quoq; deceptus nominum, ut uidere licet, uarietate: Nam de eo agit primum ſub nomine arachis, deinde ſub nomine centris, in quo male Lucani uerſum allegat, quem ille non de centride, ſed cenchride potius, id eſt, miliari ſerpente protulit in hunc modum: *Miliaris ſerpens.*

Et ſemper recto lapſurus limite cenchris.

Deinde ſub nomine barbaro faliuiſus, ſiue, ut apud Auicennã ſcribitur, famiuſus.

B Poſtremo ſub nomine latino miliaris. Cenchridem autem, pro quo centridem ſcripſit Albertus, eſſe eandem ſerpentem quæ & miliaris, neminem puto dubitaturũ, qui ſcierit cenchrũ idem apud Græcos ſignificare, quod apud Latinos miliũ. Sed & ea naturæ proprietas, quam Lucanus cenchridi ſerpenti uerſu ſuprà ſcripto tribuit, multo antea fuerat à Nicandro in eodem ſerpente patefacta, qui admonet hominem ne cenchridi recto curſu obuiet: quia nihil eſt ipſo uelocius. Arachin autẽ & faliuiſum non eſſe ſerpentes à cenchride ſiue miliari differentes, ijſdem probabimus rationibus, quibus etiam in prioribus probationibus uſi fuimus, quia uidelicet eadem ſigna, quæ ſcribit Dioſcorides in his quos cenchris, id eſt, miliaris momorderit, ſunt quæ partim ab Auicẽna, partim ab Alberto in falauiſco uel famiuſo ſcribũtur. Verba Dioſcoridis ac Pauli ſuper morſu cenchridis, ſeu miliaris hæc ſunt: His uero quos cenchris momorderit, morſus quidem ſimilis eſt morſui uiperino. Putredo autem conſequitur, & carnes circũfluunt, quæ prius ſicuti in hydrope intumuerũt: fiunt autẽ lethargici, & profundo ſomno capiuntur. Auicenna autem de famiuſi ſerpentis morſu ita ſcriptũ reliquit: Dixerũt, morſus eius ſimilis eſt morſui uiperarũ: ſed accidũt carni eius, qui morſus eſt ab eo, corruptio & mollificatio, ſicuti accidit ei qui habet hydropiſin: Et accidunt ei profunditas ſomni, & obliuio, & ægritudines in hepate, & ieiuno, & colon. Albertus quoque de faliuiſo ſerpente & morſu eius ferè eadem quæ Auicenna retulit, hoc modo ſcilicet: Faliuiſus eſt ſerpens diſcolor ordinis ſecundi, morſus eius eſt ſimilis morſui uiperarum, & accidit morſo ab eo corruptio & mollificatio, ſicuti accidit habenti hydropiſim, & profunditas ſomni, & obliuio, & ægritudines hepatis, & colon, & ieiuni. Iam uidere licet eadem eſſe ſigna morſus cenchridis apud Dioſcoridem & Paulũ, quæ apud Auicennã in morſu falauiſi ſiue famiuſi. Vnam tamen inuenio differentiam, quæ facta eſt ex errore translationis. Hic autem error accidit ex nominum uicini-

C tate:quia enim Græci ieiunũ inteſtinũ νῆστιν nominant,ueſicam autẽ κύστιν, uidetur
translator pro cyſti niſtin,id eſt,pro ueſica ieiunum poſuiſſe. Quod autem Alber
tus faliuiſum eſſe ſerpentem diſcolorẽ enunciat, hoc quoq; probare poſſit nõ diſ=
ferre ipſum à ſerpente,quem Græci cenchrida(ut diximus)nominant,de cuius co
lore uario ita Lucanus ſcribit:

Pluribus ille notis uariatum tingitur aluum
Quàm paruis tinctus maculis thebanus ophites.

Ex quibus etiã Lucani uerſibus poſſumus cõiectari,cur hic diſcolor ſerpens apud
Græcos cenchris nominetur,quia uidelicet eius corpus maculis paruis,quæ ſunt
ueluti grana milij,diſtinguatur.Ex eiuſdẽ etiam morſus ſignis atq; unà coloris ua=
rietate monſtratur,arachin & ipſum eundẽ eſſe cum cenchride ſeu miliari,& faliui
ſo,uel famiuſo,ſerpentem. De arachi enim Albertus atq; Auicenna pariter tradi=
derũt,quod eſt ſerpens malignus,ſecũdi ordinis,interficiens die ſecũdo,cum cor=
roſione hepatis,& fractione inteſtinorũ:& eſt in colore uarius,non magnæ quanti
tatis.Cõfractio enim inteſtinorũ eſt paſſio,quam unà cum hepatis ſimili affectu fie
ri,inquit Eraſiſtratus, in colo & ieiuno inteſtinis,licet errore translationis, ut dixi=
mus,ſit ieiunũ pro ueſica poſitũ.Videbor autẽ ſupra fidem loqui,ſi dixero Alber=
tum atq; Auicennã tot ferè nominibus hunc ſerpentẽ diuerſificaſſe,quot illum ma
culis natura uariauit.Nam nõ modo arachim,centrida,faliuiſum,aut famiuſum,&
miliarem eandem ſerpentis ſpeciem diuerſis in locis appellarũt,ſed pro cenchride
etiam caharũ nominaſſe, partim ex ſignis quæ tradũtur in corpore, partim in mor
ſu cahari ſerpentis,ac præterea remedijs,quibus ad eiuſdẽ ſerpentis morſum Aui
cenna utitur,quiſpiam facile poſſit coniectari: Nam de caharo etiã ſerpente ſcribit
D Albertus atq; Auicenna ſimul, quod color eius eſt color arenæ, & ſuper corpus
ipſius ſunt ueſtigia: per ueſtigia, ut arbitror, notas ſiue maculas intelligentes. Et
quod ex morſu eius accidit apoſtema, uel (ut inquit Albertus) inflatura permaxi=
ma.Per hanc,ut arbitror,inflaturam innuentes tumorem carniũ, quem Dioſcori=
des Paulusq; ſcripſerũt ex morſu cenchridis, ut antea diximus,prouenire. In codi
ce autem Auicennæ hebræo inter alia ſigna morſus cahari ſerpentis etiã dolor acu
tus in ueſica,& in hepate,& mirach connumeratur, quæ nõ multum etiam diſtant
ab his,quæ in cenchridis morſu Eraſiſtratus,cuius uerba ſuprà recitauimus,teſti=
ficatur. Facta autẽ inter alia ſigna morſus cahari de ueſica mentio, tacitũ à nobis in
alio eiuſdẽ ſerpentis nomine,faliuiſo ſcilicet,errorẽ translationis oſtendit,quo an=
tea diximus ieiunũ pro ueſica propter nominũ in lingua græcorũ uicinitatẽ,fuiſſe
poſitũ.Eandẽ autẽ eſſe ſerpentem, quæ pro uarietate linguarũ ſub tot nominibus
fuerit multiplicata,illo pariter probatur argumẽto,quod Semerion de miliari tan=
tummodo loquitur,ſicuti de cenchride Nicander,Dioſcorides,Paulus,atq; Luca
nus apud nos. Alia autẽ nomina neq; in cenchride, aut milari,neq; in ulla alia ſer=
pentis ſpecie apud eoſdem autores inueniũtur.Sed ipſe Auicenna ſuum uiſus eſt
errorem agnouiſſe.Nam quũ de miliari & arachi antea locutus eſſet,poſtea de fa=
miuſo uerba faciens,ita ſubinfert:Et ſermonẽ quidem in hoc ſerpente attuli ſecun
dum extimationem, ſicuti ſermonem de illo qui eſt ante ipſum, & fortaſſe non eſt
huius ordinis,ſed eſt ordinis putrefacientiũ,& cura eius eſt cura uiperarũ. Secun
dum extimationẽ,inquit Auicenna,de hoc ſerpente locutus ſum,hoc eſt,ſola du=
ctus cõiectura,& nõ habens certam de ipſo notitiã. Remedia etiam quæ ad cahari
morſum Auicenna ſubiũgit, ſunt ferè omnia illa,quæ ad morſum cenchridis Dio
ſcorides,Paulusq; notarunt, ſcilicet radix ariſtolochiæ cum uino,radix aſphodeli.
Quod tamẽ uerbũ corruptũ eſt apud Auicennam:nam pro aſphodelo aſſoaſu ſcri
bitur.

A bitur.centauriũ,gentiana,ſemen lactucæ,ſemen lini,ruta ſylueſtris,pro qua apud
Auicennã legit̃ alharmel. Vnde error illorũ manifeſtat̃, qui pro ſemine alharmel
ſemen cicutæ quibuſdam cõpoſitionibus addũt,quod eſt uenenũ,ut alibi oſtendi-
mus,pernicioſum. Niſi quod dubitari poteſt,quomodo Auicenna unà cum alhar
mel etiam rutam ſylueſtrem in eadem morſus cahari ſerpentis curatione nomina-
uerit. Ego autẽ puto rutam ſylueſtrem fuiſſe expoſitionẽ in margine poſitã,poſt-
modũ, uitio codicis, alijs medicinis inſertam. Neq; enim dici poteſt alharmel hoc
in loco cicutam uel eius ſemen ſignificare,quum utrunq; uenenũ ſit, & nullam ha
beat contra ſerpentũ morſus efficaciam. Sed & inter has ipſas medicinas ad mor-
ſus cahari ab Auicenna nominatas,duos alios errores inuenio, quoniã pro carda-
momo apud Dioſcoridem ſcripto,inuenio cinamomũ apud Auicennam:pro ſer-
pyllo autem uolubilem. Minimus autem & ferè nullus in cinamomo error,quum
æque atq; cardamomũ aduerſum animalia uenenata cõmendetur. Multo plus in
uolubili herba delinquitur, quæ nullam habet cõtra ſerpentes naturæ efficaciam.
Serpyllum uero tantam habet,ut uel hac cauſa illi inditũ nomen quidam exiſtima *Serpyllum unde*
uerint,quia ſerpẽtibus aduerſetur. Hydri quoq; ſerpentis ſpeciem uidetur Alber- *dictum.*
tus temere duplicaſſe: nam de eo loquit̃ capite proprio de hydro, & altero de an-
drio. Auicẽna autem dubitat an andrius & hydra idem ſit ſerpens, licet de eis duo
capita ſcripſerit. Sed hanc Auicennæ dubitationem ita ex Nicandro,Dioſcoride,
ac Paulo ſoluimus. Quem hydrum priores dixerunt, poſteriores cherſidrũ(ut in- *Hydrus.*
quit Nicandri expoſitor) uocauerũt,quoniã tam terræ q̃ aquæ incola eſt. Dioſco-
rides tamẽ ac Paulus priſco uocabulo hydrũ nuncuparũt:& quæ in morſu hydræ
ſigna ab Auicenna referũtur,eadem apud Dioſcoridem ac Paulũ in his,quos hy-
B drus momorderit,ſcripta reperiũtur. Sed & ea remedia,quæ in andrij ſerpẽtis cu-
ratione Auicenna tradit, eadem ferè Dioſcorides & Paulus item ad eos ſanandos
quos hydrus momorderit,præceperũt:adeò ut tum ex ſignis, tum ex modo cura-
tionis dubitari non poſſit hydrũ & andriũ eſſe eundem ſerpentẽ apud Auicennã,
atq; ideo fruſtra ab Alberto,qui in his ſerpentũ nominibus ſequitur Auicennam,
fuiſſe duplicatum. Sed & hic maioris fidei faciendæ gratia,autorum tum arabum,
tum etiam græcorũ ſententias parum diſcrepantes, tam ſuper hydro, quàm ſuper
andrio ſerpentibus,uel potius ſerpẽte,quum unus & idem ſit, ſolis nominibus ua
riatus,ſubiungemus. Signa morſus hydri uel hydræ apud Auicennam hæc ſunt:
Morſus eius egreditur & dilatatur,& offuſcatur color eius: Et egreditur ex eo hu
miditas nigra, plurima,ac fœtida ualde. Dioſcorides aũt ac Paulus de his quos hy
drus momorderit:ita ſcripſerũt: Hulcus dilatat̃,& magnũ fit cũ liuore:Sanies ue-
ro ex ipſo nigra & multa ac fœtida profluit, qualis ex depaſcentibus membrũ hul
ceribus ſolet excerni. In andrio aũt licet alia ſigna morſus eius ſcribat Auicẽna,ea-
dem tamẽ in curatiõe remedia adhibet,quę in morſu hydri Dioſcor. ac Paulus ad-
hibuerũt,ſcilicet ariſtolochiæ põdus drachmarũ duarũ cũ uino,aut cũ aceto cõmi-
xto,ut ſcribit Auicẽna. Vt aũt ſcribit Dioſcor. cũ puſca ſuccũ praſſij, emplaſtrũ ex
calce & oleo,ut ſcribit Auicen. Vt autẽ Dioſcor. ex cinere & oleo cortices radicis
quercus,& farina ordei, & calamentũ montanũ,ut apud Auicennã ſcribit̃: Nam
pro eo origanũ apud Dioſcor. ſcriptũ inuenimus. Accedit ad hæc quod in hydro
quidẽ ſerpente citat̃ ab Alberto Semerion,parũ aut nihil in ſignis morſus ab Aui
cẽna,aut Dioſcoride poſitis, uariãs:in andrio aũt omnino reticet̃. De hæmorrhoo *Hæmorrhous.*
etiã quæ eſt ſimplex ſerpẽtis ſpecies,neq; diſtinguit̃ apud Gręcos autores,niſi per
maris ac fœminę differentiã,quorũ alter hæmorrhous,altera hęmorrohis nomina
tur:agit Albertus ſub tribus nominibus,halſordio primũ,deinde hæmorrhoo,po

C ſtea ſabri: neq; animaduertit ſolam eſſe nominum, nō autem naturæ ſerpentis differentiam, quum ſit eadem in omnibus ſanguinem humanum exinaniendi uis, ut etiam Albertus ipſe ſub eiſdem nominibus teſtificatur. Allegat autē in ſolo ſabri Semerionem, quem ſabrim idem met Albertus fatetur parū ab halſordio differre. Verum in hoc ſerpentis genere, ut dixi, non eſt alia quàm ſexus, aut nominū differentia: quoniam hæmorrhous & hæmorrhois ſunt nomina græca: halſordium autem & ſabrin barbara, forte idem maris ac fœminæ diſcrimen importantia. Ideo rectius Auicenna tacuit hæmorrhoum, qui nomine tantum ab alſordio, ſiue ſabri diuerſificatur, niſi quod poſtea Auicenna alio capite hanc ipſam animantis ſpeciem ſanguinem humanum ſuo morſu exhaurientis, ſub altero uocabulo ſcilicet pediculo uulturis multiplicauit. Male (ut mihi uidetur) in eo Galenum allegās, qui de nullo alio reptili talem habente poteſtatem, præterq; de hæmorrhoo atq; Hæmorrhoide loquitur, ſicuti etiam Nicander, Dioſcorides, Paulus, atque Lucanus apud nos de ſolo hæmorrhoo atq; hæmorrhoide meminerunt, neq; aliam ſanguifluam ſerpentis ſpeciem ſuperaddiderūt. Sed neq; Albertus eſt eius erroris, quem Auicennæ aſcripſimus, expers, imò tanto plus q̃ Auicenna peccat, quoniā ait Galenū pediculum uulturis nominare, quum tamen Auicenna dicit, & ipſemet Albertus affirmat pediculum uulturis græce memucle nūcupari. Sed quod pediculus uulturis non ſit græca appellatio, auſim pro certo affirmare. Memucle autē poteſt eſſe grecū uocabulū pro myrmecio poſitū. Eſt aūt myrmeciū ſpecies phalangij, de qua Nicāder, & Plinius quoq; in ſuis libris fecere mentionem. Cuius morſus traditur eſſe perexiguus, adeò ut uix ſenſu uiſus percipiat̃. Qualem etiā eſſe morſum pediculi uulturis Galeno autore Albertus atq; Auicēna ſcripſerūt. Sed quod hæc phalangij ſpecies eandē uim habeat ſanguinē humanū exhauriēdi, quā hæmorrhous, uel hæmorrhois, neq; Galenus, neq; alter græcus autor, quem ſciam, prodidit ſcripto. Verum in hoc reptili Alberti mendaciū eſt euidētius, qui ait ipſum naſci in inguine hominis, & in pilis, & ſub axillis, & eius morſum nō uideri, niſi quādo multum creuerit, & tūc morſum eſſe uenenoſum: Et quod facit morſus aliquādo erumpere ſanguinem per uenam ani, & per nares, & ex ſtomacho per uomitum, & ex pectore, & pulmone, & ex radicibus dentiū, & aliquādo ita magnificatur tumor, quod nō recipit medicinam. Quæ quidem ab Alberto ad literā ſcripta ſicubi gentium uera ſunt, nō parum Italiæ gratulandum cenſeo, quæ talem peſtem natam in corpore humano nō agnoſcit. Longum eſſet, & forte legentibus faſtidioſum, ſi uelim omnia partim Alberti, partim Auicennæ errata, ubi de ſerpentibus agunt, in lucem patefacere. Verū ſat erit duos tantū alios ſubiungere, qui magis ad inſtitutam de dipſade & uipera quæſtionem uidentur pertinere. De dipſade ſuprà diximus ſecundū Marſorū opinionem non eſſe ſpeciem à uipera differentem: Verum ſecundum Nicandrum & plures alios eſſe ſpeciem per ſe ſimplicem tantum. Albertus autē ſitulam, quæ idem uidetur apud Latinos ſignificare quod apud Græcos dipſas, in duas ſpecies diuidit: alterā, quam greco uocabulo dipſadem uocat: alterā quā generis nomine ſitulam. Et de hac ſecūda ſpecie dicit, quod eſt ſerpens ex uarietate miro modo pulcher, ita quod admiratione detinet intuentes: ſed eſt piger & paruus, & ita ignei ueneni, quod ille qui percutit̃ totus exuritur, & in hyeme pellem deponit. Sed mirum in modū in hoc ſerpente Albertus decipitur: non enim ſitula, ſed ſcytale potius nominatur, & eſt ille quē poſtea paucis uerſibus interpoſitis ſub ſiſeculi nomine deſcribit hoc modo: Siſeculus eſt ſerpēs ferè ſicut ille q ſalit ad duas partes, quē Greci amphiſelenen uocāt, quaſi duo capita habentē, & morſus iſtius eſt ſicuti morſus illius, quia iſte quidam modus illius, licet in hoc

Pediculus uulturis. D *Situla.*

differat

a differat, quod non adeò expreſſe duo capita habere uidetur. Et hæc de hoc ſerpente dicit Auicenna. Hæc quidem Albertus. Auicenna autem, quem Albertus allegat, ita de eiſdem ſerpentibus ſcribit libro quarto, capite de ſerpente ſciſcetali: Color eius ſimilis eſt ſalienti ad duas partes, ſed ille eſt deterior, & accidentia eius ſunt illa, & cura eius eſt illa cura. Verũ cõtra Auicennam & Albertũ meritò quiſpiam poſſit dubitare qualis ſit morſus, uel accidentia, quæ ex morſu amphisbenæ conſequũtur. Qualis etiam modus curationis, ne uideatur id quod quæritur, per alterũ æque ignotũ manifeſtare. Hic autem error inde prouenit, quoniam uerba Alberti & Auicennæ de ſciſcetali & amphiſelene, uel (ut dicere debuit) amphiſibene, ſiue ſaliente ad utranq; partẽ ſunt uerba Dioſcoridis & Pauli de ſcytale amphiſibene, ſed male interpretata: quia (ut taceam nominũ deprauationẽ, de quibus nõ multũ eſt philoſophis medicisq; curandum) non ſunt ſuo loco relata. Dioſcorides enim quum docuiſſet qualia ſunt accidẽtia, quæ ex morſu fiunt uiperarũ, & quis modus curationis, poſtea de ſcytale & amphiſibene ſerpentibus iſta ſubiũgit: Similia autẽ his accidũt, quæ à ſerpente amphiſibene nominato, uel ſcytale morſis, eueniũt. Eadem autẽ ſunt remedia: quapropter in hoc genere non eſt opus propriã facere ſcriptionẽ. Oportuit ergo Auicennã uel Albertũ, qui uidet in his ſecutus Auicennã, ſciſcetalim, & amphiſibenem, ſiue ſalientẽ ad utranq; partem eodem quo Dioſcorides ordine, poſt uiperas ſcilicet, collocare, & quod eoſdẽ facerent caſus, eandemq; exigerent curationem, unà docere: Vel ſaltem ſi ordinem mutare uoluerant, quænam eſſent eorũ morſus accidentia, & quæ curatio, legentibus manifeſtare. Quod tamẽ uidentur in alio capite, ſed alijs nominibus feciſſe, harem ſcilicet & carem, de quibus ita ſcripſit Auicenna, capite Harem & carem: Dixerũt quidam Arabes ſa-
b pientes, & exiſtimo quod ſunt de genere draconum marinorum, aut aliorũ, quos ambos nominauit Semerion ille ſapiens, dicens quod accidit ex morſu eorũ illud, quod accidit ex morſu uiperarũ, & ſimilatur quod cura eorũ ſit cura uiperarũ. Eadem ferè Albertus de harem & carem ex Semerionis & Auicẽnæ autoritate. Qui tamen Semerion in ſciſcetali, & amphiſibene, ſiue ſaliente ad utranq; partem non allegatur, adeò ut uериſimile fiat Auicẽnam atq; Albertum de eiſdem ſerpentibus tanquam diuerſis, duo ſcripſiſſe capita, alterum inſcriptione ſciſcetali, alterum harem & carem. Multo tamen plus peccauit Albertus, qui ſerpentẽ ſcytalem à Græcis & etiam Latinis nominatum, nõ modo duplicauit, ſed etiam triplicauit ſub nomine ſiſeculi, ſub harem uel carem, & ſub nomine ſitulę: & modo proprij generis, modo alterius eſſe inſinuauit, hoc eſt ſitulæ ſpeciem. Quod aũt ſpecies altera ſitulæ ab Alberto deſcripta, ſit ea quam Græci atq; Latini ſcytalem nominant, & Dioſcorides comparem facit in caſibus & morſus curatione amphiſibenæ, conſtat ex his, quæ de eadem ſitulæ ſpecie ſcribit Albertus, & de ſcytale Solinus, atq; Lucanus de ſitula ſua, quæ tamen nõ eſt ſitula, neq; ſpecies eius. Scribit Albertus, quod eſt ſerpens miro modo pulcher, ita quod admiratione detinet intuentes. Sed eſt piger & paruus, quod ille quem percutit, totus exuritur, & hic ſerpẽs in hyeme pellem deponit. Sed hæc eadem de ſcytale Solinus ſcribit his uerbis: Scytale tanta præfulget tergi uarietate, ut notarum gratia uidentes retardet: & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſuo capit ſtupentes. In hoc tamẽ ſquamarum nitore hyemales exuuias prima ponit. Idem Lucanus de ſcytale ſcribit:

Et ſcytale ſparſis etiam nunc ſola pruinis
Exuuias poſitura ſuas.

Quare luce clarius apparet Albertũ pro ſcytale ſitulam accepiſſe, & nominũ uicinitate deceptũ, proprij generis ſerpentem alteri contribuiſſe. Sed hic quidẽ error

C ad dipſadem pertinet, quam Albertus ſub eodem genere cum ſcytale poſuit, alte uero ad uiperam. Nam ſicuti ſciſeculum à ſitula (uel ſi recte loqui uelimus) à ſcytale, ita etiam tirum à uipera eſſe ſpeciem differentem exiſtimauit, quemadmodum eiuſdem Alberti libro ſecũdo de animalibus indicant uerba, quæ in hunc modum ſcripta inueniuntur: Omnia enim genera ſerpentum faciunt oua præter tirum, ut dicit Ariſtoteles, & eſt corrupta ſua litera, quoniam ille qui uere eſt tirus, notus eſt apud nos, & fit ex ipſo theriaca. In quibus uerbis Alberti duo ſunt errata, alterum quod ignorauerit Arabicæ tranſlationis cõſuetudinem, tirum pro uipera ſæpiſſime ſupponentis, alterũ multo maioris ad uitam momenti, quod ſerpentem ex qua uera theriaca cõficitur, eſſe ouiparam, non autẽ uiuiparã exiſtimauit cõtra omniũ ueterũ & præcipue Andromachi, qui primus docuit uiperas & nõ alias ſerpentes theriacæ admiſcere, præceptũ. Vtrum autem Albertus hũc errorẽ ſicuti pleroſq; alios, ab ipſo Auicenna acceperit: quũ in eiuſdem Auicennæ libris ex Arabica in linguam Latinam tranſlatis appareat tirum & uiperã tanq; diuerſos ſerpentes frequenter nominari, nõ poſſum certiſſime dijudicare. Fieri enim poteſt ut Auicennæ interpres pro uipera tirũ, id eſt, genus pro ſpecie aliquãdo poſuerit, quod non adeò fuiſſe errorem, quantum dediſſe alijs non animaduertentibus errandi occaſionem, exiſtimamus. Quod ſi Auicenna ubiq; eodem uocabulo utitur, alphe ſcilicet, quod apud *Arabes ſignificat uiperam*, multo plus ipſe aliquando q̃ eius interpres aberrat. Nam nomen ſpeciei ſimplicis ponit pro nomine generis, ut quũ libro quarto, cap. de ſpeciebus ſerpentũ ſcribit hæc uerba: Et ordo ſecũdus de uiperis, quarum ſpecies ſunt diuerſæ: de eis enim ſunt uiperæ alelifati, & de eis ſunt fa-
D cientes ſitire, & reliquæ quas dicemus, quod ſerpentẽ facientem ſitire, quam Græci dipſada uocãt, pro ſpecie uiperæ nominet, quum ſit eadem. Quæ uipera ſerpens ſecundum Marſorum ſententiam, uel uiperæ quamſimilima ſecundum omnium aliorũ, & ipſius quoq; Auicennæ opinionẽ, facile poſſit tolerari. Sed quod ſerpentes quercinas, quod genus eſt à uiperis diuerſum, & à Græcis Dryini (ut antea diximus) nominãtur, quia in quercuũ radicibus habitant, quod poſtea Auicenna in aliarum ſpecierũ ſerpentũ enumeratione Iliciniũ uocat, uel non faciens inter quercum & ilicem differẽtiam: uel forte putans quercinas eſſe ab ilicinis differẽtes, deceptus nominũ (ut in multis alijs oſtendimus) diuerſitate: Quod inquam & quercinas & multas alias, de quibus ſe dicturum promittit, uult eſſe uiperæ ſpecies, hominis eſt ſpeciei nomine pro nomine generis abutentis: Siquidẽ alphe uiperã ſignificat apud Arabes, quæ ſimplex eſt ſpecies ſecũdum Ariſtotelem, Nicandrũ, Dioſcoridem, Andromachũ, Galenum, & Paulum, ac reliquos medicos uetuſtiores. Auicennæ autem interpres ſicubi alphem uerbum arabicum tirum interpretatur, quaſi theriũ uelit dicere, nomen generis ponit pro nomine ſpeciei, quod ab omnibus hominibus frequenter ſolere fieri teſtatur Galenus in expoſitione libri ſecundi De uictu acutorum. Et hoc ſanè uidemus non modò apud Galenum, ſed etiam apud Ariſtotelem in hac eadem ſerpente factitari: ut quum Galenus ait in libro de theriaca ad Piſonem, Primum Andromachum theria, id eſt, uiperas, theriacæ admiſcere inſtituiſſe: & quum eodem in loco alteram quoque probat etymologiam, quam nos libro noſtro de Plinij atque aliorum medicorum erroribus inſcripto, nixi eiuſdem Galeni autoritate, licet inibi Galenum nominatim non citauerimus, inſeruimus, ubi diximus theriacam Andromachi (de ea enim tunc loquebamur, & trochiſcos theriacos inde habuiſſe nomen, quoniã ex therijs, id eſt, uiperis, quæ ex genere ferarum ſunt conficiuntur. Sed cur, inquiũt aliqui, non potius uiperini dicantur quàm theriaci, ſiue latine ferales à nomine ſcilicet ſerpentis

proprio,

A proprio,& non communiori? Et quid uetat,inquiam ego,ita eoſdem trochiſcos la
tine uiperinos nominare,ſicuti græce theriacos? Quãdoquidem Plinius uir erudi
tiſſimus ſalem theriacum eadem apud Græcos ratione theriacũ, qua trochiſci the
riaci,nominatũ,quia uidelicet ex uiperis fit,maluit dicere uiperinũ,quàm nomine
infauſto feralem,libro ſcilicet trigeſimo,capite tertio,ubi ita ſcribit:Item gallinacei
cerebrum recentibus plagis ſale uiperino in cibo ſumptum.Eadem eſt in tota anti
doto ratio,quam(ſi libuerit)poſſumus uiperinã nominare,ut eam Græci aliquan-
do ἀντίδοτον δι' ἐχιδνῶν,id eſt,antidotũ ex uiperis nominant.Quid enim refert anti-
dotum uiperinam,uel antidotum ex uiperis nominare,quum æque fiat ex uiperis
denominatio? Qui autem etiam aiunt theriacam nõ poſſe apud Græcos ob id ſor
tiri nomen, quod theria, id eſt feras in ſui cõpoſitionem admittat:quoniam quũ fe
ra ſit nomen ualde generale, nõ magis ex ui uocabuli uiperã,quàm etiam baſiliſcũ
intelligeretur eſſe ad theriacæ cõpoſitionem recipiendũ. Non animaduertunt ean-
dem rationẽ etiam in ipſos reciprocare.Quoniã ſi ideo theriaca græce dicitur,lati-
ne autẽ feralis (ut ipſi interpretantur)quoniam cõfert contra morſus ferarũ,debe-
ret etiam cõtra aprorũ, leonũ & elephantũ morſus auxiliari, quos eſſe ex ferarum
genere nemo dubitauerit. Quare neutra etymologia poteſt pro uera defendi,niſi
in utraq; nomen generalius in ſignificato ſpecialiori capiat̃. Sicuti autẽ in tota anti
doto utranq; probamus autore Galeno etymologiam,& illam ſcilicet quæ ab uſu,
quem præſtat cõtra feras uenenatas,aſſignatur:& alteram quæ à feris, quæ in ipſa
cõmiſcentur(non ſunt aũt aliæ quàm uiperæ)ita in trochiſcis theriacis unam tantũ
admittimus,quod uidelicet ob id ſint theriaci nominati,quoniam ex therijs,id eſt,
uiperis conficiuntur. Neq; enim de ipſis æque atque de tota antidoto, cuius ſunt
B una portio,dici poteſt, quod contra omnia animalia uenenata auxilientur.Super-
uacuum enim Andromachi, & aliorum ueterum medicorũ ſtudium extitiſſet, tot
medicinarum uires in una compoſitione commiſcere, & ſcrupulatim colligere, ſi
ſoli trochiſci theriaci eundem nobis effectum poſſint præſtare. Niſi forte quis pu-
tet Andromachi compoſitioni alias adiungi medicinas, nõ propter ſerpentes, ſed
plurimos morbos,quos poteſt ſanare theriaca:ſoli autẽ trochiſci theriaci non poſ-
ſunt. Atqui & ad illa etiam quotcunque quis enumerauerit uenena, altera antido-
tus priuſquam theriaca adinuenta, ſufficiebat, quæ ab inuentore mithridates co-
gnominat̃. De hac enim Galenus libro de antidotis primo ita ſcribit: Ad uipera-
rum quidẽ uenena melior eſt theriaca,q̃ mithridates,ad alia uero nihilominus mi-
thridates,ſed in quibuſdã etiam melior. Eandẽ etiam ſententiã Galenus libri eiuſ-
dem ſecundo uolumine repetit,ubi ait ſe uelle à mithridate inchoare,quæ ad pluri
ma quidem alia uenena maiorẽ habet quàm theriaca efficaciã:In uno aũt ſolo relin
quitur quod à uipera icitur. Auicenna quoq; lib.quinto,cap.de cõfectione mithri
datis, non aliud q̃ Galenus de mithridate ſentit:Ita enim de ipſo eodẽ cap.ſcribit:
Deinde poſtq̃ accidit Andromacho illud quod expertus fuit ſuper iuuamentũ car
nium ſerpentũ & aliorũ,addidit in eo trochiſcos de uiperis,& alteratũ eſt parũ per
additionẽ & diminutionẽ. Fuit ergo theriaca magna in multitudine iuuamẽti. Ve
runtamen theriaca magna eſt magis iuuatiua ipſo in re una,& eſt uenenũ ſerpen-
tum. In reliquis uero rebus non diminuitur mithridatũ à theriaca diminutione, de
qua ſit curandũ. Imò eſt magis additi in pluribus eorum iuuamenti, & confiden-
tioris utilitatis. Hæc autem duorum autorum uerba,etſi plurimum conſentire ui-
deantur, non parum tamen, niſi ea recte intelligamus, diſſentiunt. Etſi enim tam
Galenus quàm etiam Auicenna conueniant in hoc, quod mithridates ſit æque ad
omnia alia utilis, uel etiam utilior in quibuſdam quàm theriaca, diſcrepant tamen:

C quoniam Galenus uult theriacam contra morſus uiperarum plus habere efficaciæ. Auicenna autem non contra uiperas tantum, ſed cõtra ſerpentes ſimpliciter, niſi quod (ut poſtea ſumus oſtenſuri)ſerpentis nomine non quicũq; ſerpens, ſed uipera tantum etiam apud Auicennam aliquãdo ſignificatur. Et quidem eſt rationabilius uiperas, ſeu carnes uiperarum, ex quibus trochiſci theriaci conſtant, non contra omnes ſerpentes, ſed cõtra ſe potius eſſe medicinam. Nam, ut inquit Galenus libro de Theriaca ad Piſonem, ſicuti ad morſum crocodili adeps eius uulneri illato mirabiliter prodeſt, & mygale ſerpens pariter trita & ſuperimpoſita morſus ſuos abſq; dolore ſanat, ita & quos uipera momorderit, carnes eiuſdem ſerpentis ſimiliter tritæ, & ſuper uulnus poſitæ curant. Fortè eſt & alia inter Galenum atq; Auicennam diſcordia: Quoniam Galenus nõ in rebus alĳs quamplurimis, ſed in uenenis tantũ ait mithridatem eſſe theriaca potiorem. Quare uidetur ſermo Auicennæ multo eſſe generalior, & ideo nõ parum à ueritate deuiare, quum ſint quidam morbi præter illos qui ex uenenis contrahuntur, contra quos eſt theriaca iuuantior. Quod quidẽ Galenus libro primo de Antidotis declarat his uerbis: Illas quæ paſſiones ſanant facultates, quæ non extrinſecus imponuntur, ſed intus aſſumuntur, medici antidotos nominant. Tres autem ſunt primæ earum differentiæ: quædam enim propter mortifera pharmaca exhibentur: quædã morſibus animalium uenenatorũ: *quædam uero alĳs* paſſionibus, quæ ex uitioſo uictu contingũt, auxiliantur. Quædam autem tres profitentur utilitates, ſicuti illa quæ theriaca uocatur, quam cõpoſuit Andromachus repudiata mithridate, quæ & ipſa ab eo qui eam compoſuit, nomen accepit. Ex quibus Galeni uerbis duo maxime elicimus, non modo in uiperæ morſu, ſed etiam in multis citra uenena paſſionibus theria-

Antidotus.

D cam eſſe mithridate potiorem, & præterea ſolam Andromachi cõpoſitionem ſimpliciter theriacam nominari, alias autem compoſitiones non theriacas, ſed antidotos tantũmodo nuncupari. Quam itidem nominis differentiam poſſumus ex multis alĳs apud Galenum locis demonſtrare, ſicuti ex illo quem per initia noſtræ diſputationis ex libro undecimo de ſimplici medicina citauimus, quũ de uiperis ad theriacæ cõpoſitionem eligendis ſermo haberẽt, de quibus Galen. ita ſcriptitauit: Tutiſſimũ autẽ eſt cauere uiperas, quas in talibus locis ſcilicet aridis & ſalſuginoſis uenanẽ, ſiue ad uſum cibariũ, ſiue ad pharmaci cõpoſitionem, quale eſt iſtud celeberrimũ, quod omnes medici Theriacem nominant. In libro etiam De theriaca ad Piſonem planè Galenus oſtendit nullam fuiſſe ante Andromachũ antidotum, quæ theriaca diceretur: Quamuis eſſet & illa compoſitio, qua rex magnus Antiochus cõtra omnia animalia uenenata uſus dicitur: & altera mithridates à rege Mithridate, cuius fuit inuentũ, appellata. Ita enim de Mithridate rege, & de antidoto ab eo inuenta, libro quo diximus Galenus ſcribit: Inquiunt enim quod & Mithridates ille bellator magnus theriacã quidem nõ aſſumpſit (nondũ enim erat) ſed alteram multæ mixturæ antidotum, quæ & ipſa ab eius nomine uocitatur. Quod ſi (ut inquit Galenus) tempore Mithridatis nondum erat theriaca, neq; etiam Antiochi theriaca fuit, qui longe ætate præceſſit. Si quis uero mihi Plinium obĳciat, ut ſanè animaduerti in quodã libello de ſerpentibus ædito mihi fuiſſe, meo tamen ſupreſſo nomine, latentur obiectum, facientẽ de theriaca Antiochi mentionem: uel plus me Galeno credere, ubi de nominibus græcis præſertim medicinalibus agitur, uel neq; Plinium, ſi uerba eius diligentius inſpiciantur, quicquam à Galeno diſſidere, reſpondebo. Quũ enim Plinius circa finem libri uigeſimi de naturali hiſtoria unam compoſitionem retuliſſet, quæ conſtat ex ſerpyllo, opopanace, milio, trifolio, anethi, & fœniculi, aniſi, ami, apĳq; ſeminibus, & farina erinacea, poſt-

modum

A modum ita ſubiũgit: Hac theriaca magnus rex Antiochus aduerſus omnia uenena uſus traditur. Quaſi idem uoluerit Plinius de hac cõpoſitione, quod etiam Galenus de mithridate antidoto dicere, licet nondũ foret tẽpore Antiochi, ſicuti neq; regis Mithridatis theriaca: Antiochũ tamẽ cõpoſitione antea ſcripta pro theriaca uſum, ſicuti etiam ſua cõpoſitione Mithridates. In eandem ſententiã Auicenna de mithridate antidoto loquens illa protulit uerba, quæ etiã ſuprà recitauimus, quod ante Andromachũ cõpoſitio mithridatis fuit theriaca magna in multitudine iuuamenti. Theriaca ergo diateſſaron eatenus & ipſa dicitur theriaca, quatenus uicem ſupplet theriacæ. Et allium eadem ratione ruſticorum theriaca aliquãdo à Galeno nominatur, quia quũ theriaca ruſtici careant, allio utuntur uice theriacæ. Galenus etiam eodem de theriaca ad Piſonem libro quum multa de antidoto mithridate dixiſſet, & modũ quo eius cõpoſitionem rex Mithridates inueſtigaſſet, edocuiſſet, poſtmodum illa uerba ſubiunxit: Poſtea uero Andromachus Neronis archimedicus quædam addens, quædam autem & adimens, ſcilicet de mithridatis compoſitione (de ea enim fuerat ſermo) fecit eam antidotum, quæ theriaca nominatur, miſcens unà cum alijs non paruam carnis uiperarũ portionẽ. In quibus uerbis Galenus innuit, & ſolam Andromachi cõpoſitionem theriacam ſimpliciter nominari, & cauſam pariter oſtendit, ob quam præcipue ipſa ex omnibus alijs antidotis theriaca uocetur, carnis uidelicet uiperarũ cõmixtionem. Nam ſi à ſola, quam præſtat contra morſus ſerpentum, utilitate idem nomẽ indipiſceretur, tunc ante inuentionem theriacæ theriaca fuiſſet, quum antidotus mithridates ad eoſdem morſus, uiperino tantum excepto, nõ minus ualeat, imò ad quoſdam ex eis multo plus, ut loco ſuperius allegato Galenus inquit, quàm theriaca. Alexander quoq; ultimo primi libri problemate, in quo querit cur his quos dipſas momorderit, quum ſiti premantur intolerabili, theriaca tamen, quæ calida eſt & ſicca, nihilominus ſitim ſedet, & non magis exaugeat. Manifeſtũ ſe facit ex ſuo ſermone de theriaca ſimpliciter prolato, unam tantũ exiſtimaſſe antidotũ theriacam nominari, quæ in ſua uiperas recipit compoſitura. Siquidem in ſolutione problematis circa finem ait, carnes uiperarũ alijs ſimul medicinis, quæ in theriaca ponũtur, admixtas, uim habere naturalem contra omnia animalia uenenata & exitialia pharmaca reſiſtendi. Ex quibus etiam Alexandri uerbis illud cõſtare poteſt, non carnes ſolas uiperinas, uel etiam oleo & anetho condítas, ſed cum alijs pluribus medicinis plus quàm ſexaginta numero in unam quodammodo naturam confuſis, id quod uult etiam libro de theriaca ad Piſonem ſæpius à nobis allegato Galenus, tantam habere contra omnia uenena, ſed pręcipue uiperæ, poteſtatem. Quare ut ad trochiſcos theriacos, à quibus noſtra cœpit diſputatio reuertamur, quum non haberent ipſi maiorem quàm carnes uiperinæ, à quibus ſola ſimilagine ſuperabundant cõtra uenena efficaciam: ſiquidem hæc non ad uim carnium augendam, ſed potius ad trochiſcorum formationem eſt ſuperaddita, nõ ſunt ijdem trochiſci ab utilitate quam ferunt, ſed potius ab ea quæ in ipſis cõtinetur fera, græco uocabulo theriaci cognominati. Alioquin occurreret quæſtio, cur non & carnes ipſæ per ſe theriacæ dicerentur. Quæ quidẽ quæſtio illis eſt inſolubilis, qui ſolam eius nominis cauſam aſſignant utilitatem: nobis autem facilima, qui non uſum, ſed potius id quod continetur, aſſignamus. Carnes ſiquidem uiperinæ non ſeipſas continent, ſed potius in alteris cõtinentur. Idcirco non conſueuere medici carnes theriacas, ſicuti trochiſcos theriacos, & ſales quoq; theriacos, qui & ipſi ex carnibus uiperinis quibuſdam alijs additis cõficiuntur, appellare. Quod ſi quis ſpreta loquẽdi cõſuetudine, uiperæ carnes uelit etiam theriacas nominare, ſciat ſe nihilo plus quàm uiperinas ſignificaturum: uel ſaltem

B (marginal letter beside "mi libri problemate")

Allium theriaca ruſticorum.

Andromachus Neronis medicus.

C uſurum uocabulo ualde generali, omnem medicinā, quæ quouis modo poſſit contra aliqua uenena prodeſſe, ſignificante. Ne autem multum ex nominis ambiguitate laboremus, ſciendū eſt tres eſſe, ut antea diximus, antidotorū ſpecies: Vnam, quæ ualet cōtra pharmaca mortifera, quæ ſcilicet uel per cibum, uel potionem aſſumpta, hominem interimunt. Alteram, quæ prodeſt contra morſus quorundam animalium uenenatorum, ueluti canis rabidi, ſcorpionis, phalangiorū, & uiperarum: Et tales antidotos, ut inquit Galenus ſuo de antidotis libro, medici iuniores, quorū unus fuit Aſclepiades, ſoliti erant medicamenta theriaca nominare. Tertia antidotorum ſpecies eſt, quæ morbis ex uictu prauo contractis auxiliatur. Si qua uero antidotus, ut illa quā inſtituit Andromachus, omnibus malis (quæ diximus) opitulatur, hæc non theriacū pharmacū, ſed theriaca ſimpliciter nominatur. Quocirca Galenus quū eodē de antidotis libro de multis antidotis faciat mentionem, quæ contra medicamenta mortifera, & morſus uenenatorū animalium mire proficiunt, ſicuti de mithridate, athanaſia, ambroſia Philippi Macedonis, & antidoto ex ſanguinibus, & altera ex Scinco nūcupata, nullam tamen ex his putat theriacæ nomine inſigniendam, ſed tantum Andromachi compoſitionem, quam non medicinam theriacam, ſed theriacam ſimpliciter nominat. Si uero Arabes, & quidam Latini plus q̃ oporteat aliquando Arabibus credentes, fuſius utuntur hoc nomine theriaca, nos in græco uocabulo maiorē græcis autoribus fidem adhibendā iudicamus. Quanquam & ipſi Arabes, ſi ea quæ diximus ſuprà de theriaca Antiochi, de theriaca diateſſeron, & allio theriaca ruſticorum memoria repetantur, facile poſſunt in unam cum Græcis concordiam reuocari. Etſi enim ſecundo Canonis capi-

Tres antidotorum ſpecies.

D te de ſquilla Auicēna dicat, quod eſt theriaca uenenoſis: Et de opoponaco pariter quod cum ariſtolochia ad puncturas bibitum, eſt theriaca, & ſimiliter eius ſuccus, idem tamen Auicēna fatetur eodem in libro impropriam eſſe locutionem, quum ſimplex medicina theriaca dicitur: Quoniā, ut inquit, nomen theriacæ dignius attribuitur medicinis artificialibus, id eſt, compoſitis: & nomen bezaar ſingularibus cadentibus ſecundū naturam. Licet aliàs idem Auicenna bezaar cum theriaca uideatur cōfundere, ſcribens in hunc modū: Albezaar & theriaca ſunt omnes medicinæ, quarū proprietas eſt, ut conſeruent ſanitatem, & uirtutem in ſpiritu, ut expellant nocumentū ueneni à ſe. Mihi uero uidetur nomē bezaar apud Arabes ſignificare idem, quod apud Græcos alexipharmacum, quod eſt uocabulum generale ad omnia remedia, ſiue contra morſus animaliū uenenoſorum, ſiue contra uenena mortifera, ſicuti aconitum, argentū uiuum, atq; ſimilia, quæ uel per cibos, uel potiones noſtris corporibus inferuntur. Pharmacū autem theriacū, ſeu medicina theriacalis, ut medici iuniores loquuntur, tantū ad morſus ſerpentū, ut ſuprà diximus, ex Aſclepiadis medici autoritate, accōmodatur. Quod etiā ipſum indicat nomen à therijs, id eſt, animalibus uenenoſis deriuatū. Simpliciter aūt theriacam Galenus, ut diximus, nominat ſolam Andromachi cōpoſitionem. Quare, ut opinor, Nicolus Florentinus non ſatis recte de eiſdem nominibus libro quarto, capite de medicinis bezaaralibus determinauit, ſcribens hæc uerba: Videre potes quod iſta duo nomina bezaar & theriaca tripliciter poſſunt ſumi, ut innuit Serapio in ſimplicibus, capite de lapide bezaar: uno modo largiſſime pro omni medicina principaliter, uel ſecundario faciente ad liberationē à uenenis: alio modo large pro medicinis bezaaralibus ſupradictis: & tertio modo ſtricte: Verbi gratia, theriaca pro theriaca ipſa, quæ eſt una cōfectio dicta theriaca magna, uel liberans, & dicitur theriaca Galeni, & eſt illa, in qua ingreditur caro tiri, & non propterea (ut multi accipiunt) uocata eſt theriaca: imò propter ſuæ uirtutis theriacalis excellentiā nomen generis

Alexipharmacum.

A generis ſortita eſt, & ſuo nomine meruit appellari, & eſt de qua intelligitur, quum abſolute profertur. Et ſimiliter bezaar ſtricte ſumptum dicitur de quodam lapide qui præ excellentia ſuæ bezaaralis uirtutis nomine generis conſimiliter uocatus eſt. Hæc quidem Nicolus. Ex quibus uerbis apparet ipſum quoque iſta duo nomina bezaar, ſiue alexipharmacum cum theriaca cōfundere, quum tamen bezaar apud Arabes, ſicuti alexipharmacon apud Græcos ſit tam medicina ſimplex quàm etiam compoſita: Theriaca autem tantum cōpoſita, & non quæcunque, ſed quam Andromachus dicitur compoſuiſſe. Quare neq; largiſſima, neque larga acceptio theriacæ apud ipſum recta eſt. Tertia uero arctiſſima, & ipſa ob id poteſt improbari, quoniam theriaca ita accepta non eſt Galeni theriaca, ſed Andromachi potius. Videtur autem Nicolus nimium Auicennæ falſò Galenum calumnianti credidiſſe, quod fruſtra Andromachi antidotum, quædam addendo, & quædam ſubtrahendo commutaſſet, nulla uidelicet ductus neceſſitate, ſed ſolum ut eiuſdem antidoti ſibi titulum uſurparet, quum tamen Galenus in ſuis omnibus de theriaca antidotis tractatibusq; maxime probet Andromachi cōpoſitionem, & eam ſolam, ut ſæpe diximus, nominet theriacam, tanquam omniū aliarum antidotorū utilitates cōplectentem, atq; ideo ubiq; illam ſeruare ſtudeat incorruptā. Quod uero etiam Nicolus illos reprehendit, qui Galeni theriacā inde dictam putant, quod ex tiri carne conficiatur, fortè melius illos reprehendiſſet, qui uerū tirum non agnouerunt. Nō animaduertit autē uir iſte, alioquin Galeni doctrinæ ſtudioſus, ſe principi medicorum, homini nō minus literatura, ꝙ etiam medicinæ arte cōſpicuo imputare, quod male ſui antidoti nomen fuerit interpretatus, & eius ignorauerit ſignificationem. Vt autem hic Nicoli error, & aliorū idem exiſtimantiū euidentius appareat,

B ſubijciā Galeni uerba, quæ libro de theriaca ad Piſonē ita de eius uocabuli ſcribit etymologia: Quia uir iſte, Andromachus ſcilicet (de eo enim ſtatim antea locutus erat) miſcere pharmaco theria, id eſt, uiperas, quæ ſunt ex genere ferarū uenenoſarum, excogitauit: non ſolum quoniam ad morſus earum bene congruit, theriaca à nobis dicitur, ſed quia etiam ipſas feras uenenoſas, uiperas ſcilicet, in ſua mixtura recipit, propterea promptū ſit nobis theriacā nominare. Verum hic error Nicoli, qui tamen, ut uerum fatear, non eſt error ipſius, ſed aliorū ſua ætate celebris nominis autorū, ex quorū libris accepit, fortè poſſit tolerari ob eam quam uitiatam habemus ac mutilatam librorū Galeni de theriaca tranſlationē. Gentilis autē in expoſitione quinti Canonis Auicennæ, capite de theriacis magnis, utranq; admittit theriacæ ſignificationē, quod uidelicet dicatur ab effectu ſuo cōtra ſerpentes, & alias medicinas uenenoſas, & à carne tiri, non tamen utranque in una & eadem theriaca, ſed potius diuerſis. Ita enim capite antedicto de theriacæ nomine ſcribit: Quū nomen theriacæ ſumitur ab effectu, quia eſt conformis uenenis, imponitur omnibus medicinis conferentibus ad uenena, & ad difficiles paſſiones, & dicuntur medicinæ theriacales, ſiue ſimplices, ſiue compoſitæ, ſicuti allium uocatur theriaca ruſticorū à Galeno duodecimo therapeuticæ, & pira theriaca fungorū, & ſic de multis: & ſic dicit̃ theriaca diateſſeron, in qua nō intrat caro tiri: & hoc modo ſumit nomen tiriacalis Auicenna de uiribus cordis, & ſecundo Canonis capite uigeſimo. Quum autē hoc nomen ſumitur à carnibus tiri, cadit ſolum ſuper tiriaca illas recipiente. Hæc quidē Gentilis. Qui ſi fortè interrogaret̃, quomodo pira recte dicantur theriaca fungorū, quum fungi nō ſint ſerpentes: nomen autē theriacæ ſit à therijs, id eſt, ſerpentibus deriuatū: non aliud, ut opinor, ad hoc reſponderit, niſi quod paulò ante uerba ſuprà ſcripta notauerat ex cuiuſdam Arabis Azarangi nomine autoritate, quod uidelicet theriaca dicitur, quia cōfert uenenis ſerpentū, & aliarum

C medicinarũ uenenoſarũ. Hoc enim nomen, ut inquiunt, habet duas partes: unam tiri, quæ ſignificat ſerpentes: alterã ka, quę ſignificat medicinas uenenoſas. Quare propter ſecundã partẽ nominis theriaca, quæ eſt ka, uidet Azarangi atq; Gentili ipſum ſequenti pira recte dici fungorũ, qui ſunt uenenoſi, theriacam. Pudet me ali quando quũ uideo celebres in arte medicinæ uiros circa medicinalia nomina tam pueriliter aberrare. Quanquam utinam uſq; ad nomina eorum errata terminarentur, & non etiam in res ipſas uitæ periculoſas præcipitarent. Quod in tiri (ſic enim ipſi nominant) carne tam neceſſaria ad theriaces compoſitionem, medicina factum uſq; ad hæc tempora demonſtrauimus. Quãtum uero ad pira attinet, quæ fungorum theriaca dicũtur, etiam antea declarauimus, cur alliũ à Galeno theriaca nominetur. Idem autem de piris eſt ſtatuendũ, quod uidelicet eatenus fungorũ theriaca nominantur, quatenus eundẽ habent effectũ contra uenenũ boletorũ, ſiue fungorum, quẽ cõtra omnia uenena theriaca. Quod autẽ idem Gentilis inquit, quod quando hoc nomen theriaca ſumitur à carnibus tiri, cadit ſolum ſuper theriaca illas recipiente. Fortè rationabilius eadẽ uerba ita protuliſſet: Cadit ſuper uera theriaca, quæ carnes uiperæ recipit. Quoniam aliæ compoſitiones nõ ſunt ueræ theriacæ, ſed per quandam metaphoram ita cognominantur. Sed etiam ipſa uera theriaca non ſolum à ſerpente quem recipit, dicitur theriaca, ſed etiam ab uſu, quẽ affert contra morſus ſerpentũ. Quare diſtinctio Gentilis, quod aliqua theriaca à recepto, aliqua ab effectu tantum nominetur, non eſt omnino cõprobanda, quum nulla ſit ſine carne ſerpentis uera theriaca: & illa quæ hanc recipit duplici ratione (ut antea Galeni autoritate monſtrauimus) theriaca nuncupatur. Sed fortè tam longa

D de nominibus quæſtio magis ſit grammatiſtis quàm philoſophis medicis'ue conueniens. Quoniã (ut inquit Galenus, & quodã de ſimplici medicina loco, et pluribus alijs) non ex uerborum, ſed rerum potius cognitione curatio morborũ perficitur. Quia tamen dudum animaduertimus fuiſſe nos in libro De Plinij atq; aliorũ medicorum erroribus inſcripto, longis ſermonibus ſuper uocabuli theriaca etymologia à quibuſdam medicis atq; leguleis taxatos, coacti fuimus & ipſi, nunc primum data nobis occaſione, in noſtri defenſionem fieri uerboſiores, qua ſimul etiam Auicennæ interpres excuſatur, qui uiperam tirum, quamuis theriũ dicere debuit, aliquando interpretatur. Hunc autem ipſum interpretem ideo excuſandum cenſuimus, quod putauerimus fuiſſe errorẽ Serapionis, quod fuit interpretis uitiũ. Sed quomodo id cuiquam errori tribuimus, quod neq; eſſe errorem iudicauimus? In eo etenim libro de medicorum erroribus agentes, liberum unicuiq; relinquimus, ſerpentem illam cuius caro theriacæ admiſcetur, uel tirum, uel uiperã, uel quouis alio libeat nomine appellare. Quare medicos iuniores inceſſuimus, non quod uiperam tirum aliquando nominent, ſed potius quod tirum putarent à uipera differentem: Quod tirum ex Syria uſq; quærerẽt, qui multo melior in Italia haberetur. Deniq; quod qui ſerpens eſſet uel tyrus, uel uipera, hactenus uiderentur ignoraſſe non fuit hic error in nomine, ſed in re magis. Fingamus enim Serapionis interpretem feciſſe uerũ de carne uiperæ titulum, & omnes illas quæ carni tiri tribuuntur facultates fuiſſe in eadẽ translatione, mutato ſolo ſerpentis nomine, uiperæ carni cõtributas: An propterea medici iuniores ex Serapione ſciuiſſent, quænam aut qualis ſerpens uipera foret, cuius caro tantopere ad uſum medicinæ cõmendaretur? non arbitror equidem. Si enim hoc recta exiſtente uerborũ Serapionis tranſlatione ſcire potuerunt, cur non æque idem ex Auicenna didicerunt, qui ſecundo Canonis etiam ſcribit carnis uiperinæ proprietates inſigniores. Cur nõ pariter ex Dioſcoride atque Galeno, eadem de carne echidnæ uel uiperæ ſcribentibus, quæ

A Serapio de carne tiri,uel ipſo Serapione utrunq; autorem ſuper eiuſdem carnis uiribus allegante. Ex qua allegatione facile percipere potuerũt tirum, & echidnam, & uiperam eandem eſſe ſerpentem. Sed quum pleriq; eorum quid nomen uiperę apud Latinos ſignificaret,ignorarent, neque quid echidna in græca,quid tirus in Arabica translatione importaret,potuerunt intelligere. Quare de quo ſumus nos in noſtra ad Alexandrum Agathimerum de tiro & uipera epiſtola gloriati,de hoc quoq; nunc iure gloriamur , nos primos fuiſſe qui decennio ante eandem epiſtolam æditam,tirum & uiperam eſſe ſerpentem,qui uulgò maraſſus,aut ſcortio nuncupatur,docuimus: Quod neq; Gentilis, qui tam prolixas atq; ſubtiles ſcripſit de theriaca quæſtiones, antea docuerat: imò cõtrarium in ſuis ſcriptis nobis inſinuauerat, in quibus tirum ait eſſe ſicco ueneno ſerpentem , cuius oculi à ſmaragdo, ſi hunc lapidem intueantur,diſſipantur. Per uiperas autem nõ tirum,non ſpecialem aliquam ſerpentis naturam,ſed communes tantum ſerpentes putat intelligendas. Quare ſicubi nos Auicennam notandũ cenſuimus, quod tirum putauerit à uipera differentem, fecimus hoc ſecundum Gentilis, qui anima Auicennæ reputatur, expoſitionẽ. Nam quũ ſenſus Auicennæ ubiq; abſtruſi ſint, ac quaſi imperceptibiles propter autoris,aut ſaltem interpretis barbarã obſcuritatẽ, nõ poſſumus aliter de Auicenna iudicare, q; ſicuti is,qui inter ipſius expoſitores habetur præcipuus, nobis ſua expoſitione ſubiecerit. Tunc uero nõ malam expoſitionem, ſed ipſum potius autorẽ debemus damnare:quũ eidem malæ expoſitioni,autor dederit occaſionẽ, quod liquidò uidemus Auicennã feciſſe in uiperis, quarũ multas ſpecies & libro quarto & quinto, ut antea oſtendimus, numerauit: quum tamen uipera ſit ſimplex ſpecies ex Ariſtotele,Nicandro,Dioſcoride,atq; Galeno. Quos etiam au

Gentilis anima Auicennæ.

B tores uidetur & ipſe Auicenna ex parte ſecutus, ut quum eam notat in uiperis maris ac fœminæ ex dentibus differentiam,quam etiam Nicander atq; Galenus in uipera ſimplici ſpecie notauerũt. Niſi fortè Auicenna qui uiperã, quę ſpecies eſt, pro genere poſuit, eodem errore peculiarẽ uiperæ differentiã etiam alijs ſerpentibus cõmunicauit. Quem ſanè geminũ Auicennæ errorem uidetur Albertus libro uigeſimoquinto de animalibus imitatus,ubi poſt factam ſecundũ Auicennã generis uiperarũ in ſpecies diuiſionẽ, quarũ multas ait eſſe ſpecies,alias aleliſati,alias quercinas,alias ſitire facientes, & reliquas,de quibus ſe dicturũ promittit, poſtmodum hæc uerba ſubiungit: Adhuc autẽ ſerpentibus accidit magna diuerſitas in acuitate & hebetudine ueneni ſecundũ ſexum maſculinũ & fœmininũ, quãuis ſint in ſpecie una : maſculi enim pauciores habent dentes, & plus ueneni, & acutius uenenũ quàm fœminæ : & quod dicitur,quod fœminæ deteriores ſunt maribus, intelligitur in morſu,in quantum eſt pluriũ dentium morſus earũ. Hæc quidem Albertus Forſitan autẽ non eſt in omnibus ſerpentibus,ut loqui uidetur Albertus,id quod dicit,uniuerſaliter uerum, ſed in una tantũ ſpecie, ſcilicet uipera:in hac enim Nicander, Dioſcorides,Galenus, & Paulus unà teſtãtur, quod mares fœminis ſunt pernicioſiores: & fœminæ plures,mares autem pauciores habent dentes,nõ quoſcunq; tamen(ut etiam circa initia operis diximus)ſed caninos tantum. In alijs uero ſerpentibus nõ deſunt autores Arabes,qui contrariũ aſſerant,fœminas ſcilicet maribus eſſe peiores: Nam quod ait Albertus,hoc intelligendum eſſe in morſu propter multitudinẽ dentiũ: In morſu quidem elephantũ,atq; aliarũ ferarum, quæ magnos & aduncos habent dentes,eſſet probabile: in ſerpentibus autem non eſt acceptandum, in quibus non turba uulnerũ, quæ ita aliquando ſunt exigua,ut acus uideatur pupugiſſe,ſed uirus potius maleficũ debet attendi, quod poteſt eſſe maleficentius,etiamſi à paucioribus dentibus imprimatur, quemadmodum in ſpecie

C ſpecie uiperina eſt experientia cõprobatum. In alijs autem ſerpentum generibus neutrũ puto ſatis haberi exploratũ, neq; utrum fœminæ plures habeant dentes ꝙ mares, neq; utrũ ſint minus ſuo ueneno exitiales: Nam de ueneno, ut antea diximus, ſentẽtiæ medicorũ ambigũt. De numero aũt dentiũ uidet̃ Ariſtoteles dubitare, qui ſecũdo hiſt. animaliũ lib. de dentibus in uarijs animalibus agens, ſcribit hæc uerba: Planos ab acutis diſterminãt, qui canini appellant̃: fermè utrorunq; participes ſunt, quippe qui infrà latiuſculi, ſuprà acutiuſculi ſint. Maribus dẽtes plures ꝙ fœminis, ut in genere hominũ, ouiũ, ſuum, caprarũ patet. In cæteris nullũ exploratum eſt, quibus plures. Ex quibus Ariſtotelis uerbis illud etiam liquere arbitror, quod initio operis cõtra Auicennã diximus, aliud eſſe de dentibus loqui ſimpliciter, aliud de his qui canini appellant̃. Nam caninos quidẽ dentes plures eſſe in uipera fœmina, ꝙ in maſculo, Nicander, Galen. & Paulus Aegineta, teſtant̃. De reliquis autẽ ſerpentibus nihil determinãt, ſicuti in omnibus animalibus Ariſtoteles ſub dubio relinquit, præterꝙ in homine, ſue, oue, & capra. Ad maiorẽ autẽ & noſtri, & interpretis Serapionis, atq; Auicennæ excuſationẽ, pro uipera tirum, quaſi theriũ dicere uoluerit, nõ raro interpretantis, iam ſupereſſe uidetur, ut etiam apud Ariſtot. nomine generis licet aliquãto proximioris, ὄφιος ſcilicet, id eſt ſerpentis, uiperã aliquãdo intelligi demõſtremus. Hæc ſunt huius philoſophi libro de hiſtoria animaliũ ſecũdo uerba: *Nunc interiorũ ordinẽ perſequemur, & primũ in eo genere quod ſanguine conſtat*, hæc enim ratione ſumma genera à cęteris differũt, quod hæc ſanguinea ſunt, illa exanguia. Sanguine prędita ſunt, homo & quadrupedes, quæ animal ouum ue pariũt, atq; etiã aues, piſces, cete, & ſi quid aliud uacãs nomine, quoniã genus nõ ſit, ſed ſpecies ſimplex in ſingulis intelligat̃, ut ſerpens, ut cro-

D codilus. Habet aũt hic locus in græco codice maiorẽ difficultatẽ, in quo poſtrema uerba ita ſcribunt̃: ἀλλ᾽ ἁπλοῦν τὸ εἶδος ἐπὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα, οἷον ὄφις καὶ κροκόδιλος. hoc eſt, ſed ſimplex ſit ſpecies, ut ſerpens, ut crocodilus. Ne quis fortè arbitret̃ Ariſtotelẽ dicere ſerpentẽ, uel crocodilũ nõ eſſe ſimplicẽ ſpeciem, ſed ſimplicẽ ſpeciẽ tantũ intelligi. Quare remanet integra dubitatio, quomodo uterq; ſit ſimplex ſpecies, quũ tamen in alias ſpecies diuidantur. Hanc autẽ dubitationẽ Albertus Ariſtotelis paraphraſtes (licet ſit fortè prolixior, ꝙ ut nomen paraphraſtis mereatur) ſuper horum uerborũ cõtextu, quæ paulò ante citauimus, diſſimulauit. Alterã tamen de ſerpente uidet̃ alibi uoluiſſe ſoluere, libro ſcilicet primo, cap. octauo de diuerſitate animalium, quæ ſunt penes cõmunia genera ipſorũ, ubi ita ſcribit: Animaliũ autem genera præter hæc, non magna genera dicũtur, quia ſpecies multas non continent, ſed quædã ex eis ſimplicia ſunt, quæ formalem in ſe nõ recipiũt diuiſionẽ, & hæc ſunt ſpecies ultimæ, ſicuti homo. Quædã aũt per formales differẽtias, diuerſos modos, ſed nõ habent propria nomina ſpecierũ, quæ nota ſint nobis. Dehinc paucos poſt uerſus illa uerba ſubiũgit: Adhuc aũt genus ſerpentũ eſt unũ de generibus ſimplicibus animaliũ, nõ ideo ꝙd nõ diuidatur in ſpecies, ſed quia nomina ſpecierũ ſubalternarum non ſunt nobis nota, tirus tamen & uipera nota ſunt nobis. In his quidem uerbis Albertus innuit, ſerpentẽ eſſe ſimplex genus, ſicuti homo, alia tamẽ ratione, nõ quia ſcilicet nõ diuidatur in ſpecies, ſed quia illæ, in quas diuiditur, uacãt nomine, præter tirum & uiperã. Talia aũt dicere neſcio cui minus ꝙ Alberto conueniat, qui præter tirum ac uiperã libro uigeſimoquinto, ubi de ſerpentibus agit, tot ſpecies ſerpentũ nominat ſubalternas, ſicuti aſpidẽ, ceraſten, ſitulam, & ſi quas alias fruſtra multiplicauit. Sed neq; propterea aliquid dicitur ſimplex genus, quia ſpeciebus eius ſubalternis ſua deſint nomina: imò ſecundũ Ariſtot. libro primo de hiſtoria animaliũ, cap. illo unde hanc diuiſionẽ ſimplicis generis uidetur Albertus

accepiſſe

A accepiſſe, cõtrarium potius apparet. Nam tale genus, quod diuidi quidẽ poteſt in
ſpecies, ſed nullis nominibus diſtinctas, ſimplici opponit̃ generi, ut ſimplex genus
ibidem accipit Ariſtoteles, pro ſimplici ſcilicet ſpecie, hoc eſt, ſpecialiſſima, quæ in
alias ſpecies diuiditur, ut homo. Hæc enim ſunt Ariſtotelis, loco ex quo diximus
Albertũ ſuam generis ſimplicis ſumpſiſſe diuiſionẽ, uerba: Reliquorũ anim antiũ
genera nulla præterea ampla intelligũtur. Vnũ enim quod plura contineat, nullũ
eſt, ſed aut ſimplex eſt, nullis ipſum ſpecificis euarians diſcriminibus, ut homo: aut
diuidi quidẽ poteſt in ſpecies, ſed nullis nominibus diſtinctas. Adhuc ſi carẽtia no
minũ in ſpeciebus faceret generis ſimplicitatẽ, tunc hæc non natura, ſed noſtro po
tius arbitrio cõſiſteret, quũ nomina imponantur ad placitũ, ut uult Ariſtot. ſuo de
interpretatione libro. Ariſtoteles etiam ſerpentẽ nõ ait eſſe ſimplex genus, ſed ſim
plicem ſpeciẽ. Quare niſi per ſerpentẽ, aut uiperã, aut aliquã alterã ſpeciem ſpecia=
liſſimam intelligamus, dubitatio propoſita erit inſolubilis. Quod uero ὄφις, id eſt,
ſerpẽtis nomine apud Græcos per quandã exochen uipera intelligat̃, poſſem mul
tis exemplis apud Nicandrũ, Oppianũ, atq; Andromachũ in Elegis, quos Nero= *Andromachi*
ni Imperatori de theriaca nũcupauit, oſtendere, niſi uererer de rebus tum ad philo *elegi.*
ſophum, tum ad medicinã præcipue attinẽtibus ſcribens, uideri nõ adeò medicos,
quantum poëtas allegare, quoniã autores antedicti nõ ſoluta, ſed numeris aſtricta
oratione ſcripſerũt. Quare unum tantũ ex Paulo medico nobiliſſimo exemplũ ſat
erit in mediũ adducere, quod medicis nõ erit inutile, quoniam uel hoc uno exem=
plo commone buntur, quot paſſim ſint in Auicennæ libris errores. Docet Paulus *Multi in libris*
cõponere medicamen ad ſtrumas, quas uulgò ſcrofulas appellamus, in hũc modũ: *Auicennæ er=*
Serpentẽ mortuũ in ollam cõijcito, illitam gypſo, & da ad comburendum in forna *rores.*
B ce, ac ſerpentis cinerem miſce, æquali portione cum fœnogræco, mox cum melle
cõfice, & utere. Hoc idem medicamentũ, ut inſpicere licet, ex Paulo acceptum, ſed
aliqua in parte (ut ſolet) deprauatũ, ita Auicẽna notauit: Sumat̃ ſerpens mortuus,
& proijciatur in uas lutuatũ luto ſapiẽtiæ, & dimittatur in furno de lateribus, dein
de cõficiatur cum æquali quãtitate ſui aceti permixti cum melle ſecundũ medieta=
tem. Hæc quidẽ Auicenna, qui pro gypſo male lutũ ſapientię poſuit, quod nõ eſt
gypſum, ut conſtat ex Dini in hæc uerba expoſitione: quam tamen Dini expoſitio
nem nos non improbamus, ſed alteram potius, in qua ſcribit ſerpentes in cõmuni
ex autorũ, quos tamẽ nõ allegat, opinione, habere proprietatẽ, ut nõ permittãt au
geri ſcrofulas. Ego aũt puto per ſerpentẽ apud Paulũ & Auicẽnam etiã, qui idem
medicamentũ accepit à Paulo, debere intelligi, non quancũq; ſerpentẽ, ſed uiperã
magis, quæ (ut teſtatur Dioſcorides) ſtrumas, ſeu ſcrofulas augeri prohibet. Verũ
quantũ ad hoc attinet, error Dini expoſitoris proprius poteſt exiſtimari. Alter ue
ro eſt ipſius Auicẽnę, qui dicit ſerpentẽ in furno aſſatã debere permiſceri cũ æqua
litate ſui aceti: quũ tamen apud Paulũ non fiat de aceto mentio, ſed cinere potius,
qui ex ſerpentis aſſatione in fornace relinquitur: Qui etiam cinis ſecundum ipſum
debet, nõ cum aceto, ſed cum fœnogræco æquali portione miſceri, & demũ cum
melle cõfici. Quare quũ neſciret Dinus Auicennæ expoſitor diuinare, quodnam
eſſet ſerpentis acetum, hunc ſcrupulũ intactum de induſtria prætermiſit. Clarius ta
men de hoc aceto ſerpentis Auicẽna, ſecũdo Canonis, cap. de ſerpẽte locutus eſt,
ubi ita ſcribit: Quũ cutis eius, ſcilicet ſerpentis, de ſerpente enim loquit̃, in uino co
quitur, & diſtillat̃ in aurem, ſedat dolorem eius, & colluitur os ex aceto in quo cu=
tis eius decoquitur, ad dolorem dentis. Verum quia medicamentum eſt Pauli nõ
acetum, ſed cinerem potius accipi præcipiẽtis, rectius puto idem medicamentum
ex cinere & melle cum fœnogræco, ut diximus, cõfici, quãdo & apud Auicennã

C ſerpens mortuus non in aceto decoquitur, ſed in furno de lateribus (ut ex uerbis eius apparuit)quæ potius ſerpentis aſſationem, quàm acetũ,uel aliud aliquid,nobis inſinuant. Quem autẽ dixi propriũ eſſe Dini Auicennæ expoſitoris errorem, fortè poteramus ipſi Auicennæ in primis aſcribere:Ipſe enim eſt,qui ſecundo Canonis, capite de ſerpente, eam de qua diximus uiperæ carnis ad prohibendũ augeri ſcrofulas facultatem, nõ uiperæ ſerpenti ſpeciali,ſed potius ſerpentibus in communi uidetur aſſignare:quanquã nõ unam tantum uiperæ proprietatem,ſed plures alias eodem capite ſerpenti ſimpliciter Auicenna aſcribat,ut quũ ſtatim ab initio ſcribit, quod ex ſerpente coctũ cum aqua, ſale,& aceto adminiſtrat̃, & additur ei quandoq; oleum,& adminiſtratur eius ſal,qui eſt in uirtute carnis.Hæc aũt Dioſcorides,Galenus,& Paulus,& Plinius apud nos,nõ de omni ſerpentis ſpecie,ſed tantũ de uipera tradiderunt: ex cuius carne ſalem quem diximus à Græcis theriacum,à Latinis autẽ uiperinũ nominatum,confici docuerunt,habentẽ æqualem,ut inquit Auicenna,cum uiperina carne poteſtatẽ.Sal autẽ huiuſcemodi,ſicuti & trochiſci theriaci,ex uipera tantũ fit.Quare nõ recte Auicẽna quod unius eſt ſerpentis ſpeciei peculiare,id omnibus tribuit.Nam quod de ſerpẽte in uniuerſum & nõ de aliqua eius ſpecie ſtatim ab initio loquat̃, eiuſdẽ Auicennæ indicant uerba quæ ſequũtur,ita ſe habẽtia:Nos uero ſerpentũ ſpecies libro quarto dicemus:Quaſi hactenus fuerit de ſerpente in cõmuni locutus,& carne eorũ quantũ ad uſum medicinæ pertinet:Libro autẽ poſtmodũ quarto ſingulas eorũ ſpecies ſit diſtincturus. Demũ omnia uerba, quæ deinceps hoc capite,de ſerpẽtis carne ſubiũgit, ut quod exiccatio eius eſt fortis, ſed calefactio non uehemens,& omnes deniq; effectus,ac

D proprietates, quæ ſub eodẽ uerborũ contextu de ſerpente cõmuniter accepto ab Auicenna referũtur, ſunt quæ à Dioſcoride,Galeno,Paulo, & Plinio,pariter ſolũ de uipera cõmemorantur.Circa tamen finẽ eiuſdem capitis Galenũ Auicenna citat,nõ de ſerpente ſimpliciter,ſed de uipera ita ſcribentem:Quod quãdo accipiuntur fila plurima, & proprie tincta ex ſanguine muricis, & ſtrangulat̃ eis uipera, & inuoluitur unum eorũ in circuitu colli habentis apoſtemata uuæ & gutturis,apparet ex eo iuuamentũ maximũ & mirabile.Ex qua quidẽ citatione meritò quiſpiam poſſit ſuſpicari,Auicennã in hoc ſecundi Canonis capite,ſicuti in quarto & quinto libro,uiperam non pro ſpecie ſimplici,ſed pro genere potius ad multos ſerpentes cõmuni,poſuiſſe,quũ tam de ſerpente,quàm etiam de uipera indiſcrete loquatur. Vnde nõ paruus fiet in artis operibus error,ſi medici ducti Auicennæ autoritate æque cuiuſlibet ſerpentis alterius, ſicut i uiperæ carne, tum ad ſcrofulas,tum ad alias etiã utant̃ ægritudines.Quando uel Dinũ tam celebris nominis medicũ lapſum,hoc errore deprehendimus in ea,quã ſuprà notauimus,uerborũ Auicennę expoſitione. Et hæc quidẽ de erroribus tum Auicẽnæ,tum Dini eius expoſitoris, circa medicamenta ſint obiter à nobis explanata,nullam uolẽtibus, ut ſumus circa operis initia præfati,iuuãdæ uitæ prætermittere occaſionẽ.Nullus autem eſt error apud Auicen.q propter magnã uiri hac ætate autoritatẽ non ſit hominũ ſaluti periculoſus.Tũc uero etiã periculoſior,quũ de medicinis agit̃,quę ex ſerpẽtibus aſſumantur,poſſunt nõ ſine periculo iudicari,nedum ubi cõtingit circa ipſas delinquere:Quod ſi uolumus illum,cui ſeculũ noſtrũ dedit in medicina principatũ, à tanto errore defendere,dicere oportet & ipſum cap.ſecũdi Canon. antedicto per nomẽ ſerpẽtis uiperã ſpecialẽ ſerpentẽ intellexiſſe.Sed hoc eſt quod dudũ probare intendebamus,uiperã apud medicos,ſicuti apud philoſophos,nomine generis aliquando ſignificari.At neq; alter apud Ariſtot. ſcrupulus eſt ſilentio prætereũdus, quomodo uidelicet crocodilus ſit ſimplex ſpecies, in quo Alber. Ariſtoteli manifeſte contradixit.

A cõtradixit: Nam licet proprio in loco dubitationem, quæ ſuper hoc animali etiam oriri poterat, ut antea diximus, Albertus diſſimulauerit, paulò tamen poſt ſecũdo itidem de hiſtoria animaliũ libro, ubi Ariſtoteles de duobus loquitur crocodilis in hac natura cõmunicantibus, quod unum ſimplicem habent uentrem, aut canino, aut ſuillo ſimilem, oblitus, ut uidetur, priorũ uerborũ Ariſtotelis, quibus crocodilum eſſe ſimplicẽ ſpeciem pronunciauerat, quũ poſtea uideret eundẽ Ariſtotelem loco quo diximus utrunq; crocodilũ nominare, putauit ipſum per utrunq; crocodilum duas crocodili ſpecies intelligere: quarũ altera uocatur Arabice tencea, altera hardum: genus autem ipſum teſarach. Neſcio autem quomodo tencea poſſit eſſe ſpecies crocodili, quum id illi deſit, quod maxime ſpecificat, crocodilũ ſcilicet mouere mandibulam inferiorem, ut de tencea libro uigeſimoquarto etiam Albertus teſtificat̃, & nos poſtea autoritate Ariſtotelis ſumus demonſtraturi, quod hanc mouendi mandibulam inferiorẽ proprietatem uni tantũ inter omnia animalia tribuit ſpeciei, quæ crocodilus ſimpliciter, uel crocodilus fluuiatilis nominatur. Ego itaq; exiſtimo Ariſtotelem (niſi uelimus ipſum ſibijpſi in eodem libro repugnare) per utrunq; crocodilũ loco quo diximus, intelligere fluuiatilem atq; terreſtrẽ: qui licet in uentre cõueniant, ſuillo aut canino ſimili, in multis tamen alijs naturæ proprietatibus, ſed præcipue magnitudine, diſcrepant. Et quod maxime naturam crocodilinã, ut diximus paulò ante, ſpecificat, mouere ſcilicet mandibulam inferiorẽ, hoc ſoli ineſt fluuiatili crocodilo, autore Ariſtotele, primo de hiſtoria animaliũ libro, & Plinio quoq; libro octauo de naturali hiſtoria, ubi unam tantũ nominat ſpeciem crocodili, cui hanc tribuit mouendi mandibulam inferiorẽ proprietatẽ: Licet poſtea lib. uigeſimo, ubi uult diſtinguere medicinas, quæ partim habent̃ ex croco

B dilo fluuiatili, partim ex terreſtri, duo dicat eſſe genera crocodilorũ, alterũ aquatile, alterum terreſtre. In quo eatenus eſt Plinius audiendus, quatenus uelit utrunque eſſe proprij generis crocodilum, & non ſub uno & eodem genere proximo, quod crocodilus nominetur, duas ſpecies, alterã terreſtrem, alterã fluuiatilem cõtineri. Nam ſicuti equus fluuiatilis æquiuoce equus nominat̃, & canis marinus non eſt uerus canis, ſed per quandã ſimilitudinẽ canis appellatur: ita & crocodilus terreſtris dicitur crocodilus. Quanquã neq; ille canis ſimpliciter, neq; hic crocodilus ſimpliciter nuncupentur, ſed hoc totum marinus canis & terreſtris crocodilus, ſicuti ſcincus propter eandem quam cõtinet crocodili fluuiatilis ſimilationẽ, ſolum crocodilus terreſtris nominatur: Et eſt, ut inquit Dioſcorides, proprij generis crocodilus. Plinius quoq; eundem ſcincũ libro uigeſimooctauo, dici à quibuſdam terreſtrem crocodilum teſtificatur. Quem tamen ipſe libro octauo nõ crocodilũ eſſe dixit, ſed tantum ſimilem crocodilo. Quocirca Galenus libro undecimo, de ſimplici medicina, ubi de ſtercore crocodili terreſtris uerba facit, in hunc modũ exorſus eſt: Terreſtrium autem crocodilorũ horum paruorumq; & humi repentium ſtercus, & reliqua. Quaſi ex hoc modo loquendi nobis uoluerit Galenus ſignificare crocodilos terreſtres non eſſe ueros crocodilos, ſed tantã paruos & humi repentes crocodilos: ſicuti Pigmæi non ſunt homines proprie, ſed tantum hominibus figura ſimiles: in reliquis autem, ut etiam uult Albertus, brutis animalibus adnumerandi. Plinius etiam libro, quo diximus, uigeſimooctauo, dicit terreſtrem crocodilum eſſe quidem fluuiatili ſimilem, multum tamen infra magnitudinem eius. Et eadem ſcribit de excrementis crocodili terreſtris, quæ etiã Galenus de ſtercore paruorum & humi repentium crocodilorũ, quod uidelicet morbos omnes tollit, quorũ natura ſerpit in facie, nitoremq; reddit, lentiginesq; tollit, ac uaros, omnesq; maculas. Eſt tamẽ hic locus apud Plin. quantũuis tot paſſum ferulas, deprauatus:

C quem ſi ego data ex Galeni uerbis occaſione caſtigauero, neq; multũ abſcedam à propoſito, oſtendens Galenũ & Plinium eadem de crocodili terreſtris natura ſcribentes, & ſimul ob hoc fortaſſis literatis quibuſdam Plinij ſtudioſis gratificabor.

Plinij locus reſtituitur.

Verba quidem Plinij in his qui habentur impreſſi codicibus ita de crocodilo terreſtri ſcripta inueniũtur, & ita à Sipontino in Cornucopijs allegantur: Alter ſcilicet crocodilus terreſtris, illi fluuiatili ſimilis, multũ infra magnitudinem, in terra tantũ odoratiſſimisq; floribus uiuit, ob id inteſtina eius diligenter exquirũtur, iucundo nidore referta, crocodileam uocant, oculorũ uitijs utiliſſimã, cum porri ſucco inunctam, & contra ſuffuſiones, uel caligines. Illita quoq; ex oleo cyprino moleſtias in facie naſcentes tollit, ex aqua uero morbos omnes, quorũ natura ſerpit in facie: nitoremq; reddit, lentigines tollit, ac uaros, omnesq; maculas. Ego autem nõ inteſtina, ſed excrementa legendũ puto, & cõſequenter reliqua quæ ſequuntur, crocodileam uidelicet utiliſſimam quemadmodum latinitas exigit. Neq; enim ſunt inteſtina, quæ propter uires à Plinio numeratas expetuntur, ſed excrementa magis, quibus etiã Galenus dicit delicias mulierũ feciſſe preciũ, quoniã ipſis nõ ſuffecere tot alia ad illuſtrandã ac poliendã faciem medicamenta, niſi etiam ad eũdem effectum animaliũ ſtercoribus uteretur. Quod ſi quis omnino codicem ad literã uelit tueri, & inteſtina legere, nõ excremẽta, tunc nihilominus fateri oportebit eandẽ inteſtina non propter ſe exquiri, ſed propter excrementa, quæ in ipſis cõtinentur, & per nidorem rem ipſam odoratam intelligere fiet neceſſarium, quam poſtea ſubiũgit Plinius crocodileam uocari. Neq; uero admodum eſt admirandũ ſtercus eius animalis eſſe odoratũ, quod odoratiſſimis floribus uiuit: Ita enim natura fert, ut excrementa eius odorem ſapiant cuius ſunt excrementa. Hæc autẽ de crocodilis ſint ex

D ſuperabũdanti huic operi à nobis inſerta, probare uolentibus cõtra Albertũ, crocodilum nõ eſſe genus, ut ipſe exiſtimat, ſed ſimplicẽ ſpeciem, quemadmodũ Ariſtoteles ſentit: quæ tamen probatio non fuit extra totum operis inſtitutum, in quo non ſolum de dipſade, ſed pluribus alijs ſerpentibus tractare intendebamus, cum quibus crocodilus, ſicuti & canis rabidus, morſu uenenato conuenit, ut medici teſtantur, qui de eo inter alia animalia ſuo ueneno homini noxia meminere. Licet Ariſtoteles libro ſeptimo de hiſtoria animaliũ, contrariũ uideatur ſentire, id uirus homini tantũ nõ obeſſe, cæteris animalibus exitiale. Sic enim libro allegato Theodoro interprete ſcribit: Canes tribus laborant morbis, rabie, angina, podagra: facit rabies furorẽ, & quæ momorderint omnia rabiũt, excepto homine. Hic autem locus magnas cõtentiones inter me & quoſdã grammaticos, & medicos illis fauentes, excitauit. Siquidem ego primus fui, qui locũ hunc apud Ariſtotelem eſſe mendoſum, & omnino caſtigandũ iudicaui, parua tamen litura, una tantũ aut altera litera cõmutata, πρὶν ſcilicet legendo pro πλὴν, ita ut prius homine, nõ excepto homine fuerit interpretandũ. Siquidem hominẽ morſum à cane rabido nullatenus rabire, eſt in propatulo falſum. Tardius autẽ quàm reliqua animalia eodẽ morſu tacta in rabiem incidere, longa diſſertatione cõtra antea dictos grãmaticos, medicosq; probaui, ampliſſimo in eccleſia Romana Cardinali Alexandro Pharneſi nuncupata.

Lectio Ariſtotelis in integrum reſtituta.

Quamuis autẽ hæc Græci codicis caſtigatio à me primũ excogitata, plurimam habeat probabilitatẽ, quoniã ei nõ minus ratio quàm experientia cõſentit, non tamen ita illi cõfido, ut pro firma ſententia habendã iudicẽ, quin ea primũ publicata, omnes literatos & egregie eruditos admonui, ſi quid melius poſſent cogitare, quo fidem græci codicis, & Theodori translationẽ tuerentur, ſe nõ minus mihi quàm Theodori manibus placituros. Ego quoq; ut hoc ipſum agerent, ut græcã ſcripturã ſcilicet et Theodori translationẽ retinerem, ſæpius laboraui, & uarios modos, quibus id fieri

A id fieri poſſet, excogitaui. Vnus autem inter cæteros probabilior occurrebat, ſi talem ſenſum uerbis Ariſtotelis ſiue græcis ſiue latinis accõmodaremus. Non ideo hominem excipi, quia nullus homo rabiat, ſed quia nõ omnis: quaſi ſpecies humana habeat hanc præ cæteris prærogatiuam, quod aliqui in ea ſint tali natura præditi, ut etiam à cane rabido morſi nõ tamen rabiant, quod nulli alij animantiũ generi natura conceſſit. Omnia enim (ſi Ariſtoteli credimus) quæcunq; canis rabioſus momorderit, rabiunt, præter hominem. Quoſdam autem homines eſſe, qui morſi à cane rabioſo nõ rabiunt, indicio ſunt Pſylli in Libya, Marſi in Italia, qui ita canis rabidi, ſicuti ſerpentum uenenum non ſentiunt. Et quod magis mirere, hanc eandem ſecuritatẽ quodam cantamine, quod zurmare uocant, ſe alijs hominibus largiri poſſe promittunt. Ex Ruſi etiam ſcriptis, ac Poſſidonij habetᷣ hiſtoria, quendã philoſophum morſum à cane rabido tam cõſtanti fuiſſe animo, ac ſtabili ſapientia, ut ſuam in hoc firmauerit opinionem, nullum poſſe eſſe cani cum balneo cõmercium: quãuis in eo ſibi repræſentaretur, ſicuti & alijs, qui ex eodem morſu aquarum formidine capiuntur, putantes ſe in illis uidere canem, atq; ita philoſophũ ea mentis perſeuerantia fuiſſe ſeruatũ. Sed quid uetat etiam alios homines, ſiue philoſophos, ſiue nõ philoſophos, ſimili tamẽ ratiocinio poſſe ſaluari? Quæ ratiocinandi facultas quum omnino brutis deſit, nil mirum ſi bruta omnia, quæ canis rabidus momorderit, rabiũt, & ex rabie intereunt, ut inquit Ariſtoteles. Homo autem qui ſuæ mentis compos eſt, aliquando non ſine magno tamen periculo euadit. Talem ſenſum uerbis Ariſtotelis, de cuius opinione diſputamus, debere tribui ſuadet etiam Iulius Pollux ſui libri, quod Onomaſticum inſcribitᷣ, uolumine quinto, ubi uidetur hunc locũ Ariſtotelis de canũ morbis uoluiſſe interpretari, uel ut melius

Homines morſos à canibus rabioſis, non omnes ob id rabire.

Iulius Pollux in Ariſtotelis uerba.

B græce dixerim παραφράζειν. Sic enim ſcribit: Morbi canum tres ſunt, rabies, podagra, angina. Rabies cũ difficultate ſanatᷣ: podagra omnino inſanabilis eſt: angina agit ad mortẽ. Quæcũq; autem canis rabioſus momorderit, interimit. Solus homo non ſine periculo euadit. Hæc Iulius Pollux. Cuius uerba ſi uolumus cum his quæ ſcribit Ariſtoteles de canibus cõuenire, talem habent intellectũ: Ex omni genere animaliũ ſolam eſſe humanam ſpeciem, in qua nonnulli aliquando morſi à cane rabido neq; rabiant, neq; ex rabie intereant. Aliud autem quodcũq; animal ex eodem morſu rabie interire, cuius rei cauſa eſſe poteſt maior inter hominẽ & brutum, quàm inter brutũ & brutũ, naturæ diſſidentia. Cui rationi etiam prior noſtra codicis caſtigatio nitebatur, in qua nõ, Præter, dictionem exceptiuã, ſed Prius, aduerbium temporis legendũ cenſebamus. Modus autem paulò ante tactus, nihil de græca ſcriptura mutat, & Theodori ſeruat tranſlationem. Verũ neq; hic caret omnino lite ac controuerſia. Quis enim auſit affirmare, non reperiri aliquod aliud ab homine animal, quod propter ſuæ temperaturæ repugnantiã æque atq; homo rabiem caninam quandoq; nõ ſentiat, quantumuis morſum canis rabioſi perpeſſum? Nicolus ſane Florentinus, grauiſſimæ autoritatis medicus, teſtatur de quodã cane rabioſo, qui iuuenẽ à ſe morſum perduxit ad rabiem, & tandem ad mortem. Anſerem tamen cui cutem canis idem cum magno profluuio ſanguinis dentibus dilaniauerat, nullo alio malo preterq; uulnere affecit. Iam legentes æſtiment quot habeat hic locus apud Ariſtotelem difficultates, quas nõ animaduertentes quidã amici noſtri, uiſi ſunt ſibijpſis magnũ de nobis triumphũ retuliſſe, noſtra improbata (ut ipſi putarũt) caſtigatione, & noua excogitata ratione, nõ ex Ariſtotelica ſumpta diſciplina, ut profitebantur, ſed ex grammatica, quoniã aliunde non poterant, fruſtra conquiſita. Atqui noſtra prima caſtigatio codicis omnia illa euitat incommoda, in quæ uerba Ariſtotelis, ſi ita ſcripſit, ut in omnibus ferè græcis codicibus

Nicolus Florentinus.

C ſcripta inueniuntur, incurrunt. Neq; enim eſt neceſſarium ſecũdum ipſam omnia bruta nullo excepto rabire, quæ canis rabioſus momorderit, ſed ſi rabierint, prius homine rabire propter cauſam ſuperius adductã, propter quam etiam facilius contagium patiuntur, & pereunt. Sed de his ſatis, ut dixi, longo opere, ampliſſimo eidemq; doctiſſimo ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali Alexandro Pharneſi pridem dedicato, diſſeruimus. Iam tempus adeſt, ut huic nouo operi finẽ imponamus, ne ſi ulterius progrediatur, uerũ dipſadis titulum habuiſſe uideatur, ut quod non minorem nimia prolixitate ſitim lecturis, quàm ſuo ueneno tactis ſerpens ſit allaturũ. Vnum tantum uidetur ſupereſſe, ut ſi tibi libuerit Lucretia Borgia, rerũ in naturæ cõtemplatione mirabilium diligens perſcrutatrix, pictura dipſadem repræſentari, eius imaginẽ tuæ amplitudini breuibus circũſcribamus. Dipſas eſt ſerpens uipera noſtra minor. Quidã tamẽ cubitalẽ eſſe tradunt, anguſtiore q̃ uiperæ capite: cauda extenuata, in partibus poſtremis lurida. Reliquum corpus maculis ruffeſcentibus uariata. Serpẽtis huius uis atq; natura ſatis ex ſupradictis innotuit.

Dipſadis deſcriptio.

DE DIPSADE ET PVRIBVS ALIIS SERPENTIBVS LIBRI FINIS.

NICOLAI LEONICENI

D VICENTINI DE TIRO SEV VIPERA, AD PRAESTANTEM MEDICVM ALEXANDRVM AGATHIMERVM VENETVM LIBER.

FERANDVS noſtra ætate chirurgus inſignis, quũ nuper Venetijs Ferrariam rediſſet, mihi plurimam tuo nomine ſalutem eſt impartitus, multaq; mihi de te, ut de amico & cõpatre chariſſimo, atq; olim diſcipulo dilectiſſimo curioſius percunctanti, ea retulit, quæ mihi ingentem uoluptatem attulerunt: te ſcilicet medicinæ artem cum ſumma laude in patria exercere, atq; ob id maxime probari, quod in eiuſdem artis operibus nõ uulgares iuniorum medicorum opiniones, ſed probatiſſimos quoſq; ex antiquis, ſicuti Hippocratem & Galenum præcipue ſequaris, ac contrà aliter ſentientes eorundem ſectas autorum, placitaq; conſtantiſſime tuearis. Nouiſſime autem orta inter medicos Venetos, uiros ſanè excellentes, de theriaces compoſitione dubitatione, te unum fuiſſe idem mihi Ferandus aſſeruit, qui uulgatam de tiro ſerpente ex Syria aduecto, opinionem fortiter oppugnaris, & pro tiro ſerpente peregrino uiperam, ſiue maraſſum Italiæ familiarem debere recipi, acerrima diſputatione contenderis. Addiditq; te ſæpius optaſſe me eidem diſputationi affuiſſe. Sed quoniam illud nõ cõtigit, me inſuper tuo nomine rogitauit, ut quas ſuper ea opinione, quam me ſæpius Ferrariæ probantem audiuiſti, quamq; tu ueriſſimã iudicas, habeo rationes, in libro etiam de erroribus Plinij, atq; aliorum medicorũ à me breuiter atq; ſuccincte perſtrictas, tibi pleniori oratione exararem, & fortius etiã q̃ ibi fecerim meam ſuper eadem re ſententiam cõfirmarem. Faciam equidẽ quod petis lubens, quamuis ſciam opus eſſe arduum atq; difficile, quum id ſcripturus ſim, quod ſummæ autoritatis in medicina uiris, & multorum quoq; opinioni nõ parum aduerſari

uideatur.

A uideatur. Sed neq; uereri debemus contra illos ueritatem defendere, qui in ſuis libris ita pronunciarunt: Quicunq; alteri contradicit, ſi pro uero tuendo id faciat, omnis culpæ immunem haberi oportere. Neq; etiam rude uulgus tanti eſt faciendum, ut quod ſit uitæ ſummopere neceſſariũ, quoniã ſit illi minus plauſibile propterea reticeamus: quum præſertim non trutinæ populari, ſed doctorũ iudicio noſtra ſubijciamus. Tirum ſerpentẽ eſſe à uipera diuerſum Auicenna Arabs quinto ſui libri de medicina uolumine, uidetur exiſtimaſſe. Siquidem in uarijs theriaces deſcriptionibus aliquando trochiſcos tiri, aliquando trochiſcos ex uiperis recipi præcepit, ut plures magni in medicina nominis medici iuniores, Auicennæ (ut arbitror) autoritatem ſecuti, alios eſſe trochiſcos ex uiperis, alios ex tiro crediderint. Gentilis quoq; eiuſdem Auicẽnæ expoſitor, uiperam apud hunc autorẽ non tirum, non unam aliquam ſpecialem ſerpentis naturam, ſed pluribus generibus, ſeu ſpeciebus communem interpretatur. Hæc enim ſunt Gentilis ſuper Auicennæ librum quem diximus uerba, ut apparet: Vipera ſumitur pro cõmunibus ſerpentibus, non pro illis, quæ caput maſculi in ſpecie ſua præſcindunt, quando coit cum ea, unde filij facientes patris uindictam eas ſcindunt. Nicolus quoq; Florentinus ſermone quarto, capite decimooctauo, de ſpeciebus ſerpentum, & tiro, ac uipera ſcribens, modo unum, modo aliud ait, ut qui non adeò ex ſua quãtum aliorũ autorum, quorum ſcripta colligit, opinione loquatur: nam aliquando uiperã ſpeciem ſerpentium cornutorum (ut eius uerbis utar) qui in Aegypto naſcuntur inſinuat, & allegat Auicennã dicentem, quod dracones interficientes ſunt huius generis. Non multo poſt ex autoritate Ariſtotelis, ſerpentes ouantes intra ſe tenentes oua, tiros nominat: Qui quidẽ tiri, ut nos eiuſdem Ariſtotelis teſtimonio ſu-
B mus probaturi, uiperæ ſunt, quæ non ſolum in Aegypto, ſed in noſtro quoq; ſolo magno numero reperiuntur. Subiungit idem Nicolus eſſe tertij ordins ſerpentes graciles, oblongos, uiperas nominatos, & eſſe illos, qui proprie inueniũtur apud nos, quorum aliqui ſunt minoris malitiæ, aliqui maioris, adeò ut ſint proximi ſurdis, & inter aſpides nominantur. Idem autor alio loco eiuſdem capitis ita ſcribit: De uiperis etiam malis reperiuntur apud nos, & ex iſtis ſunt quædam curtæ & groſſæ, dictæ noſtro idiomate Scorzoni. Ex quibus uerbis apparet ipſum quoq; ſub nomine uiperarum plura ſerpentium genera comprehendiſſe, adeò ut aſpides uiperas nominauerit: Nam Galenum quoq; in libro de theriaca ad Cæſarem ita ſcribentẽ allegat: dictũ eſt de regina Aegypti, quæ interfecit ſeipſam impoſitione manus ſuper tirum, quæ ipſa hora appoſitionis mortua eſt. Sed talem effectũ Galenus in libro de theriaca ad Piſonem, nõ de tiro uel uipera, ſed de aſpide altero ſerpẽtis genere teſtificatur: Malæ autẽ tranſlationes, ut unicuiq; inſpicere licet, magnis etiam medicinæ autoribus dedere aberrandi occaſionem: nam Bartholomæus Montagnana, medicus ſuo tempore illuſtris, ſimili (ut arbitror) occaſione in eundem lapſus eſt errorẽ. In quodam enim cõſilio Galenũ allegat libro undecimo de ſimplici medicina, tirum echidnam nominantẽ, & hoc quidem recte: nam per echidnam Galenus tirum ſeu uiperã (ut nos etiam mox declaraturi ſumus) intellexit. Quæ uero poſtea ſubiungit partim uera ſunt, partim falſa, omnino autem ſi allegationem conſideramus, quod bona tanti uiri uenia dicere liceat, falſa. Ita enim idẽ Montagnana ſcribit: Et quum bene examinabis, eius ſcilicet Galeni ſermones, uidebis quod eſt ſpecies tiri, quem ibidẽ Galenus maraſſum uocat, & in rei ueritate eſt ſpecies aſpidis. In his uerbis duo ſunt errata: primũ quod dicit Galenum libro antea allegato uocare echidnam uel tirum, alio nomine maraſſum nominari. Nam Galenus maraſſos, ſiue matraſſos ſerpentes ullos non nomina-

Error Bartholomei Montagnanæ.

C uit, ſed quoſdam homines tantum Marſos appellatos, qui Romæ echidnas, ſeu uiperas uenabantur, nõnulla ſe inquit interrogaſſe de uiperis, quas non alio nomine quàm echidnas inibi uocat. Nunc mihi ſubit in mentem ridere cuiuſdam literatoris ingenium, qui mihi ſimilem errorem per calumniã obiectauit, quod nõ alia ductus fuerim coniectura, ut uiperas eſſe ſerpentes uulgò maraſſos nuncupatos exiſtimarẽ, niſi quia Galenus undecimo de ſimplici medicina libro ſimul de uiperis, ac Marſis illas uenantibus facit mentionem, & quod ille tribuit populis nomen, ego ueluti de maraſſis ſerpentibus dictum ruditer accepiſſem, quaſi nos iſta gentilia nomina in ſchola puerorũ ſedentes non didicerimus, ne ſi in cunis uagientes dixerimus, fortè nimium arrogantes uideamur. Alterũ eſt Montagnanæ erratũ, quod echidnam quæ uipera eſt, ſiue tirus, ut ipſe quoq; fatetur, ex aſpidum genere facit, quum tamẽ Galenus in libro de theriaca ad Piſonem echidnas, ſeu uiperas ab aſpidibus manifeſte ſecernat, ubi cauſam quęrit ob quam uiperæ alijs ſerpentibus, ueluti baſiliſco, atq; aſpidũ generibus, in theriaces cõpoſitione pręferantur. Quo etiam in loco rationem affert, cur neque ipſę uiperæ totæ ad uſum medicinæ adhibeantur, ſed abſciſſo maxime capite, quoniam hoc ſit in uipera præcipue pernicioſum, quoniã eo, ut perhibent, coit, & maris caput Veneris dulcedine allecti hauſto ſemine abrodit. Quæ quidem Galeni uerba etiam illud oſtendunt, falsò exiſtimaſſe Gentilem nõ huius naturæ uiperas, ſed quaſdã alias cõmunes ſerpentes in antidoto theriaca nominato, cõmiſceri. Quidam uero recentiores, quorum unus Lumen apothecariorũ, alter Luminare maius, ſuos ſuper huiuſmodi rebus tractatus inſcripſerunt, hanc de tiro & uipera dubitationem non modo non illuſtrarunt, ſed Cimmerijs potius quibuſdã tenebris inuoluerunt, adeò ut ex eorum uerbis, quid tirus ſit aut uipera, nihil poſſimus habere

Alter Montagnanæ error.

Luminariorũ obſcuritas.

D exploratum: ſicuti neq; ex Simone Genuenſi, neq; autore Pandectarũ, quorũ tamen profeſſionis intererat iſta potius tanti ad uitã momenti, q̃ multa alia curę minutioris explanari. Nam Simon Genuenſis nihil, quod ſciam, de tiro uel uipera: Pandectarius autem hoc unũ docuit, tirum eſſe ſerpentis ſpeciem. Autor quoq; Luminaris maioris, qui tam grandis tituli promiſſione debuit plus medicorum mentes illuminare, uiſus eſt magis calumniaſſe: Nam poſt multa de tiro ac uipera ex diuerſis autoribus in mediũ adducta, tandem ipſe ſubiecit, tiri ſerpentis tres eſſe ſpecies, quarum una uulgari nomine dicitur uipera, alia tirus, alia hydra, in noſtris partibus raro boni reperiuntur. Imò hodie reperitur ſerpens dictus Scurcio, qui pro tiro habetur. Sed credo hodie ſunt ex hominibus qui faciunt theriacam abſque tiro. Verum tempore quo dicti tiri nõ inueniebantur, collegium medicorum Venetorũ ordinauit unam deſcriptionem trochiſcorũ, qui poſſunt poni in theriaca loco trochiſcorũ de tiro. Hæc ille uir, alioquin ſimplicium medicamentorum, quę ſunt frequenter in uſu, bonus expoſitor, in hoc uero haudquaq; probandus, quod & ſibijpſi, & collegio medicorũ Venetorũ tam conſummatę doctrinæ hominũ, ut nihil eos unquam latuiſſe ſit ſuſpicandum, tantam fecerit tirorum penuriam, quorum magna eſt in Italia abundantia, atq; utinam non eſſet: Nam etſi aliquis ſit huius ſerpentis in medicina uſus, plus tamen eſt ſuo ueneno noxius, quàm remedio ſalutaris. Nos itaq; ut noſtam ætatem hac tirorum inopia liberemus, & illos qui optime ſtudent conficere theriacen, ex Aegypto uſq; huiuſcemodi ſerpentes quærẽdi labore leuemus, quid tandem ſit tirus, aut uipera,

Collegium medicorũ Venetorum celebre.

E doceamus: quo quidem inuento iure poterimus gloriari, quoniam ut ex antedictis apparet, de hoc animali recẽtiores medici nihil niſi obſcurũ, incertum, inconſtans, & quandoq; fortuito ſcriptum reliquerunt. Sed ut his tenebris lucem aliquam

A quam afferamus nos, uia quadã atq; ordine progrediamur, & primũ quid de tiro ſcribat Serapio uideamus. Hæc ſunt huius autoris de carne tiri loquentis uerba: Galenus, caro tiri calefacit, & deſiccat, & reſoluit fortiter, maxime quando fuerit condita cum oleo, & ſale, & anetho, & porris, & aqua in quãtitate neceſſaria. Et ut quidam dicunt, uirtus iſtarum carniũ, eſt uirtus mirabiliter proueniens uſq; ad cutem corporis, expellens inde ſuperfluitates, quæ ſunt in corpore. & reliqua quæ ſequuntur. Quum hoc in loco Galenus à Serapione citetur, uidendum pariter ubi hęc uerba de tiro Galenus loquatur. Nuſquã tamen Galenus tirum nominat, ſed tantum echidnam, de qua eadem uerba libro eius undecimo de ſimplici medicina leguntur, quæ à Serapione ex Galeni teſtimonio ſcribuntur: Quæ quidem uerba ita apud Galenũ in græco codice habentur: τὰς γοῦν τῶν ἐχιδνῶν σάρκας θερμαινούσας καὶ ξηραινούσας ἐναργῶς ἔστιν εἰδεῖν ἀρτυομένας, ὥσπερ ἐγχέλυας ἐλαίῳ σὺν ἁλσὶν καὶ ἀνήθῳ καὶ πράσῳ σὺν ὕδατι, δηλονότι μετὰ τοῦ συμμέτρου, ὅτι δὲ καθαίρουσιν διὰ τοῦ δέρματος ἅπαν σῶμα, γνῶναί σοι πάρεστιν. Hoc eſt, ſi latine nõ tibi, ſed alijs græcam linguam ignorantibus neceſſarium ſit interpretari: Carnes igitur uiperarum inſpicere licet efficaciter calefacere atq; exiccare, ſi quemadmodũ anguillę oleo, ſale, & anetho & porro cõdiant̃, et aqua, uidelicet adhibito modo. Quod aũt etiam per cutem totum corpus expurgent, tibi licet cognoſcere. Serapio etiam in eodem capite Dioſcoridem allegat de tiri carne ſcribentem, quæ de echidna græcus autor protulit uerba: quæ ego uitandæ prolixitatis gratia cõſulto prætereo, liberum unicuiq; relinquens ipſa in ſuo loco perquirere, & facta utriuſq; autoris collatione, uerũ ne ſit quod diximus iudicare. Recte ergo, ut antea ſcripſimus, ſenſit Montagnana, tirum, ſeu uiperã

B à Galeno echidnam aſſerens nominari, niſi quod haud fideliter maraſſum etiã appoſuit, propter quædam alia uerba quæ eodem de echidna, ſeu uipera, capite Galenus ſubiungit. Sunt autem iſta: Eos qui in Roma uenant̃ uiperas, quos uocãt Marſos, interrogaui, ſi quod ſignũ haberent oſtendere, propter quod uiperæ diſtinguerentur. Id autem relatiuum Quos, non uenatores, ſed potius uiperas referre Montagnana uiſus eſt exiſtimaſſe, atque ideo echidnas, ſiue uiperas à Galeno maraſſos nuncupari. Sed caſu potius quàm ratione, etiam errore ducente, in ipſam incidit ueritatẽ. Quę enim à Galeno echidnę, ſiue uiperę nominantur, ſunt ueri ſerpentes à nobis maraſſi uulgò uocitati, quod nos non temere, aut leui cõiectura, ſed inexpugnabili argumento cõuincimus. Ariſtoteles libro de hiſtoria animaliũ primo, de echidna in hunc modum diſſeruit: ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι ᾠοτοκοῦσιν ὄφεις, ἡ δὲ ἔχιδνα μόνον ζῳοτοκεῖ. Hoc eſt, ut Theodorus uir græce & latine doctiſſimus eſt interpretatus: Verum quũ cęteræ ſerpentes oua pariant, uipera una animal gignit. In tertio quoq; eiuſdẽ libri uolumine Ariſtoteles de partu echidnæ ita ſcriptitauit: ἔχει δὲ καὶ τὸ τῶν ὄφεων γένος πρός τε ταῦτα καὶ πρὸς ἄλληλα διάφορα, τὰ μὲν γὰρ ἄλλα γένη τῶν ὄφεων ᾠοτοκεῖ, ἔχις δὲ ζῳοτοκεῖ μόνον ᾠοτοκήσασα ἐν αὑτῷ πρῶτα. Hoc eſt, ut idem Theodorus trãſtulit: Serpentes etiam tam ab his ſupradictis, quàm à ſe differre apertũ eſt. Vipera animal edit poſtquã intra ſe oua peperit, quum cętera ſerpentium genera omnia oua ędant in lucem. Quam etiam ſententiam uerba illa Ariſtotelis ex Arabica tranſlatione à Nicolo ſuprà allegata de tiris intra ſe tenentibus oua, id eſt, non parientibus extrà oua, ſicuti cæteræ ſerpentes, ſed animalia, quamuis barbare, ac ſatis obſcure uidentur innuere. Vbicũq; enim græci autores, ſiue medici, ſiue philoſophi echidnam habent, tranſlationes Arabicę tirum ſupponunt, quod multis exemplis poſſem demonſtrare, niſi fugerem prolixitatis faſtidium. Viperam uero idem

C Latinis ſignificare quod Græcis echidna, æque ſuperfluum eſt multarũ tranſ-
lationũ teſtimonio probare, quum ipſa latini uocabuli etymologia idem luce
clarius manifeſtat. Nam uipera apud nos inde nomen ſortita eſt, quod ui parit
Echidnæ autem partum eſſe uiolentũ, eidemq; beſtiæ pernicioſum, preter mul
tos alios autores probatiſſimos Nicander quoque in ſuis theriacis docuit, cu-
ius autoris ſuper eadem re uerſus à nobis in linguam latinam translatos, libro
de Plinij atque aliorum medicorum erroribus inſcripto, inſeruimus. Quare ni
hil aliud ſupereſſe uidetur, niſi ut uiperam eſſe ſerpentẽ, uulgò maraſſum uel
ſcurtionem uocitatum, ultimo loco demonſtremus, quamuis & hoc ipſum ſit
iam magna ex parte probatum, his preſertim qui maraſſorum naturam perſpe
ctam antea habuerunt. Quorum maraſſorũ fœminæ, ut ſenſui conſtat, nõ oua
ut cæteræ ſerpentes, ſed animal pariunt, atque etiam ui. Viſæ ſunt enim ſæpiſſi
me ex ramo arboris alto pendentes, diſrupto utero, maraſſulos ædere in lucẽ.
Sit tamen aliquis, qui differre maraſſum à uipera obſtinate cõtendat, nõne hic
pertinax aduerſarius Ariſtotelem, totq; alios grauiſſimos medicos atq; philoſo
phos, qui idem cum Ariſtotele de uipera prodiderunt, quiq; hanc pariendi ani
mal proprietatem ſoli inter ſerpentes uiperæ tribuerunt, aperte mentiri faciet?
Tunc non ſola uipera, ſed alia quoque ſerpentũ ſpecies, puta maraſſus, animal
pariet. Quare ſi nefas eſt Ariſtoteli, à cuius inuentis neq; natura ipſa diſcrepat,
totq; alijs ſummis uiris naturæ interpretibus mendacium obijcere, poſſumus
ita colligere: Si maraſſi ſunt genus ſerpentum diuerſum à uiperis, non ſola ui-
pera inter ſerpentes animal parit, ſed ſola uipera ex omnium ſerpentũ genere,
autore Ariſtotele, animal parit. Non igitur maraſſi ſunt genus ſerpentum diuer
D ſum à uiperis. Hæc quidẽ ſufficere arbitror eruditis, ad eius rei quam præcipue
probare intendebamus, demonſtrationẽ, tirum ſcilicet uiperam, maraſſum ſeu
ſcurtionem, eandem eſſe ſerpentis ſpeciem, diuerſis nominibus nuncupatam,
hancq; unicam apud Andromachum, Galenum, & reliquos medicos uetu-
ſtiſſimos, qui de theriaca ſcripſerunt, in eiuſdem antidoti cõpoſitione maxime
cõmendari. Quare neque ex Aegypto tirus, tanquam noſtro orbi ignotus ſer-
pens eſt mutuandus, neque alij trochiſci, qui uicem trochiſcorum de tiro ſup-
pleant, excogitandi. Sed hæc doctis ut diximus, ſatis. Reliquũ eſt, ut etiã mul-
titudinis iudicio ſatisfaciamus: Neq; enim ſpero defuturos uerſutos homines,
ut pleriq; ſunt noſtra tempeſtate, artem medicinæ plus aſtu quàm doctrina tra-
ctantes, qui ita aures imperitorum ludificabunt: Cauete hanc omnes uenefi-
cam Leoniceni medicinam, maraſſum ſerpentẽ horrendum, peſtiferum, exitia
lem, ipſo penè nomine formidandum theriacę pro tiro ſeu uipera cõmiſceri iu
bentis: theriacę inquã antidoto contra ſerpentũ ictus, atq; omnia uenena à ue-
teribus inſtitutę. Quid enim hoc aliud eſt, niſi homines nouis remedijs atque à
cõmuni uſu abhorrentibus exitialiter iugulare? & longe ueneni pericula fugi
entibus ultrò uenena porrigere? Vide quanta ſit malignis hominibus apud im
prudentes calumniandi facultas. Sed hanc quãuis friuolam, tamen ſatis perſua
ſibilem obiectionẽ, Galen. noſter docta reſponſione anticipauit, docens in ſuis
Venenum ueneni remediũ eſt. de theriaca tractatibus, uenenũ ueneni eſſe remediũ. Quod etiã multi alij inſi-
gnes medici, quibus Plinius poteſt annumerari, pariter docuerũt, cõtra omniũ
ſerpentũ quamuis inſanabiles ictus, earundem ſerpentũ exta impoſita auxilia-
ri tradentes, hydrũ nulli ſerpentiũ ueneno inferiorem, iecur ſeruatũ percuſſis
ab his opem ferre, ſcorpionẽ tritum ſtellionũ ueneno aduerſari, eundem ſcor-
pionem & ſuę plagę impoſitũ, & etiam aſſum intus aſſumptum, cõtra ſe reme
dium

A dium eſſe, Viperæ carnes non modo illos, quos ipſa momorderit, ſanare, ſed & eos, qui aliquando uiperæ iecur coctum hauſerint, nunquam feriri à ſerpentibus, promittentes. Sed iam plura mi compater, quàm tu forte à me, quem noſti eſſe occupatiſſimum, exigebas. Ego tamen, qui ſciebam me paradoxa ſcribere, coactus ſum, ſicuti alienas opiniones longo ſermone deſtruere, ita propriam ſententiam, prolixa oratione confirmare. Quæ ſi forte ab illis non probabitur, qui malunt didiciſſe, quàm diſcere, hortaberis homines, alioquin ſua etiam ſponte argumentoſos, ut noſtra ſcripta non cauillis, ſed rationibus conentur refellere: & nobis dent noſtros errores uel diluendi, uel ſaltem corrigendi occaſionē. Parati enim ſumus quæ nos male ſenſiſſe demonſtrauerint, ſicut philoſophos decet, retractare.

DE TIRO SEV VIPERA LIBRI FINIS.

NICOLAI LEONICENI VICENTINI IN LIbrum de Epidemia, quam Itali morbum gallicum uocant, ad Illuſtrem uirum Ioannem Franciſcum Mirandulenſem, Concordiæ Comitem, præfatio.

B HABITAM nuper Ferrariæ, de morbo quem Gallicū uocant, diſputationem, atq; à me poſtmodum mandatā literis, cui magis quàm tibi Ioannes Franciſce Mirandulenſis dedicauerim? qui quum ſuperioribus diebus Ferrariæ adeſſes, atq; ante diem ad eandē diſputationē conſtitutam, tibi ex cauſis urgentibus eſſet diſcedendum, non parum dolere mihi uiſus es, quod eidem diſputationi nō poſſes intereſſe: neq; diſſimulanter tuliſti, gratiſſimam rem me tibi facturū, ſi quæ non potuiſſes præſens accipere, haberes abſens ex meis literis, uel potius uolumine ad id dedicato, legendi facultatē. Et quoniam non te latebat magnæ contentionis diſputationes à medicis, atq; philoſophis pertractatas, nō ueritatis inuentione, ſed iurgijs atq; clamoribus, plerumq; terminari, illud inſuper à me expectare uidebaris, ut non ſolum quænam inter diſputantes opinio tandem eſſet, pro uera recepta tibi ſignificarē, ſed mei quoq; iudicij calculum inter ambigentes ſententias manifeſtarē. Quid plura? ego qui tibi propter tua eximia in me beneficia omnia debeo, pollicitus ſum facturum me quod optabas: arduum quidem opus, ac penè temerarium, niſi ipſum excuſaret obſequiū. Ecce igitur iam tibi fidem promiſſam exoluo, quanto tardius quàm tu forte cupiebas, tanto maiore cum fœnore. Non ſolum enim eam, quæ præcipue defendebatur Ferrariæ, opinionem, ſed quaſcunq; alibi plurimum uigere intellexi, conatus ſum pro mei ingenij imbecillitate cōfutare, meamq; poſtremo loco exemplis, rationibus, ac nobiliſſimorum medicorum autoritatibus confirmare. Multa præterea Auicennæ dicta, quæ ad propoſitam contemplationem pertinebāt, duximus in controuerſiam. Quare qui hæc lecturi ſunt queſo boni cōſulant, neq; me propterea impudentem aut inſolentem iudicent, qui auſim magni nominis autores inceſſere. Facimus hoc multorum ueterū, ac præcipue Ariſtotelis ſummi philoſophi exemplo, qui tanti fecit ueritatē, ut pro ea aſſerenda ſcripſerit etiā contra præ-

C ceptorem. Neq; uero hanc apud te præfamur ueniam, qui hoc meum circa antiquorum ſcripta examinanda ſtudium adeò non improbas, ut in ea quam nuper Ferrariæ habuimus de literis confabulatione, mirari te mihi dixeris, quod in illo quem ſuperioribus annis ædidi de medicorum erroribus libro, Plinium tam leuiter perſtrinxiſſem: in cuius autoris libris tu multo plures, quàm qui à me fuere notati, errores animaduertiſſes. Dicimus iſta malignis atq; impudentibus, quorum aliter ea etiam quæ tacite probant, quia tamen ipſi non ſcripſerunt aut inuenerunt liuore ducti aperte calumniantur: aliter uero more pecudum alienis ſemper ueſtigijs inſiſtentiũ, nihil ſuo, omnia aliorum iudicio tribuunt: & ſi cui ſe ſemel autori addixere, eius autoritatẽ ſine ratione rationem eſſe arbitrantur. Vtcunq; tamen hi de noſtris ſcriptis iudicauerint, quanto minorem apud ipſos gratiam ſumus habituri, tanto maiorem apud probos ac doctos ſperamus conſequi, apud te præſertim, qui Ioannis Pici patrui per omnium gradus uirtutum ueſtigia imitaris, quiq; eam quæ in eius intempeſtiua morte facta eſt literarum atq; omnium bonarum artium iacturam ita reſarcis, ut ad te reſpicientes Virgilianũ illud omnes uno ore pronuncient:

Vno auulſo non deficit alter,
Aureus, & ſimili frondeſcit uirga metallo.

Tibi itaq; & paucis cecinimus, uobis placuiſſe contenti, reliquorum autem uel inuidorum uel imperitorum iudicia contemnentes.

D NICOLAI LEONICENI

VICENTINI DE EPIDEMIA, QVAM ITALI MORBVM GALLICVM, GALLI VERO NEAPOLITANVM VOCANT, LIBER.

NOVOS Italiæ aduenıſſe morbos prioribus ſeculis ignoratos antiqua ætas credidit. Siquidem Plinius uir eruditiſſimus, nõ modo Italiæ, ſed uniuerſæ ferè Europæ lichenas ante Claudij principatum incognitos fuiſſe teſtatur uigeſimoſexto de Hiſtoria naturali libro. Ego uero de alijs Europæ partibus non planè habeo ſtatutum quid ſentiam. Illud pro certo affirmare auſim, multis antequã Claudius imperaret annis, lichenas fuiſſe Græcis familiares, quãdo Hippocrates autor græcus uetuſtiſſimus cum multis alijs in locis, tum præſertim in tertia particula Aphoriſmorum, in morborum æſtiuorum mentione, lichenum cõmeminit: ut mihi magis fiat ueriſimile, uexaſſe id malum etiam Italiam, quamuis fortè longo temporum interuallo ante Claudium, ſed nondum Romano imperio ad exteras nationes propagato, atq; ideo minus à græcis medicis Roma frequentata, defuiſſe eidem morbo nomenclatores. Idcirco donec ſine nomine perſtitit, fuiſſe interim obſcuriorem, ſicut poſtea Claudio imperante, iam Græcis artibus ac præcipue medicina uigente in ciuitate, lichenas atq; mentagram uocitantes fecere illuſtriorẽ. Simile quoddã noſtro hoc æuo

accidit

A accidit: iam enim inſolitæ naturæ morbus Italiã, & multas alias regiones inuaſit. Puſtulæ ſunt à partibus obſcœnis incipientes, mox totum corpus, atq; ipſam præcipue faciem occupantes, prẹter fœditatem magnũ inſuper cruciatum plerunq; afferentes. Huic tamen morbo nondum noſtri temporis medici uerum nomen impoſuere, ſed uulgato nomine malum Gallicũ uocant, quaſi eius cõtagio à Gallis in Italiam importato: aut eodem tempore & morbo ipſo, & Gallorũ armis Italia infeſtata. Non defuere quidẽ, qui eundem cum illo putarint, quem priſci Elephantiaſim nominarunt, ſicuti alij morbum Gallicum eſſe antiquis lichenas, alij aſaphati, alij prunam ſiue carbonẽ, alij ignem perſicum ſiue ſacrum, exiſtimarũt. Quæ quidem ambiguitas nominũ, & de re ipſa quoq; diſſenſio, multos ſuſpicari fecit nouam hanc eſſe luem nunquam à ueteribus uiſam: atq; ideo à nullo medico uel græco uel arabe inter alia morborum genera tactam. Ego ſicuti neque illis aſſentior, qui uarias huic morbo indidere appellationes, haudquaquã eius naturæ cõgruentes, ita ubi cõſidero eadem natura præditos homines, ſub eodem cœlo natos, ſub eiſdem ſideribus educatos, eiſdem etiam ſemper fuiſſe morbis obnoxios cogor exiſtimare: neq; mihi poteſt in captũ mentis peruenire, natam hanc repente labem noſtram ita infeciſſe ætatem, ut nullam ſuperiorem. Quod ſi quis aliter quàm ego ſentiat, quid tandem hoc eſſe dixerit? aut quam deorum uindictam? nam ſi cauſæ naturales inſpiciantur, millies poſt mundi initia eædem extitere. Quare ſimilem morbum ex cauſis ſimilibus etiã ſuperioribus ætatibus cõtigiſſe parati ſumus oſtendere, ubi prius illorum opiniones, qui morbum Gallicum fuiſſe à priſcis Elephantiaſin nominatum, ſiue quid aliud à noſtra opinione diuerſum credidere, confutauerimus. Sed antequam diſputationem ipſam aggrediamur, illud in primis admonendum eſt, aliud morbi genus ſignificari uerbo

B Elephantiaſis in libris Arabum, aliud in libris Græcorum. Raſis ſiquidem atque Auicenna elephantiaſin pro morbo accipiunt, in quo pedes & crura ſupra modũ intumeſcunt. Galenus ac Paulus, omneſq; græci autores in eodem uerbo morbum intelligunt, quem Auicenna & medici iuniores lepram appellant. De primo uerbi elephantiaſis apud Arabes ſignificato neminẽ ambigere arbitror: De ſecundo apud Græcos uſitato longius eſt à nobis diſſerendum. Nam ſi oſtenſum fuerit, nihil aliud eſſe Græcis elephantiaſin, quàm morbum illum quem uulgato nomine lepram uocamus, tunc id quoq; probatum erit, morbum Gallicum nõ eſſe elephantiaſin, quando & qui contrarium ſentiunt, morbũ gallicum plurimũ à lepra diſtare concedunt. Vt igitur ad rem ipſam propius accedamus: Elephantiaſin apud Græcos, eſſe apud Arabes & iuniores medicos lepram, ita demonſtratur: Elephantiaſis, autore Paulo Aegineta, eſt cancer totũ occupans corpus: unde idem Paulus inquit: Si cancer unum tantum membrum infeſtans, tamen ſecundum ſententiã Hippocratis inſanabilis eſt, quanto magis elephas, qui cancer quidam eſt uniuerſalis, omnem curationem ſuperabit? Eandem ſententiam ſcribit libro quarto Auicenna his uerbis: Et quũ cancer, qui eſt lepra membri unius, ſit de illis quibus non eſt ſanatio, quid dicemus de lepra, quæ eſt cancer totius corporis? Idem dixerat Auicenna circa initia eius capitis, in quo agit de lepra, quod uidelicet lepra eſt ſicuti cancer communis toti corpori. Sed & eorundem humorum uitio generari elephantiaſin Paulus cenſet, & Auicenna lepram. Et quemadmodum Paulus minus malam elephantiaſis ſpeciem ſtatuit, quæ ex quadam ueluti fece ſanguinis ſuperaſſata ortum habet, alteram quæ à flaua bile æque retorrida fit deteriorem, ſic & de duabus lepræ ſpeciebus, quarum altera

C itidem ex fece ſanguinis, altera ex flaua bile in atram, propter aſſationem conuerſa, generatur, Auicenna decernit. Neq; uero aliam Paulus elephantiaſi, aliam lepræ Auicenna adhibet curationem. Neq; etiam Galenus, ſcribens de elephantiaſi ſecundo libro artis curatiuæ ad Glauconē, minus quàm Paulus cum Auicenna ſcribente de lepra, concordat, imò uero omnia illa Auicennæ uerba, quod lepra multiplicatur in Alexandria propter caliditatem aëris, & malitiā cibi & eius eſſentiam ex genere piſcium & carne ſalita, & carne groſſa, & carnibus aſinorū & lentibus (liceat enim mihi ipſius Auicennæ uerba, quāuis barbare ſcripta, maioris tamen fidei gratia, referre) omnia, inquam, hæc Auicennæ uerba ſunt ex Galeno, de elephantiaſi eo quo nuper diximus libro loquente, tranſlata. Quid, quod niſi Galenus per elephantiaſin morbū quem diximus intellexerit, illud ſequetur abſurdum: Galenum medicorū facile principem, qui tot de medicina uolumina tam accurate, tam copioſe conſcripſit, nullam de eo morbo, qui reliquos omnes magnitudine ſuperat, quem nos uulgò lepram appellamus, in ſuis libris feciſſe mentionē? Galeni autem libros intelligo, quos idem autor in propria lingua ſcriptos reliquit: nam in his quos uel ex græca uel arabica lingua tranſlatos habemus, plurima eſt in hoc uerbo Lepra ambiguitas, quoniam aliquando translator ubi *elephantiaſin in græco* Galeni codice ſcriptum inuenit, lepram eſt interpretatus, ubi uero lepram, nihil immutauit, ſed eodem uſus eſt uerbo, quum tamen apud græcos autores alius morbus ſit lepra, alius elephantiaſis. Lepra enim, ut inquit Galenus, in libro de tumoribus contra naturam, paſſio ſolius cutis eſt: quod de elephantiaſi dici non poteſt, quum in eo morbo, qui elephantiaſis à Græcis nominatur, non modo cutis, ſed carnes etiam atq; oſſa, ut Celſus

D quoq; teſtatur, plerunq; uitientur. Quod ſi quis pertinaciter tueri uelit, eundem eſſe morbū quem Græci leprā, atq; Arabes itidem nominent, uideat quid ipſum concedere oporteat, hoc ſcilicet, eſum uiperarum, quo nullum eſſe preſtantius remediū aduerſus lepram, medici omnes uno ore conſentiunt, quodq; inter nobilia medicamenta contra lepram Auicenna numerat, non modo nō ſanare id malum, ſed inſuper generare. Galenus enim libro undecimo de ſimplici medicina, duorum meminit elephantiaſi morbo laborantium, qui ex eſu carnium uiperinarum in lepram inciderunt: quare neceſſarium eſt dicere, alium eſſe morbum, qui à Galeno & cæteris Græcis lepra uocetur, aliū qui ab Auicenna ac medicis iunioribus eodem nomine nuncupetur. Quid lepra nomē ſignificet apud Arabes & medicos iuniores, qui Arabum doctrinā magna ex parte ſequuntur, nemo niſi hebes atq; omnino obtuſus ignorat. Quid uero apud Græcos ſiue Latinos ueteres Græcos imitantes, multi etiam neſciunt eruditi. Vnde data eſt errori occaſio, ut diuerſarum linguarum ſignificata diſtinguere neſcientes, uel elephantiaſin nō eſſe lepram, de qua ſcribit Auicenna, uel non ſimpliciter lepram, ſed quandam lepræ ſpeciem exiſtimauerint. Nos uero elephantiaſin idem eſſe quod lepra de qua agit Auicenna, atq; ab altero morbo diuerſam, quem Galenus lepram nominat, exiſtimamus; idq; uidemur multis rationibus, ex ipſius morbi ſumptis eſſentia, demonſtraſſe. Age uero, etiam ex ui nominū, quibus idem morbus nuncupatur, argumētemur: Neq; enim tantum elephantiaſis, ſed præterea ſatyriaſis apud Græcos nominatur; licet uerbum Satyriaſis pro priapiſmo quandoq; apud eoſdem Græcos accipiatur. Nomen autem elephantiaſis tractum eſt à ſimilitudine elephantis, quoniam (ut inquit Galenus ſexto de cauſis accidentium) qui hoc morbo laborant carnem habent nigram, & tuberibus plenam, qualis eſt

cutis

a cutis elephantum. Nonnulli elephantiaſin ob morbi magnitudinem, qui nulli fere remedio ſuccumbit, dictam exiſtimant. Quidam ob id, quod ſic ut elephas præ cæteris animalibus diutiſſime uiuit, ita hic humor longiſſimus eſt. Quæ quidem omnes proprietates nulli alij morbo magis conueniunt, quàm illi quem nos uulgò lepram nominamus. Sed & ſatyriaſis idem morbus à Græcis uocatur, quoniam eo affecti faciem ſimilem ſatyris habent, naſum ſimum, craſſa labra, aures leuigatas, ut ſcribit Galenus libro ſecundo De cauſis morborum, ac præterea alio libro, qui De tumoribus contra naturã inſcribitur. Quo etiã in loco aſpectu horribiles & male olentes, ſatyriaſin patientes oſtendit. Quæ omnes notæ morbum illum quem lepram uulgò dicimus, minimo minus ante oculos ponunt. Quanquam uero efficacibus rationibus, tum ex morbi eſſentia atq; appellatione, tum etiã ex ſenſu ſumptis probauerimus, nihil aliud eſſe elephantiaſin apud Græcos, quàm morbum quem Arabes nominant lepram, ſiue quid aliud quod ipſis lepram ſignificet: idem tamẽ Arabes, ut antea admonuimus, per elephantiaſin non eundem quem Græci morbum, ſed crurum potius ac pedum tumorem immodicum intelligunt, quod facile eſt ipſis permittendum: Quandoquidem, ut ſæpe Galenus præcipit, non eſt de nominibus à medicis litigandũ, niſi ijdem autores non ſolũ nomina, ſed res ipſas quoq; cõfunderent, quum uideatur Auicenna libro tertio, ubi agit de elephantiaſi ſumpta pro tumore pedum, nõnulla dicere quæ etiam Galenus de elephantiaſi in eo accepta, quo Græci capiunt ſignificatu. Libro ſiquidẽ qui De nigra cholera apud Latinos inſcribitur, Galenus inquit ex eodem fieri humore elephantiaſin atq; uarices, qui quidem humor primum rubidus apparet, deinde nigreſcit. Idem de ſua elephantiaſi refert Auicen. Et ſicuti Ga-

Satyriaſis.

B lenus ac Paulus elephantiaſin ad rubidum colorem declinantem, minus malam arbitrantur, ita Auicenna ſubrubram elephantiaſin nigra cenſet eſſe incolumiorem. Et quia Dioſcorides ſcribit cedream, hoc eſt gummi illud ex cedro arbore fluens, quod Arabes uocant alchitran, licet Simon Genuenſis id uerbum arabicum picem liquidam latine interpretetur: Quia, inquam, Dioſcorides autor eſt cedream iuuare elephantiacos, ſi ligatur aut inungatur, poſtmodum Auicenna de eodem remedio contra elephantiaſin, hoc eſt tumorem (ſic enim ipſe id uerbum accipit) crurum uel pedum, ita ſcribit: Dicitur quod alchitran confert inuiſcatum, & linitum. Raſis quoq; qui elephantiaſin in eodem quo Auicenna accipit ſignificatu, nam & in Almanſore & in diuiſionibus ſeorſum de lepra, & ſeparatim de elephantiaſi, tanquam de morbis differentibus tractat. Idem tamen autor libro duodecimo Cõtinentis, in quo agit de crurum uitijs, quibus annumerat elephantem, de uitio elephantis plurima ſcribit, quæ etiam Galenus uarijs in locis de elephantiaſi. Imò uero Raſis ipſe Galenum allegat in libro De cholera nigra ita ſcribentem: Vitium elephantis & uarices fiunt ex humore nigro, quod niſi fuerit cum eis caliditas, non erunt intenſæ malitiæ: ex uehementi quoq; declinatione, ad choleram nigram puram fit uitium elephantis. Similem fere ſententiam, ut antea ex parte notauimus, ſcripſit Auicenna libro tertio, capite illo quo unà de elephantiaſi ac de uaricibus agit. Qui quidem Auicenna partim Galenum, partim Raſim in eodem capite uidetur imitatus. Multa autem remedia quæ Græci tradunt contra elephantiaſin pro lepra ſumptã, ſcribit Raſis libro quem diximus, contra uitiũ elephantis, ubi de pedum aut crurũ uitijs tantũ dixerit, ueluti ex Galeni autoritate plantaginẽ, quã etiã Celſus ad elephantiaſin præcipue cõmendat. Ex Dioſcoridis itidem autoritate ad uitium elephantis laudat Raſis fel hircinum atq; mentaſtrũ,

C Longum eſſet ſi multa alia uellē enarrare quæ græci atq; arabes, quamuis de morbi eſſentia differentes, de elephantiaſi tamen ſimiliter tradiderunt. Quod ſi quis fortè tam Auicennam quàm etiam Raſim ea ratione tueatur, quod crurū pedúm ue tumore, quem elephantiaſin nominarunt, non lepram, ſed tantum lepræ principiū iudicauerint, atq; ideo diuerſis nominibus alio ſcilicet leprā, alio lepræ principium nuncupare uoluerint, ut morbi in ſua tempora diuiſionem, non improbamus, ita illos duas eiuſdem morbi partes, non debuiſſe diuerſas facere ſpecies, uel etiam genera, omnino contendimus: quod maxime feciſſe uidetur Auicenna, qui de elephantiaſi libro tertio, de lepra uero egit in quarto, tanto ſcilicet interuallo, ut uideatur elephantiaſin diſtinctum omnino genus à lepra putauiſſe, quum præſertim idem Auicenna elephantiaſin non, uti Galenus, inter figuræ morbos, ſed quantitatis potius libro primo collocauerit. Et hæc quidē de prima opinione longius forte quàm decuit, quia tamen eſt in ipſa præcipue Ferrariæ diſputatum, nos in hoc loco abundantius diſſeruimus.

Iam ad alteram opinionem, quæ morbum Gallicum eſſe lichenas aſſerit, confutandum ueniamus. Hanc opinionem eſſe falſam ita colligitur: Lichen eſt morbus ille, qui latine dicitur impetigo, uulgò autē uolatica: Morbus gallicus non eſt impetigo ſiue uolatica, igitur morbus Gallicus nō eſt lichen. Quod morbus gallicus non ſit *impetigo ſiue uolatica, quæ fuit noſtri ſyllogiſmi* minor propoſitio, tam imperiti, quàm etiam periti ipſo ſenſu monſtrante nouerūt. Quare id ſolum oſtendere oportet, quod malum Græci lichena uocant, nos latino uocabulo impetiginem nominare, & quod docti impetiginem, uulgus uolaticam nuncupare. Qui uero poſſumus melius iſta probare quàm Caſſij felicis autoritate? cuius autoris hæc

D ſunt quæ à Simone genuenſi allegantur uerba: Impetigo Græci lichenas dicunt, Latini zemas, naſcūtur ex melancholico humore, rotundo ſchemate, in ſuperficie cutis, cum ingenti pruritu. Quis non uideat his uerbis morbum, quem uulgato nomine uolaticam uocitamus, deſignari? Plures quoq; medici iuniores, in quorū numero Nicolus eſt, atq; etiam Gentilis, ſiue quicunq; is eſt cuius expoſitiones in Fen ſeptimā libri quarti Auicennæ habentur impreſſæ, ſentire uidentur, impetiginem eſſe uolaticam, & allegant alios idem ſentientes: quamuis uideatur Raſis uigeſimoquinto Continentis putauiſſe, impetiginem eſſe tineam ſiccam, de qua opinione poſtea dicetur. Eundem uero morbum eſſe apud Latinos impetiginē, qui ſit lichen apud Græcos, præter Caſſij felicis autoritatem, etiam ratione probatur. Quæ enim remedia Galenus & Paulus omneſq; græci autores contra lichenas notauere, eadem ferè contra impetiginem à Quinto Sereno, Raſi atq; Auicenna ſcribuntur. Neq; hi Arabes autores aliter generari impetiginem, quàm Græci lichenas docuerunt. Sunt autem lichenes & lepra (ſi lepram eo modo quo ante à Græcis capi docuimus intelligamus) ſolius cutis paſſiones. Peior tamen eſt lepra quàm lichenes. Nam (ut Paulus & Galenus teſtantur) lichenes ſi diu perſeuerauerint, tandē in lepram conuertuntur: maior enim eſt cutis fœditas & deſquamatio in lepra, quam in lichenibus. Tantam tamen habent lichenes & lepra naturæ cognationem, ut credere poſſim hos duos morbos apud diuerſos autores inuicem nomina mutuari: nam quæ de impetigine ſcribit Celſus, ea potius lepræ conueniunt. Videtur enim idem Celſus ſicuti lepram impetiginem, ita lichenas papulas latine nominaſſe, quod ex quamplurimis quæ alij de lichenibus, ipſe de papulis retulit colligere poſſumus. Quemadmodum enim à Caſſio felice ſcribitur, lichenas naſci rotundo ſchemate, id eſt figura in ſuperficie cutis, cum ingenti pruritu

A ritu & aſperitate, atq; ubi id malum ſerpere cœperit, ſerpiginem dici: ita & Celſus
ait alterum papularum genus per minimas puſtulas cuti exaſperare, rodere, &
eandē ſerpere, atq; ut id uitium rotundū incipit ita in orbem procedere, & quod
Græci dicunt, ex lichenibus diuturnis fieri lepram. Celſus de quadā ſpecie papu
larum idem pronunciat, quod niſi citò auferatur, in impetiginē uertitur. Et ſicuti
Græci quoſdam lichenas ἀγρίους, id eſt feros nominant, eodem modo Celſus alte
ram papularum ſpeciē ἀγρία, id eſt feram ab eiſdem Græcis appellari teſtatur. De
niq; quod leui papulæ Celſus remedium præcipit, ut ſcilicet ieiuna ſaliua quoti-
die defricetur, idem Græci adhibent lichenibus puerorum. Qui quidem curati-
onis modus argumento eſſe poteſt, lichenas eſſe morbum, quem uulgò uolati-
cam nominamus, aduerſus quam noſtro quoq; tempore mulierculæ circa pue-
rorum mala ſananda præcipue ſolicitæ, nullā magis præſentaneam nouere me-
dicinam, quàm ieiunam ſaliuā. Sed & eodem Celſo autore, maior papula mura-
li herba cōmodiſſime tollitur, quam quidem herbā Græci, ut Celſus quoq; libro
tertio teſtatur, parthenicen & perditiū nominant: Latini uero, quia in parietinis
naſcitur, alio nomine parietariam appellant: uulgus ob eum quem in uaſis ui-
treis abſtergendis exhibet uſum, uitriolum: ut minus mirandum ſit hanc ipſam
herbam lichenas ſua ui abſterſoria ſanare. Eſt tamen & altera herba ipſa quoq; in
muris, ſed maxime ſaxis humectis proueniens, à ſimili ui effectuq; lichen à Græ
cis nominata, quam noſtri temporis medici, neſcio qua ducti ratione uel uſu, he-
paticam uocitarunt; neq; enim uſq; apud celebrem autorem, uel græcum uel ara
bem legitur lichenam herbam hepati utilem eſſe, unde præ cæteris hepatica dici
meruerit. Quod uero Pandectarius ſcripſit ex Serapionis atq; Galeni (ut uide- Pandectarij
B tur) autoritate, ualere hanc herbam contra ſplenis atq; hepatis obſtructiones, & error.
contra omnem hepatis ægritudinem: hi quidem lichenis effectus neq; à Gale-
no, neq; à Serapione uſquam ſcripti leguntur. Si uero Pandectarius illos ex ſua
protulit opinione, minus illi hac in parte credendum, quoniam hanc ipſam her-
bam quam Græci lichena uocant, tanta nominum cōfuſione obſcurauit, ut quæ
tandem herba ſit, neq; alij ex uerbis eius ſcire liquidò poſſint, neq; ipſe ſciuiſſe ui-
deat̄. Quū enim de lichna ſiue lichene egiſſet in litera A, ubi eam arabice Ainec,
latine muſcum uel uſne uocari docet: poſtmodum in ſequenti ferè capite agens
de eadem herba lichene, licet uideatur non animaduertere: eam arabice azemal-
ſaret inquit appellari, latine uero hepaticam. Eandem uero eſſe hanc ipſam he-
paticam cum ea quam Græci lichena nominant, indicant illæ quæ Azemalſa-
ret, ſiue ut Pandectarius interpretatur hepatice, à Serapione ex Galeni ac Dio-
ſcoridis autoritate tribuuntur: ſunt enim quas ijdem autores in ſuis de ſimplici
medicina libris licheni herbæ ſubſcripſere. Neq; uero contentus Pandectarius
ex una herba feciſſe duas, poſtmodum in litera L, eandem herbam ter gemina-
uit. De lichene ſiquidem ſub proprio uocabulo egit, & limum terræ latine uoca-
uit. Iudicent ergo legentes quanta ſit homini fides habenda, qui herbam eandē
modo muſcū, modo hepaticā, modo limum terræ latine nominat, non ſolū uaria
nomina, ſed rem quoq;, quæ tamen una erat, diuerſas opinatus. Quod ſi quis li-
chenen herbam prodeſſe hepati ea ratione contendat, quoniam de ipſa ſcribit
Serapio ex Dioſcoridis autoritate, quod ictericis cōfert, morbus autē qui icterus
nominatur plurimū hepatis uitio oriatur, is etiā Dioſcoride docente diſcat nō in-
tra ſumptā ad uitium ipſum tollendū, ſed extra adhibitā potius, ad colorē ſcilicet
naturalē ictericis reſtituendū, herbam lichenen à medicis peritioribus cōmenda
ri, quod uerba ipſa Dioſcoridis aperte demonſtrant; Neq; enim cum melle con-

C feſtam atq; comeſtam, ut uerba Serapionis male Dioſcoridem interpretantis uidentur innuere, ſed cum melle illinitã potius lichenẽ iuuare ictericos idem Dioſcorides ſcribit. Non eſt autem à ratione alienum hanc ipſam herbam, quæ (ut inquit Galenus) plurimum ualet abſtergẽdo, ſicuti lichenas, ita alteram cutis in ictericis fœditatẽ delere. Sed poſtquam de uera hepatica hoc in loco diſputatur, ſimilis error Gentilis, medici noſtra quoq; ætate celeberrimi, haudquaquã eſt diſſimulandus, qui hanc iuuandi hepar prærogatiuam cuidam herbæ in littoribus maris naſcentis, quam alij ſoldanam, alij per diminutionem ſoldanellam nominãt, in quodam conſilio tribuit. In quo etiam herbã à pluribus ſoldanam uocatã, ſcribit cachilem ab Arabibus nominari. De qua itidẽ cachile refert Serapio ex Iſaac Ebenarã autoritate, quod debilitati hepatis cõfert. Sed quod tanti uiri pace dicere liceat, fallitur ſua opinione Gentilis: neq; enim herba uulgò ſoldana ſeu ſoldanella uocata eſt apud Arabes cachile: ſiquidẽ herba cachile folio naſturtij uel uſne deſcribitur à Serapione. Neutra autem ſimilitudo ſoldanæ conuenit, quam ſcimus habere folia hederæ folijs ferè ſimilia: quæ quantum à naſturtio atq; uſne diſcrepent, iudicent illi qui haſce herbas aliquando oculis ſunt contemplati. Naſturtium quidem cum ſit herba hortenſis, uulgò agriti nominata, puto omnibus notam: Vſne autem (ut inquit Serapio) eſt herba cali. *Simon uero de cali ita ſcribit*: Cali eſt planta in littoribus *maris naſcens*, *ſimilis uermiculari*, pinguis & ſalſa. Ego hãc puto à Græcis lephrion *nominari*, *licet* autor pandectarum antiphyllon pro telephio corrupte ſcripſerit. Quo etiã ductus errore uſne facit anthyllidis ſpeciem, quum tamen anthyllis alia herba ſit à telephio uel uſne. Si qua uero herba ſit, ut ad propoſitũ noſtrum reuertamur, quæ ob excellentem iuuandi hepar proprietatem nomine hepatica debeat inſigniri, illa profectò eſt eupatoriũ, quæ etiam inde apud Græcos uidetur nominata, quod bona ſit hepati: quanquã Plinius ab Eupatore potius inuentore dictam exiſtimat. De hac enim ſcribit Galenus libro ſexto de ſimplici medicina, quod hepatis obſtructiones expurgat, atq; inſuper hepar ipſum corroborat. In libro uero qui de antidotis inſcribitur, idem Galenus ita de eadem herba ait: Affectum hepar ſæpius herba eupatorium efficaciter iuuit, ſicuti mirobalanus lienem, ſaxifraga autem atq; betonica renes. Non tamen, quod & alibi monuimus, ad hunc effectum ſumenda eſt herba illa uulgaris paſſim in foſſatis naſcens, quæ magno noſtro ætatis errore pro uera eupatorio recipitur: neq; enim illi hæ notæ conueniunt, quibus nobis ueram eupatoriũ Dioſcorides deſignauit. Quod ſi quis forte à me exigat, ut quænam ſit uera eupatoriũ aperiam, quod in priore libello, de Plinij ac medicorum erroribus inſcripto, diſtuli manifeſtare, dicam tantundem quid ſentiam, ſi prius illud quod in eodem libello etiam antea oſtendi, declarauero, ſemper fuiſſe aliquos in ueris medicinarum nominibus, etiam prioris ſeculi errores, qui uſq; ad noſtra tẽpora ſunt propagati. Nam quia plures ſuperiore quoq; ætate imperiti colore decepti, metallũ id quod peritiores cinnabarim nominarũt, eſſe draconis ſanguinem crediderũt, atq; ideo non cinnabarim, ſed potius draconis ſanguinem idem metallum nuncuparunt: Nos quoq; priſcam ſeruantes conſuetudinem ita uocamus. Idem in herba eupatorio contingit. Hãc enim multi ueteres, quos Dioſcorides notat, putarunt eſſe uerã argemonium, quum tamen hæc ſit ab eupatorio diuerſa, qui error ad nos etiam permanauit. Herba enim quæ eſt uera eupatorium, à pluribus creditur eſſe argemonium, atq; ideo corrupto uocabulo paſſim agrimonia nominatur. Quam quidem rem miror à multis non fuiſſe animaduerſam, quum, ut alio ſcripſimus loco, herba eupatoriũ paſſim naſcatur: ſic uero à Dioſcoride, & Plinio Dioſcoridem imitante deſcribitur, ut penè ſub

Quænam ſit uera hepatica.

D

aſpectum

A aſpectum poni uideatur. Hæc eſt Dioſcoridis in eadem herba deſcriptio: Eupato *Eupatorij deſcriptio.*
rium herba eſt fruticoſa, uirgam unam attollens rectam, lignoſam, tenuem, nigrã,
hirſutam, cubitalem, uel etiam maiorem, folia per interualla diuiſa in quinq; maxi=
me partes uel plures, ſimilia folijs pentaphylli uel canabis potius, & ipſa quoque
ſubnigra, ſerratim inciſa per ambitum. Semen uero medio cauli adnaſcitur ſubhir
ſutum, uergens ad inferiora, ita ut exiccatũ ueſtibus adhæreſcat. In qua quidẽ de=
ſcriptione ea herba pingitur, quam aliqui, ab illa adhæreſcẽdi natura, quã fructui
tribuit Dioſcorides, lappulam nominarunt, nos uulgò agrimoniã uocitamus. Sed
& alia quæ in eupatorio deſcribuntur, caulis ſcilicet lignoſus, nigricans, hirſutus,
cubitalis aliquãdo altitudinis, folia ſimilia canabi uel pentaphyllo, ita herbæ uulgò
uocatæ agrimonia quadrant, ut hanc eſſe ueram eupatorium nemo, niſi ab ortu na
turæ cæcus, non agnoſcat. Vnde etiam duplex ſeculi noſtri error deprehenditur:
alter, quod herbam à ueteribus eupatorium nominatam, pro uera agrimonio reci
pimus: alter, quod pro eupatorio herbam uulgarem, de qua nulla fit à priſcis auto
ribus mentio, nulla uel ratione uel autoritate ad uſum medicinæ frequenter adhi=
bemus. Sed hæc quidem, quamuis fortè à noſtro propoſito, qui morbũ gallicum
potius quàm herbas intendimus explanare, longe aliena, iuuandæ tamen mortali
tatis gratia, quæ hactenus in ueris remedijs dignoſcendis hallucinatur, obiter ſint
exarata. Iam ad propoſitũ reuertamur, quo probare intendebamus, quod malum
Græci lichenas dicũt, à Celſo papulas nominari: ſicuti quod ijdem Græci lepra di
cunt, à Celſo etiam impetiginem nuncupari: hoc enim poſſit uel ex ipſorum mor=
borũ definitionibus demonſtrari: nam lichen in libro qui ὅρισμοι ἰατρικοὶ, id eſt, de=
finitiones medicinales, inſcribĩt definĩt: ſiue liber ille Galeni fuerit, ut titulus præ
B ſe fert, ſiue alterius nõ multũ à Galeni placitis diſſentientis: Lichen eſt aſperitas cu *Lichen.*
tis cum magno pruritu. Lepra uero hoc pacto: Lepra eſt trãſmutatio cutis ad con *Lepra.*
trarium naturæ habitum cum aſperitate, dolore atq; pruritu, & ſquamarum reſo=
lutione, & quandoq; unam, quandoq; plures corporis partes depaſcitur. Celſus
quoq; tam in papulis quàm etiam in impetigine cutim exaſperari innuit. Impetigi
ni uero hoc proprium tribuit, quod in ea ſquamulæ reſoluuntur: & hoc quidem fie
ri in qualibet impetigine, ſicuti etiam omnem eius ſpeciem oriri in pedibus & ma
nibus: atq; ungues quoq; infeſtare idem Celſus teſtificatur. Quod poſtremum di=
ctum uel ipſum probare queat nihil aliud ſignificare impetiginem apud Celſum
quàm lepram, quum non ſolum græci autores, ſed Plinius quoq; autor romanus,
ungues leproſos ſæpiſſime nominat. Auicenna & ipſe impetiginem ita diuidens,
quod alia ſit non excorticata, alia excorticata, per impetiginem non excorticatã pa
pulas apud Celſum, lichenas uero apud Græcos, uidetur ſignificare, ſicuti per im
petiginem excorticatam, id quod Celſus uocat ſimpliciter impetiginem, Græci ue
ro lepram. Sunt autem hæc Auicennæ de impetigine excorticata uerba: Et de im=
petigine eſt excorticata propter uehementiam ſiccitatis & multitudinem profun=
ditatis, & eſt ſicuti albaras nigra, & ſicuti cortices. Eſt autẽ hic dubitatione dignũ,
cur Auicenna hoc in loco impetiginem excorticatam dixerit eſſe, ſicuti albaras ni
gram, qui tamen in alio capite ſuperiore albaras nigram ita definierat: Albaras ni=
gra eſt impetigo excorticatiua, & eſt ſcabioſitas accidens, aſpera, uehemens, & fa=
cit ſquamas ſicuti piſciũ cum pruritu, & eſt propter humorem melancholicũ inhi=
bentem de eo quod eſt iuxta ea inhibitione fortiore, quam in colore imprimat tan
tum. Hæc quidem Auicenna. Eſt autẽ (ut dixi) dubitandum, ſi albaras nigra eſt im
petigo excorticatiua, ut hoc in loco inquit Auicenna, quo pacto erit ſicuti albaras
nigra: quemadmodum ſcribit inferius: quod enim eſt ſicuti alterum non idem ui=

C detur eſſe. Nos uero hanc dubitationem ita ſoluimus: Græcos, à quibus Arabes omnia iſta acceperũt, duo habere uocabula germanos morbos ſignificantia, leprã ſcilicet & pſoram: atq; ideo hæ duæ paſſiones propter naturæ proximitatẽ à Paulo

Lepra. *Pſora.*

Aegineta ſimul deſcribunt̃ in hanc ſententiã: Lepra & pſora ſunt in ſuperficie cutis aſperitates cũ pruritu & reſolutione, ex melancholico humore ortum habẽtes: ſed lepra quidẽ cutem profundius depaſcitur, in orbem procedẽs, atq; in ea quædam ueluti ſquamulæ reſoluũtur: Pſora uero magis in ſummo cõſiſtit, uarijsq; modis figuratur, & furfuracea corpora abijcit. Lepra igitur apud Paulũ eſt impetigo excorticatiua apud Auicennã, ſicuti impetigo non excorticata apud eundem Auicennam eſt lichen apud Græcos, ut etiam ſuprà monſtrauimus. Albaras autem nigra eſt Paulo Aeginetæ pſora, quam quidẽ albaras nigrã Auicenna ab impetigine excorticatiua ſeparauit, quum loco quaſi differentiæ adiũxit, Et eſt ſcabioſitas accidens, & reliqua. quod uerbum adiunctum indicio eſt, tantum importare Auicennæ albaras nigram, quantũ græcis autoribus pſora: Hoc enim uerbum Arabes in ſua lingua baras interpretantur, quod patet ex uerbis Raſis, quæ libro uigeſimoquinto Cõtinentis, capite illo quo agit de paſſionibus unguium, in hunc modum ſcripta legũtur: *Dixit Galenus, expertus ſum cantharides, & inueni quod ſanant unguium baras, ſi de eis fiat illinitio cum ceroto.* Huius uero remedij ſufficientem ſe habuiſſe experientiã ad ungues pſoram patientes ſcribit Galenus libro undecimo de ſimplici medicina. Vt uero primũ noſtri inſtituti propoſitum tandem abſoluamus. Quũ lepra ac pſora ſolius ſint cutis affectus, ut ex earũ definitionibus conſtat, ac ferè ſine dolore, in quibus ſquamulæ tantũ & cortices furfuri ſimiles emittuntur, nõ autem puſtulæ eminentiores quoddã ueluti uirus ſtillantes, quantæ ac

D quales in morbo gallico apparent, excitentur: morbum gallicum nõ eſſe lichenas, ſi etiam lichenes cum lepra, ut apud Auicennam, atq; ipſum fortè Plinium, cõfundantur, tam ratione quàm ſenſu ipſo adſtipulante, demonſtratur.

Poſtquam ſatis (ut apparet) probauimus morbum gallicum nõ eſſe lichenas ſiue impetiginem, magnam etiam eius opinionis partem, quæ eundem morbũ eſſe aſafati aſſerit, unà uidemur deſtruxiſſe, quando Arabes aſafati atque lichenas pro eodem morbo nõnunquam accipiunt. Eſt enim, ut inquit Auicenna, impetigo nõ longinqua aſafati, niſi cum re occulta, & pertranſit, ut ſit ſafati ſicca impetigo malignior. Raſis quoq;, quod et antea notauimus, ſcribit in uigeſimoquinto Cõtinentis, putare ſe impetiginem eſſe tineam ſiccam, quaſi diceret, aſafati ſiccam. Videtur enim hoc uerbum aſafati apud Arabes duo tineę genera ſignificare, alterã ſiccam, alteram humidam. Non diſtinguunt autem ijdem Arabes tineam ſiccam ab impetigine, ea ratione fortaſſis, quod ſimiles impetigini diſpoſitiones ſicuti faciem ac collum, ita ſummam capitis partem frequenter infeſtant. Idcirco Auicenna ijſdem remedijs utitur etiam ad ſafati, quibus Paulus ad lichenas ſiue impetiginem, ſtercore ſcilicet lacerti, & ſtercore turdorũ proprie comedentium oryzam: quamuis Paulus aues illas ueſcentes oryza non turdos, ſed ſturnos potius nominet: de quo Arabum ac præcipue Auicennæ errore turdos pro ſturnis ſæpe ponentium alibi diximus. Quod uero Auicenna etiam ſaphati pro tinea, non modo ſicca, ueluti aliquando Raſis, ſed etiam humida accipiat, illæ oſtendunt medicinæ, quibus utitur Auicenna ad ſaphati humidam, tucia ſcilicet, climia, & chimolea, & charta cõbuſta cum aceto & gũmi pini cum balauſtijs, & aceto, & oleo roſaceo. Hæc enim omnia ferè Paulus Aegineta ad faui, id eſt, cuiuſdam ſpeciei tineæ humidæ ita nominatæ, adhibet curationem. Meſue quoq; Galenum allegat ſcribentem multos ſe ſanaſſe, qui ſaphatim patiebantur, linimento chartarũ combuſtarũ tritarum, & cum aceto

temperatarum.

A temperatarũ. Hoc autem medicamento Galenus libro primo decem tractatuum, qui Memiri inſcribitur apud Arabes, ad achoras, id eſt, alteram humidæ tineæ ſpeciem, uſum ſe fuiſſe teſtatur: quam etiam tineæ ſpeciem Raſis in libro diuiſionũ ſafati nominat: ſcribẽs enim de altera ſpecie quam Græci cerion, nos fauum appellamus, ait quod eius foramen eſt latius & maius foramine ſafati: quæ ſunt Galeni ac Pauli uerba, achoras & fauũ ex foraminũ magnitudine diſtinguentiũ. Idem Raſis in libro de ægritudinibus puerorũ, alterã tineæ ſpeciẽ, quæ fauus, ſiue (ut ipſe inquit) fauoſitas mellis uocatur, etiã ſafati nomine arabico nũcupauit: hæc enim ſunt eius uerba: Paſſio quæ dicitur fauoſitas, eſt ſpecies ſafati. In Almanſore etiam habetur capitulũ de ſafai uel ſafati, quę ſunt, ut ibi exponit̃, hulcera capitis habentia cruſtas. Vſq; adeò aũt Raſis ſafati capitis morbis addixit, ut uigeſimoquinto Cõtinentis, quod & teſtatur Nicolus, ſafati capitis impetiginẽ nominauerit. Qui itidem Nicolus de ſafati & tinea unà agit, & ſafati, id eſt, tineæ, ut ipſe etiam exponit, plures modos enumerat ex Galeni in primo Memiri & libro de apoſtematibus autoritate. Apud Auicennã etiam omnes ſafati ſpecies ſunt cutis capitis paſſiones, nam ſafati incipiens, quæ eſt, ut Auicenna inquit, botor paruæ fixæ leues diuiſæ in numeratione locorũ, deinde exhulcerãtes nihil aliud ſunt niſi exanthemata, id eſt, puſtulæ, quas ſcribit Paulus rubidi eſſe coloris, & aſperas ſummã capitis partem exhulcerantes. Sirengi uero, quæ eſt ſpecies ſafati humidę apud Auicennã, eſt cerion, id eſt, fauus apud græcos, ad quã, ut diximus antea, Auicẽna ſcribit eadẽ remedia quæ Paulus: ut uideatur uerbũ græcũ κήριον, in ſirengi apud Auicennã eſſe deprauatum, ſicut fortè pſydracia in balciati, ſiue ut alij ſcribũt, raciati altera ſafati ſpecie. Sunt autem pſydracia, ut Paulus atq; Alexander exponunt, puſtulæ ſuper cutem Pſydracia.
B capitis eminentes. Verbũ autem balciati puſtulas tales apud Auicennã ſignificare indicant ipſius Auicennæ uerba ſequẽtia, quæ ita ſe habent: Et balciati quidem eſt de genere ſafati malę, & quandoq; eſt cauſa eius morſus, ſicuti ſcinifes maligni. Eſt autem uerbũ ſcinifes æque hoc in loco à uerbo græco conopes deformatũ, cuius quidem uerbi quantũlibet uitiati ſignificatũ Pandectarius intellexit, nõ tamen ſcripturam emendauit, ſed corruptũ uocabulum ita ut inuenit, expoſuit hoc modo: Scinifes, id eſt, quædam muſca parua quaſi effugiens uiſionem, habens aculeũ acutũ, & alio nomine uocat̃ culex culicis, & idiomate noſtro uocat̃ ſenzala, unde declinat̃ hoc ſcinifes, genitiuo huius ſcinifes, indeclinabile. Hæc Pandectarius nõ magna cum elegantia, ſed fide tamen. Nam quod nomen ſcinifes ſit indeclinabile, oſtendit modus ipſe loquendi Auicennæ, quũ inquit, Morſus ſicuti ſcinifes maligni: eſt enim ſcinifes caſus genitiui. Quod uero conopis ſeu culicis morſus in cute uerticis uel faciei tales puſtulas excitet, quales diximus à Paulo atq; Alexandro medicis pſydracia nominari, loca habitãtes in quibus plurimus eſt eius inſecti prouentus, magno ſui tædio plerunq; experiuntur. Tantam autẽ fieri græcorũ nominum uel morbos uel animalia ſignificantiũ in libris Auicẽnæ transformationem, quantã hoc in loco inſinuauimus, unuſquiſq; mihi facile credet, qui in ſecũdo eiuſdem autoris uolumine æqualem uel etiã aliquãdo maiorẽ in nominibus medicinarum factam animaduertit, quum ibidem cochium pro phocha, id eſt, uitulo marino: Ceichem pro cancamo, id eſt, gummi quodam odorato: aſtratiſus pro aſteraticus, id eſt, herba inguinaria: bacche pro betio, id eſt, tuſſilagine: biloniũ mel pro aphare: pro pelio pepelio: beblisi pro peplo, herbis earũdem uirium, altera tamen portulacæ hortenſi, altera rutæ ſimilibus: gueguers pro cenchro, id eſt, milio: ſucutum pro ſymphyto, id eſt, cõſolida herba: tephiſie pro thapſia: & mille aliæ græcorum uerborũ corruptiones inueniantur, quas uix puto poſſe intelligi ſine auto-

C rum græcorum, qui medicinam poſteris tradidere, cognitione, quãdo & Auicen-
na tantus alioqui medicinæ magiſter in eis caligat aliquando, ut quũ teſiſie, id eſt,
gummi rutæ agreſtis, quod nuſquam inuenitur, exponit: ſucutum uero ſemper ui
uam, uel ſpeciem ſeminis mandragoræ, ſecundum duas opiniones, utranq; tamen
falſam, interpretatur. Qua quidem nominum obſcuritate neſcio quid poſſit eſſe in
medicinæ opere periculoſius, quando ex ea non modo alterum pro altero morbũ
curari, ſed alia etiam pro alijs remedia exhiberi contingat. Quocirca nunquam ſa-
Aldi laus. tis laudari poſſet Aldus Manutius Romanus, uir non minore ingenio quàm do-
ctrina, qui ſua induſtria atq; labore omnem Græcorũ ſapientiam, grammaticam,
poëticam, oratoriam, philoſophiã, & medicinã etiam innumeroſis uoluminibus cu
rat imprimendam, qui tot doctiſſimorum hominum lucubrationes, quæ non mul
tis poſt annis erant interituræ, ita reficit atq; reſtaurat, ut nulla unquã poſſint tem-
porũ uetuſtate aboleri: dignus profectò immortalitate, qui tam multis uiris præ-
Alluatim. ſtantibus dat æternitatem. Alluatim uero, de quo poſt ſafati ſpecies Auicenna fa-
cit mentionem, quoniam crurum non capitis hulcera eſſe dicuntur, ideo neq; ſafa
ti ab eodem Auicenna cognominantur: quare neq; ad præſentem diſputationem
uidentur pertinere, qua tantum probare intendimus, morbum Gallicum nõ eſſe
ſafati. Illud tamen à nobis obiter dicetur, alluatim uerbũ eſſe arabicum, corrupte
hoc loco pro albotim ſcriptum: ſic enim legitur & non alluatim in codice arabico
Auicennæ. Significat autem albotim in Arabum lingua arborem terebinthum,
ex qua naſcitur reſina terebinthina: unde et gluten albotim nomine partim latino,
partim arabico à medicis iunioribus eadẽ reſina nominatur. Sed & ijdem Arabes
albotim uocant, quædam genera puſtularũ ſimilium fructui arboris terebinthi: à
D qua pariter ſimilitudine Græci quoq; antè quàm Arabes eaſdem puſtulas τερμίν-
θους uocauere. Sunt autem ueluti hulcera parua, lentis magnitudine, uel non gran
diora faba, colore inter nigrũ ac uiridem: quãuis & qualis eſt etiam fructus, à quo
nomen tam apud Græcos quàm etiam apud Arabes habuerunt. De his autem ut
arbitror unà cum ſpeciebus ſafati egit Auicẽna, quoniam hæ quoq; ſicuti ſafati in
ſumma corporis cute naſcuntur, ut Paulus Aegineta, qui de terminthis ſcripſit ex
Dioſcoridis Alexandrienſis autoritate, teſtatũ reliquit. Sed de eiſdem etiam libro
tertio, capite de bothor nominatis botim ipſe Auicenna plenius erat executus his
uerbis: Hæc bothor apparent in crure nigræ, quaſi ipſæ ſint fructus tamaricis, aut
grana uiridia magna, & materia earum eſt materia uaricum, & cura earum ex par
te mundificationis eſt cura uaricum hulcerum melancholicorũ. Quæ quidem uer
ba Auicennæ nihil aliud oſtendentia, quàm quod libro quarto, capite de ſafati cir-
ca finẽ de alluatim idem Auicenna ſpecialiter ſcribit, quod uidelicet alluatim ſunt
hulcera melancholica quæ apparent in crure, ex eadem materia ex qua fiunt uari-
ces, & appropinquat cura eius curationi earũ. Illud etiam luce clarius manifeſtat
uerbum alluatim libro quarto, male pro albotim poſitũ, & has puſtulas botim no-
minatas eaſdem eſſe cum illis quas Græci τερμίνθους appellant, à ſimilitudine, ut di-
ximus, fructus arboris terebinthi, qui fructus apud Arabes granum uiride no-
minatur. Hoc enim eſt quod dicit Auicenna, capite libri tertij nuper allegato, eſſe
eas quaſi fructus tamaricis aut grana uiridia magna. Ideo autem Auicenna addidit
Magna, quia ſicuti duplex eſt arbor terebinthus fructifera, fœminina utraq;, nam
maſcula eſt ſine fructu, ita fructus diuerſificatur. Alter enim eſt magnitudine len-
tis, alter uero grandior faba, ut diximus: hic autem eſt quem Auicenna magnum
uocat, ad alterum æqualem lenti comparatum. Hæc igitur ſi uera ſunt (ut certe ue
ra eſſe exiſtimamus) non parum illi decipiũtur, qui alluatim quartam faciunt ſafati
ſpeciem,

A ſpeciem, quiq; ſafati non tam cutis caput integentis, quantum faciei morbũ eſſe arbitrantur. Quo etiam errore ducti uidentur, qui morbum gallicum ſafati eſſe opinantur: quoniam hic morbus cæteris partibus ſub ueſte latentibus uultus hominum euidentius offendit. Eiuſdem uero erroris autores aiunt ex primo libro Galeni de decẽ tractatibus ſuos ſe ſermones ſumpſiſſe: neq; animaduertunt quod idem autor de morbis faciei non primo libro, ſed quinto tantum illorum tractatuũ ediſſerit: ſic enim rectus ordo exigebat, ut primũ à caluariæ morbis inchoarat, de quibus ſolis in primo libro pertractat: deinde ad ea quæ in auribus, in oculis, atque in tota facie oriuntur mala deſcendens, ſingula in proprijs tractatibus declararet: ut uel ex his quæ ipſi concedunt illud probari poſſit, ſafati eſſe ſolius uerticis paſſionem, quando à Galeno in primo libro decem tractatuum de ſafati agitur. Sed & achores, & faui, & pſydracia, & exanthemata, & quicũq; eodem libro capitis morbi à Galeno connumerantur, uel tinea ſunt, uel tineæ ſimiles fœditates: ſumpto tamen tineæ uocabulo in eo quo medici iuniores capiunt ſignificatu. Quod niſi Auicenna hæc omnia ſub ſafati nomine in ſuis libris comprehenderit, uane uidebitur gloriatus, quicquid ſuo operi fuerit ſuperadditum, eſſe incomprehenſibile, quum nuſquam aliter de tinea, aut his tineæ affinibus affectibus egerit. Quanquam uero ſafati proprium capitis morbum ſtatuerimus, non tamen ignoramus, morbum etiam certæ parti corporis peculiarem, poſſe alijs aliquãdo cõmunicari, quod etiã innuit Auicẽna inquiens, ſafati plurimum in capite fieri. Nos quoq; ut medici, de his quæ magna ex parte, non autem raro aut ſemper eueniunt, hoc in loco diſſerimus. Poſſumus ergo ita colligere: Quũ morbus gallicus nõ ſit impetigo, ut etiam antea probauimus, neque uero tinea, quoniam hic & ei compares morbi ut in ca
B pite fiunt, ita à capite incipiũt: morbus autem gallicus primum ſui ortum habet ab obſcœnis, tam morbum gallicũ differre à ſafati, quantum caput ab inguine & quacunq; alia corporis parte, eſt exiſtimandum.

Contra uero illos qui dicunt morbum gallicum eſſe prunam, uel ignem perſicum ſiue ſacrum, non eodem modo ut contra cæteras opiniones poſſumus argumentari, quũ tanta ſit apud Arabes, & medicos iuniores de pruna & igne perſico uel ſacro ambiguitas, quanta ferè de hoc ipſo morbo de quo in præſentia diſputamus. Alij enim prunã atq; carbonẽ non idem malũ, ſed diuerſa potius opinantur, quum tamen quod ab Auicenna pruna dicitur, à Galeno libro decimoquarto Artis curatiuæ, & multis alijs in locis carbo latine, ſicuti anthrax græce nominetur. Alij quamuis anthrax idem Græcis ſignificet quod carbo Latinis, differre tamen anthracem à carbone ea ratione arbitrantur, quoniam anthrax fiat ex materia maligniore & magis aduſta, quàm illa ex qua carbo generatũ. Nec defuere qui ita deſiperent, ut uerbo græco latinam darent deriuationem, anthracem ab antro dictũ exiſtimantes, quoniam (ut inquiũt) intrà cõcauitatem habet abſconſam. Nõ abſq; omni tamen ratione quidam moti uidentur, ut inter anthracem atq; carbonem ſiue prunam differentiam ſtatuerent, quum uiderent, inde Auicennam de altoim, quem ipſi anthracem interpretantur, uno capite agentem, poſtmodum altero capite de pruna tractantem, tanquam de morbo ab altoim ſiue anthrace diuerſo: inde Raſim in libro Diuiſionum de igne perſico primum, mox de anthrace ſeorſum ſcripſiſſe. Ego tamen illos qui inter carbonem ſiue prunam atq; anthracem faciũt differentiam, libenter interrogarem, nũquid Galenus de anthrace in eo quem ipſi ſub hoc uerbo intelligũt ſignificatu uſquam fecerit mentionem. Tantũ enim morbum, ac magis quàm cæteros exitialem, latuiſſe Galenum, atq; ideo neq; in libro quartodecimo Artis curatiuæ, neque in ſecundo ad Glauconem, neq; in libro De

De pruna, igne perſico, & anthrace.

C tumoribus contra naturam, nuſquam denicꝫ ab ipſo fuiſſe nominatum, penè ridiculum ſuſpicari. Quod ſi Galenus & de pruna de qua agit Auicēna, & de anthrace peſtifero, ſub eodē nomine, anthrace uidelicet, libro decimoquarto Artis curatiuæ tractaſſe dicatur, quoniam anthracem fieri aliquādo in epidemia eodem in loco Galenus teſtaẗ, nónne hoc idem de pruna & igne perſico refert Auicenna his uerbis: Et quandoqꝫ accidūt iſta cauſa peſtilentiæ. Talis ergo pruna atqꝫ altoim ſiue anthrax, minime differenr: atqꝫ hoc pacto Auicenna de eodem tumore peſtifero ſub uarijs nominibus, pruna ſcilicet atque altoim, fruſtra in duobus egiſſe locis indicabitur: niſi fortè dixerimus altoim quidem eſſe anthracem nō omni tempore, ſed ſolum peſtilente, neqꝫ in omni parte corporis, ſed tantū in glanduloſo ac præcipue inguinibus ortū: quando & ipſe Auicēna hoc idem uidetur inſinuare, ita ſcribens: Antiquiſſimi antiquorū nominauerunt nomine quod tranſlatum eſt in arabico altoim, omne apoſtema eueniēs in membris glādinoſæ carnis aut alibi. Hæc enim eſt uerior lectio quàm altera alibi: ſiquidem alibium ſignificat apud Arabes inguen, unde & herba inguinaria, quam Græci bubonium nominant, apud Arabes alibiū nūcupatur: Licet Pandectarius ſecutus Serapionis errorem, heringium à bubonio ſiue herba inguinaria non diſtinguentis, alibium heringium interpretatur. Voluiſſe autē Auicennā libro quarto, ubi de altoi ſcribit, de hoc tumore agere, qui pręcipue in inguinibus naſciẗ, facile coniecturabitur unuſquiſqꝫ qui inuicē uerba Auicennæ de altoim, & Pauli de bubone cōtulerit: ſunt enim quaſi eædem medicinæ, quibus Auicēna curat altoim, & Paulus bubonē, niſi quod Paulus multo rectius eandem curationē diſtinxit. Nam quum duplex ſit bubon, id eſt, bubo: alter qui fit à cauſa primitiua (ut utar uerbo apud medicos iuniores peruſitato) atqꝫ

Bubonis duplex ſpecies.

D ideo ex ſanguine nō neceſſario maligno: alter qui fit ex materia uenenata, tempore præſertim peſtilentiæ: In primo quidem bubone inchoante Paulus utitur refrigerantibus atqꝫ adſtringentibus medicamētis, ueluti ſpongia ex puſca, & lana ex uino & oleo acerbo uel roſaceo uel melino, id eſt, pomorū, uel lentiſcino uel myrtino: nullum enim ex his in tali bubone periculū imminet, ut quilibet medicæ artis peritus intelligit. Auicenna uero, nulla adhibita diſtinctione, hæc eadem remedia quamuis ex reprimentibus, adhibet in principio altoim, id eſt, bubonij peſtiferi, quibus nihil poſſit eſſe in hoc malo perículoſius. Neqꝫ uero illud ſatisfacit, quod nonnulli de hoc genere medicandi dubitantes, dicūt in Auicennæ excuſationem, quod uidelicet Auicenna uoluerit nō ſuper ipſum altoim, ſed potius partes ipſi uicinas, ne corruptio perambulet, eas quas diximus imponi medicinas reprimētes. Ego enim in hoc genere morbi præſtare ſemper opinor non ſolum ad locum affectum, ſed etiam proxima tabem peſtiferam quantum fieri poſſit euocare. Si enim à locis circūſtantibus repercutiatur, quantū extrinſecis partibus, hoc eſt, ignobilioribus, mali depelletur, tantum ad intrinſeca & plerūqꝫ lethalia detrudetur: quum illud quoqꝫ in peſtilentia ſit obſeruatum, quanto plures cutis exterioris partes afficiuntur tota ui noxia foras prodeunte, tanto minus ſubeſſe periculi: ſicuti ubi unū ſolum locū carbunculus occupauerit, ægri ſalus penè eſt deſperata. Quanquā uero Auicenna etſi non in curandi ratione, ſaltem in eo cum Paulo conueniat, quod ſicuti hic bubonium ab anthrace, ita ipſe altoim à pruna ſeiunxit: non tamen æque conſtat apud Auicennam ex qua materia pruna, uel ignis perſicus oriatur, quum uideatur quandoqꝫ Auicenna non ſolum à Paulo atqꝫ Galeno, ſed à ſeipſo pariter de hiſce morbis ſcribēs diſſentire. Galenus enim quem Paulus etiam ſequitur, ait anthracē ex ſanguine melancholico feruente generari, atqꝫ ideo à puſtula aliquando incipere, aliquādo ſine hac: deinde quandam attolli puſtulam, qua diſrupta ſimiliter

A militer hulcus cruſtoſum fit. Eadem ferè de pruna uel igne perſico quodam in loco ſcribit Auicēna, libro ſcilicet quarto, inter initia Fen tertiæ, capite de apoſtematibus & puſtulis, in hūc modū: At uero ex ſanguine groſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum: nam ſi eius malitia uehemēs fiat, & ipſius ambuſtio, proueniet eriſypela, & eueniet cōbuſtio, & cruſta, & deterior eſt ignis perſicus. Hoc in loco Auicenna de igne quidem perſico uidetur cum Galeno conſentire: ſiquidē ignis perſicus idem genus coit cum anthrace, de quo Galenus agit libro decimoquarto Artis curatiuæ, quemadmodum ex ipſo conſtat Auicenna, qui libro quarto, capite de hulceribus, ait hulcus corroſiuū ignem perſicū à Galeno nominari, ut etiam ex multis translationibus conſtat, quæ anthracem ignem ſacrum uel perſicum interpretanť. De eryſipela uero idem Auicenna aperte à Galeno diſcordat, qui uult eryſipelam non ex ſanguine craſſo qualis eſt melancholicus, ſed potius tenuiſſimo generari, ut conſtat ex eius uerbis libro ſecundo Artis curatiuæ ad Glauconem uero de eryſipelate ſcriptis. Poſtmodum uero Auicenna in eo quarti libri capite, quo de pruna atq; igne perſico tractat, licet eaſdē ferè notas in pruna & igne perſico ſcribat, quas Galenus ac Paulus in anthrace ſiue carbone, puſtulas ſcilicet corroſiuas faciētes accidere eſcharam, qualem facit accidere cōbuſtio & cauteriū: uult tamen tam prunam quàm ignem perſicum ex cholera citrina generari, quæ ſi uerba eius attendimus, ex ſanguine cholerico originem traxerit. Sit autem mihi, quod etiam ab initio expoſtulaui, hoc in loco cōceſſum ab iis, qui nihil niſi eleganter dictatū audire patiuntur, & uerba potius quàm ſententias conſectantur, ubi de arabum medicorū opinionibus diſputatur, ſeruare eundē aliquādo modū loquendi, quo medici paſſim iuniores utūtur, pro flaua bile choleram, pro atra melancholiam, pro eryſipelate eryſipelā, & plura alia nomina barbara uſurpare: ne ſi aliis q̃ B ipſi uocabulis uti uoluero, non tam uidear latinitatem affectaſſe, quantum uerborum ſtudio bonos autores oppugnare tentaſſe. Materiam itaque prunæ uel ignis perſici, apud Auicēnam eſſe choleram citrinam ex cholerico ſanguine genitā, indicant ipſius Auicennæ, ut nuper diximus, uerba, quæ ita ſe habent: Et unuſquiſq; amborū, tam ſcilicet pruna quàm ignis perſicus, eſt de cholera citrina adurēte permiſta melancholiæ. Et paulò poſt in curatione eorundē morborū Auicenna præcipit fieri phlebotomiā aliquando uſq; ad ſyncopen, ut ſanguis cholericus euacuetur. Qui quidem curationis modus neſcio quantum rationi, uel etiam ipſi Auicennæ conueniat, qui ſanguinem eſſe frenū choleræ ubiq; inſinuat, & primo libro cauendum eſſe admonet, ne ſuperflua ſanguinis miſſione ægrum ad humorum cholericorum ebullitionem perducamus. Quare ſi eius aliis in locis doctrinam ſequimur, in morbo ex cholera ſuperante, ſeu ſanguine cholerico facto, phlebotomia non competit, uel non tanta ut ad ſyncopen uſque perducat: nam & Galenus ipſe qui tam audaci remedio adſtipulatur, non niſi in tribus diſpoſitionibus uſque ad animi defectum ſanguinem detrahit, uel ſcilicet in maximis phlegmonibus, uel febribus ardentiſſimis, uel doloribus uehementiſſimis: quarum nulla adeſt in eo de quo diſſerimus morbo. Si enim ſanguis cholericus ſit ſuperabūdans, quod eſſe in igne perſico innuit Auicenna, non phlegmones faciet, ſed potius eryſipelas etiam exquiſitas, ut inquit Galenus libro ſecūdo Artis curatiuæ ad Glauconem, ubi inter phlegmonem atq; eryſipelas ponit differentiam. Veri autem eryſipelatis calor immodicus, ut idem Galenus ſentit libro nono Artis curatiuæ, non aliter q̃ aqua frigida epota curať. Sic & quæcunq; aliæ febres ex cholere, uel per ſe uel ſanguini miſtæ feruore generantur, nullum magis præſentaneū habent remediū, q̃ frigidæ aquæ potionem. Vnde Auicenna tam in curatione eryſipelæ, quàm etiā Cauſonis

In quibus febribus ſanguis mittendus.

C uiſus eſt dubitare, an in eis ſanguinem mittere oporteat, nedum iuſſerit ad ſyncopen uſq; profundi. Hoc enim remediū in his ſolum febribus cōuenit, quæ ex multo ſanguine uel ebulliente, uel putreſcēte generātur, quales illæ ſunt quæ proprio nomine ſynochi nominantur: ſed neq; propter intolerabiles dolores (hi enim in hoc morbo non adſunt) tanta ſanguinis detractio eſt facienda. Quod ſi etiam adeſſent, diſtinguendū foret, ut inquit Galenus in expoſitione aphoriſmi: Quæ egeruntur, nō multitudinem cōſiderare oportet: an phlebotomia uel potius purgatione ſedari deberent. Nihil aliud ex his uerbis inſinuans, niſi quod ubi humor alius à ſanguine faceret ſua uel qualitate uel quantitate dolorem, purgationē eſſe præferendam, quod uidemus eundem Galenū in omnium morborū præcipue cholericorum curatione ubiq; obſeruaſſe, adeò ut in cōmentarijs libri ſecūdi De humoribus etiā in pleuritide, quū fit ex humore cholerico, damnet phlebotomiā: quam tamen plus in hoc quàm in ullo altero morbo alioquin uidetur probare. Apparet enim & ipſum, quemadmodum etiam Auicennā, nimiam humorum cholericorū inflammationem ubiq; euitare, quamuis hanc in ignis perſici curatione Auicēna non cauerit, docens aliquando in ea uſq; ad ſyncopen ſanguinem euacuare. Quid quod etiam Auicenna in pruna uel igne perſico prohibet ſcalpellationem profundam, quādo *materia eſt decliuis ad cholerā*: *His enim* & *ipſe* utitˀ uerbis: & tamen capite ſuperiori ubi agit de formica ſuaſerat, ex Galeni cōſilio extirpare formicam cum aliquo quod ſit ſicuti embula, et extremitas pennę, aut alterius rei cuius extremitas ſit acuta, quam poſſibile ſit deglutire formicā. Atqui hæc extirpatio formicę, ſi diligenter inſpicimus, multo eſt uiolentior q̄ ſcalpellatio, ut ſi hāc timet Auicenna, quando materia eſt decliuis ad cholerā, multo magis tale aliquid facere debuerit formidare in morbo ex materia nō decliui ad cholerā, ſed mera cholera, ut ipſe opinatur, procreato. Ego quidem puto Auicennā, modò ſalua tanti uiri reuerētia dicere liceat, morbos & natura diſtantes, atq; earūdem curationes plerunq; cōfundere, uel ut eiſdem utar uerbis, quæ ipſe ſolet aliquando in aliorum reprehenſione uſurpare, capitulum in capitulo ponere. Quam quidem cōfuſionem uidetur in tribus capitibus de eryſipela, de formica, & de igne perſico ſe conſequentibus præcipue feciſſe: nam (ut nos etiam eundem ſeruemus ordinem) capite quo agit de eryſipela, inter cæteras huius morbi notas hanc etiam ponit, quod cōburit, & ſua uirulentia ueſicat. Hæc autem, ut ita dixerim, ueſicatio magis propria eſt alteri morbo, de quo agit in ſequenti capite, quem ipſe formicā miliarem, Galenus uero ac Paulus herpetem cenchriam, id eſt, miliarem, ea potiſſimū nominant ratione, quod ſerpit, atq; in cute ueſicas ſiue puſtulas milio ſimiles excitat. Sed etiam medicinæ ipſæ quas adhibet Auicenna ad eryſipelam ſuper cutem exiſtentem, ſunt quæ à Paulo ſcribuntur ad formicam miliarem, ſiue ut eius utar uerbis, ad herpetem ueſicoſum uel puſtuloſum. Hæc enim ſunt Pauli uerba: Ad herpetem ueſicoſū, ſcoria plumbi ex uino auſtero contrita mox illinita, cataplaſma ex folijs betæ in uino decoctis ſuperimpone. Auicenna autem ad Pauli, ut uidetur, imitationē ita ſcripſit: Et ſi fuerit eryſipela ſuper cutem, curetur ex ſcoria plūbi cum uino pontico cum folijs ſiclæ bullitæ cum uino. Modus autem loquendi Auicennæ non paruam poteſt diligenter inſpicientibus facere dubitationē, quum enim inquit: Si fuerit eryſipela ſuper cutem: uidetur ex his uerbis innuere, poſſe etiā aliter quàm ſuper cutem fieri eryſipelam. Atqui Auicenna ſuperius inter phlegmonē atq; eryſipelā faciēs differentiam, ita ſcripſerat: Et apoſtema eryſipelæ non fit niſi in eo quod apparet de cute. Quare niſi hæc dubitatio ſoluatur, non parua ſuſpicio relinquetur, quod medicinę quas hoc in loco ad eryſipelā ſcribit Auicēna, alteri potius morbo, hoc eſt, formicæ

D

Auicenna morbos natura diſtātes cōfundit.

A micæ miliari cōueniunt. Sed & uerba ſequentia Auicennæ hoc ipſum apertiſſime
monſtrant, nam ſtatim ſubinfert: Et curetur cum eo in quo eſt reſolutio & exicca=
tio fortis cum infrigidatione. Nemo autē neſcit niſi qui tritū illud in medicina prin
cipium etiam ignorat, Contraria ſcilicet contrarijs curari, eryſipelæ morbo calido
& ſicco fortiter exiccantia non competere. Quod ipſum Gentilis animaduertens,
inquit, Auicennā hic dupliciter intendere: primo quod ponit abſolute medicinas,
quæ competūt in ſtatu: ſecundo quod hic ponit medicinas, quæ cōpetunt in ery=
ſipela hulcerata, quæ ſunt nimis fortis exiccationis. Nos uero ex hac ipſa reſpon=
ſione illud cōfeſſum habemus, quod contra Auicennā probare nitebamur, eas ſci
licet quæ hic ponūtur ab ipſo medicinas non eryſipelæ, de qua agit in hoc capite,
ſed alteri potius morbo, de quo tractat in ſequenti, formicæ ſcilicet uel miliari uel
corroſiuæ conuenire. Nam eryſipela hulcerata nihil aliud eſt niſi herpes exedens
apud Galenū, ut idem Galenus libro decimoquarto Artis curatiuæ teſtatur: Her=
pes autem comedens eſt formica corroſiua ſiue hulcerata apud Auicennā. Quod
uero non differat herpes comedens de quo agit Galenus, à formica corroſiua de
qua ſcribit Auicenna, uidere licet ex his quæ Auicenna quidem de formicæ corro
ſiuæ, Galenus uero de herpetis comedentis curatione eadem ambo præcipiunt:
hæc enim ſunt Auicennæ uerba: Via autem ſecundum quam curatur formica, eſt
ut ea quæ ex ipſa eſt corroſiua alienetur ab humectatione, quam iam adminiſtraſti
in eryſipela: humectatio enim nō eſt conueniens in hulceribus. Galenus quoq;, à
quo ſumpſit Auicenna, in eandem ferè ſententiā ſcribit libro ſecundo Artis curati
uæ ad Glauconē: Herpetes quidem quātum ad totius corporis curationem, ſimi=
li modo quo eryſipelata curare oportet: Quantū uero ad locum ipſum affectum,
B non etiam ſimiliter: omnes enim qui exeſi ſunt refrigerari quidem deſiderant, ſicu=
ti & alij atq; eryſipelata: non tamen ea medicamenta quæ præter id quod refrige=
rant etiam humectant patiūtur, ſed ea ſola ex refrigerantibus, quæ ſimul exiccare
poſſunt, admittūt. Hic Galenus ſicuti Auicenna in cura formicæ corroſiuæ, ita in
curatione herpetis comedentis prohibet humectationem, quam tamen in eryſipe
latis probat, atq; ideo idem Galenus ſubiungit: Non igitur neq; lactucam neq; po
lygonium, neq; ex ſtagnis lenticulam uel paluſtrem lotum, uel anthylium, uel pſy
lium, uel portulacam, uel intybum, uel ſemperuiuam, uel tale aliquid quod poſſit
humectare, quæ eriſypelatis erunt opportuna, oportet adhibere. Sed hic non par
uus remanet ſcrupulus, quia has ipſas herbas uel magnā earū partem in principio
formicæ corroſiuę probat Auicenna, ita ſcribens: Et adminiſtra in principijs eius,
ſcilicet formicæ corroſiuæ (de ea enim ſtatim ſuprà locutus erat) ſicuti lactucam, &
nenufarem, & ſemperuiuam, & uolubilem, & portulacā: ut uideatur Auicēna ſi=
bijpſi manifeſte repugnare. Si enim, ut ipſe paululū ſuprà dixerat, ea quæ debetur
eryſipelæ humectatio fugiēda eſt in curāda formica corroſiua, cur poſtmodū lactu
cam, ſemperuiuā & portulacā, quas Galenus lib. xiiij. Artis curatiuæ ad eryſipelæ
quidem laudat curationē, libro uero ſecūdo ad Glauconē propter earū humidita=
tem in herpete exedēte cenſet euitādas, ſtatim Auicēna in formicæ corroſiuæ prin
cipio cōmendat, uel iubet adminiſtrari? Nō ſolas, inquit Gentilis, qui hanc in uer=
bis Auicennæ repugnantiā uiſus eſt animaduertere, ſed cum alijs exiccātibus mi=
xtas, utputa lenticulam quæ eſt frigida & humida, cum ſemperuiua quæ eſt frigi=
da & ſicca: quanq; idem Gentilis non de formica corroſiua, ſed ambulatiua, in qua
ſicuti in qualibet alia formicæ ſpecie ſecūdum ipſam aliqua eſt hulceratio, atq; ideo
humiditas quæ debet exiccari moueat dubitationē. Sed cur obſecro ad formicam
ſiue corroſiuā ſiue hulceratam talis mixtio ſit neceſſaria? quaſi nō inueniantur her

C bæ ſimplices, quæ ſimul habeāt tum exiccandi, tum etiam refrigerādi poteſtatem, aut quaſi ea ſola quæ humectant, poſſint refrigerare. Ipſe quoq; Auicēna poſtmodum, ſicuti etiā Galenus, eas quæ utrunq; præſtant effectū, quæ ſcilicet æque exiccant atq; refrigerāt, memorat, ſicuti arnogloſſam, rubum, & lentem, quibus mille aliæ poſſint ſimiles reperiri. Quod ſi etiā eædem formicæ corroſiuæ, ſiue hulceratæ cōpetunt medicinæ, quæ etiam eryſipelæ frigidæ ſcilicet, modò non poſſint humectare ſicuti neq; calefacere, cur Auicenna uolubilem herbam ad caliditatem, ut ipſe ſcribit, ſecūdo ſui operis libro, alijs refrigerātibus adnumerauit? Vt tamē hæc cōpetat, quoniam à quibuſdam cenſetur frigida, non uideo, ſi, ut inquit Gentilis, hæ quas ſcribit Auicenna medicinæ non per ſe ſolæ, ſed miſtæ cū alijs recipiantur, quomodo ex mixtura humectantium ac refrigerantiū fiat medicina, quæ tantum frigefaciat & exiccet, qualē exigit formica corroſiua uel hulcerata, quæ ut morbus calidus frigida ſolum ſine calidis quærit, ut uero hulceratus ſolum ſicca ſine humidis. In quo quidem morbo Galenus etiam ſtrychnū, id eſt, ſolanū reſpuit, quia nō habeat ſufficientem ſiccitatē: Auicenna uero eandem herbam non probat niſi ſiccam, quaſi uiridis poſſit humectare. Si ergo humida cauebat, cur lactucam & nenufar, & lenticulam aquæ, ſimilesq; herbas humidas etiam alijs ſiccis admixtas approbauit? Neq; tamē puto, quod *Gentilis credidit*, eum fuiſſe Auicēnæ intellectū ut ſemperuiuā pro herba ſicca, quæ alijs humectātibus debeat adiūgi, hoc in loco nominauerit: quoniā eandē herbā Galenus lib. ſecundo Artis curatiuæ ad Glauconem alijs adnumerat, quæ herpetem comedentē nō ſolum poſſunt refrigerare, ſed etiam humectare: quāuis enim idem Galenus ſexto de ſimplici medicina libri uolumine ſemperuiuam frigidā ac ſiccam ſtatuerit, plurimū tamen illi tribuit frigi

D ditatis, minimū uero ſiccitatis, imò in ea uigere aquoſam ſubſtantiam planè aſſeuerat, cuius ratione, ut arbitror, in ſecūdo libro quē diximus Artis curatiuę ad Glauconem, quando herpes fuerit hulceratus ſemperuiuam unà cum alijs humectantibus improbat, ſicuti ipſam eryſipelatis conuenire fatetur. Nam licet facta ad corpus temperatum, ſicuti fit in cæteris medicinis, collatione, libro quem diximus de ſimplici medicina ſexto, ſemperuiua frigida & ſicca herba dicatur, eadem tamē ad eryſipelas morbum calidum ac ſiccum comparata, ſecundo libro ad Glauconē frigida atq; humida reputatur, ſicuti oleum roſaceum & refrigeratos calefacere, & calefactos refrigerare ab eodem Galeno ſcribitur libro tertio de ſimplici medicina. Quæ quidem effectuum diuerſitas, ut etiam ibi ſcribitur, his præcipue datur medicinis, quæ parum à temperamento receſſerūt, qualem eſſe diximus ſemperuiuam herbā in ſiccitate, autore Galeno ſexto libri de ſimplici medicina uolumine. Hanc uero ad diuerſa corpora comparationem nō animaduertens Rabi Moyſes, auſus eſt notare Galenum, quaſi libro ſecūdo Artis curatiuæ ad Glauconem cōtraria de ſemperuiua ſcribētem, quæ libro quem diximus ſexto de ſimplici medicina ſuper eadē herba aſſeuerat. Nos uero de hac repugnantia ſententiarū falſò obiecta Galeno plenius alibi diximus, ubi eundem Galenū defendimus contra Rabi Moyſen, principi medicorū etiā in pleriſq; alijs infeſtū. Aliud uero Gentilis ſuffugiū dicentis, quod in principio principiante formicæ frigida & humida cōpetunt, quia licet ibi ſit aliqua hulceratio, nō tamē corroſio adeſt: eiſdē quas ſuprà poſuimus rationibus improbatur, atq; eo magis, quoniā à Galeno in ſecūdo Artis curatiuę libro ad Glauconem, quælibet hulcera etiam in ſumma cute exiſtentia egere exiccātibus, Hippocratis autoritate monſtratur. Sed ut etiam antea innuimus, quum Auicenna his uerbis utatur: Et adminiſtra in principijs eius, hoc uerbum Eius, nihil aliud poteſt referre niſi formicā corroſiuā, de qua ſtatim ſuprà fit ſermo. Neq; uero illa

ratio

A ratio cõuincit, quam quidã adduxerũt, probare uolentes Auicennam intelligere de principijs formicæ ambulatiuæ, non autem corroſiuæ: quoniam poſtea ſubiungit: Et quum timetur ſuper eam corroſio, quum in formica corroſiua, ut inquiunt, non timeatur corroſio quæ iam adſit, ſed potius in ambulatiua: quaſi non potuerit Auicenna prius ſcribere curationem formicæ corroſiuæ, deinde docere, antequã formicæ corroſio ſuperueniat, quibus remedijs ſit occurrendũ. Mihi uero maiorem faciũt dubitationẽ remedia quædam, quibus utitur Auicenna ad prohibendam corroſionem, ſicuti aqua, quæ currit ex ligno uitis humido quum aduritur, & ſtercus ouium cum aceto, & ſtercus uaccinũ cum aceto, quæ Dinus ipſe extranea eſſe confitetur, neq; multũ ad prohibendã corroſionem proficere. Ego uero multo magis extranea exiſtimo, quæ ſtatim poſt ab Auicenna ſuper corroſionem iam apparentem imponũtur, ſicuti ſuccũ cucumeris aſinini, & ſal, & fel hirci, & rutam cum nitro & pipere, & nitrũ cum urina pueri, quæ omnia tam priora, quàm etiam ſequentia nõ formicæ uel ambulatiuæ, uel iam corroſiuæ, ſed tollendis potius uerrucis cõueniunt, ut patet ex Paulo eiſdem utente ad tollenda quædã genera uerrucarum, quæ Græci myrmecias acrochordonas appellãt: ut etiã ex Auicenna conſtat, qui de nonnullis eorum in curatione uerrucarũ meminit, & uarijs in locis, ubi de earundẽ medicinarũ proprietatibus agitur, ualere eas ad uerrucas, nõ autẽ formicam ambulatiuam, uel corroſiuam, inſinuat. Sed hoc quidem capitulum de uerrucis in capitulo de formica male fuiſſe ab Auicenna poſitum, & cauſam etiam huius erroris in ſequentibus plenius aperiemus. Illud nũc probaſſe ſufficiat, Auicennam eryſipelam pro formica, & formicam pro eryſipela, non ſine magna confuſione, accepiſſe: Quandoquidẽ quæ erant eryſiplæ remedia, refrigerantia ſcilicet at-

B que humectantia, eadẽ formicæ corroſiuæ accõmodauit: Quæ uero formicæ competebant uel corroſiuæ, uel miliari, multum ſcilicet exiccantia, hæc retulit ad eryſipelam. Sed quoniam ſuprà monſtrauimus, medicamẽta fortiter exiccãtia ſcripta ab Auicẽna ad eryſipelam ſupra cutem exiſtentem, à Paulo fuiſſe tranſumpta, an etiam fideliter translata fuerint, uideamus: ſic enim non ſimplex, ſed multiplex potius error indicabitur. Vnũ ex his remedijs fortiter exiccantibus, de quibus ſuprà facta eſt mentio, ita habetur apud Paulum: Lanæ antiquæ illotæ circa tædam combuſtæ drachmas duodecim, ceræ drach. uigintiquinq;, ſcoriæ plumbi acetabulum mediũ, ſepi caprini purgati et loti in aqua, drach. uigintiquinq;, olei myrtini uncias quinq;. Altera huic correſpondens, apud Auicennam ſcribitur in hunc modum: Lanæ ueteris aduſtæ non lotæ pondus drach. xij. & ſemis, carbonis de cortice arboris pini tantundem, ceræ drach. uiginti, ſcoriæ plumbi, drach. quinq;, ſepi caprini ueteris abluti cum aqua drach. quindecim, olei myrtini, uncias quinq;. Si pondera quidem medicinarũ notata in Auicennæ compoſitionibus, nõ omnino quadrant cum alteris, quæ in ſimilibus apud Paulũ cõpoſitionibus inueniũtur, nõ eſt, ut arbitror, magnipendendũ. Illud multo magis eſt cõſiderandũ ab his præſertim, qui quandã ueluti diuinitatem tribuũt Auicẽnæ, in cuius libris, de medicina præſertim, nullũ poſſe inueniri errorẽ arbitrãtur, quo pacto Auicenna in nuper dicta cõpoſitione miſceat carbonẽ de cortice pini, quẽ tamen Paulus in ſua cõpoſitione omnino pretermiſit. Eſt inquam, ut exiſtimo, diligẽtius examinandũ, an Auicẽna, uel alius deliquerit, noua atq; inaudita medicamenta ueterũ cõpoſitionibus adiungendo, ueluti carbonẽ de cortice pini, de quo quidẽ carbone nuſq; ſcriptũ inuenitur, quod ullã habeat in medicinis ad eryſipelã, uel formicã efficaciã. Hũc aũt non eſſe noſtræ trãslationis errorẽ, teſtẽ facio miro ingenio ac ſingulari doctrina præditũ iuuenẽ Paridẽ Cæſareũ Mantuanũ, q ut ſemp fuit omniũ bonarũ artiũ ſtudio-

C ſiſſimus, ita nunc medicinæ totus inſiſtit: ad quam fideliter percipiendã non modo latinos & græcos, ſed etiam hebræos, atq; arabes adhibet præceptores, qui à me, eodẽ Paride præſente, ſæpius requiſiti, in his locis præſertim in quibus Auicenna à Galeno ac Paulo non parũ diſſentire uidebatur, ut uerba Auicennæ ſicuti in eorum iacent lingua mihi interpretarẽtur, eundẽ ferè ſenſum retulerũt, quem etiam nos in noſtro habemus Auicenna. Vnde in eam ueni ſententiã, ut multos qui nõ ſolum in noſtris, ſed etiam Hebræorũ atq; Arabũ libris non inueniuntur errores Auicennæ, ex prima Grecorũ autorum, quorũ ſententias idem Auicenna undequaq; collegit, facta in arabicã linguam cõuerſione, ſumpſiſſe occaſionẽ. Nam & hunc ipſum, de quo paulò ante loquebamur errorẽ, non aliunde quàm ex uerbis Pauli male intellectis traxiſſe originẽ facile poteſt unuſquiſq; perpẽdere. Quum enim Paulus ita ſcribat: Lanæ ueteris circa tædam cõbuſtæ drachmas duodecim: credidit Auicenna, uel potius ille qui male Paulum in arabicũ ſermonem transferendo dedit Auicennæ errãdi occaſionẽ, tædam quoq; ſiue carbones ex tæda exuſta derelictos in eandem uenire cõpoſitionem, atq; ideo ita notauit: Sumatur lanæ ueteris aduſtæ nõ lotæ pondus drachmarũ duodecim, & ſemis, carbonis de cortice pini tantũdem, errore ſanè ſatis ridiculo atq; aliquando futuro periculoſo, ſi medicinæ etiam quæ deuorantur, uel bibuntur, poſtq; fuerint ſuper ignem quandoq; paratæ, carbones qui ex eodem igne remanſerint, in ſuam quoq; ſocietatẽ receperint. Tale enim quiddam fiet in cõpoſitione relata ab Auicenna, ſi, ut ipſe docet, ad lanam exuſtam æqua portio carbonũ ex tæda circa quam fuerit exuſta, adijciatur. Nemo aũt admiretur eam præcipue lanam quæ circa tædam fuerit exuſta, à Paulo in ea quam diximus cõpoſitione probari. Fuit enim quoddã apud ueteres in com-

D burenda lana, quæ non niſi cõbuſta ad uſum medicinæ ueniebat, artificium, cuius etiam Galenus, ſed multo plenius Dioſcorides meminit, qui inter cæteros lanam cõburendi modos hunc quoq; tradit, Alij diſponentes obeliſcos ſuper uas fictile latum os habens, inuicem diſtantes & ſuperimponentes ſcandulas, & lanas alternatim leuiter ex tædis paruis ſuccendũt: Vbi uero lanæ fuerint combuſtæ, tollunt, & ſiquid pingue uel pix ex tædis paruis defluxerit, ſimul tollunt atq; reponũt. Et hoc eſt quod Paulus uult, lanam ſcilicet ita ut docet Dioſcor. uſtam: nõ autẽ carbones de cortice pini in ea quam ſcribit ad herpetem ueſicoſum cõpoſitione cõmiſceri. Nunc ad reliqua explananda tranſeamus, in quibus uideť Auicenna aliquanto maiorem uel etiam periculoſiorẽ feciſſe cõfuſionem. Mox ad ignem perſicum, de quo præcipue diſputabamus, in quo morbo pluſq; in cæteris fuit Auicenna perplexus, reuertemur. Scio tamen me nõ credẽda ſcripturũ, his præſertim qui poſthabitis rationibus, ſola nomina ac ſcribentiũ autoritatem ſequũtur, qui ſe alicui ita addicũt autori, ut proprios ſenſus deſtruentes, malint alteri q; ſuis oculis credere. Nos ſuprà cũ ex ſenſu ipſo, tum etiã Dioſcoridis autoritate, cui etiam ex parte conſentit Auicenna, probauimus, eupatoriũ habere folia canabis uel pentaphyllo ſimilia, fructum paruum, qui exiccatus ueſtibus adhæreſcit: eſſe deniq; eupatorium herbam illam quam nos uulgò agrimoniã nominamus. Auicenna uero idem eupatoriũ aliud quàm agrimoniã eſſe ſignificat, quum ait eupatoriũ eſſe herbam aromaticam, habentem ſolia canabis, & florem ſicuti nenufar. Conſtat enim herbam uulgò agrimoniam nuncupatam neq; eſſe odoratã, neq; habere florem ſicuti nenufar, imò ita exiguum ut uel nenufari, uel eius flori collatus, nullam ipſius habeat ſimilitudinẽ. Cui igitur plus hac in parte credemus, Dioſcoridíne, an Auicẽnę? Auicennæ, inquies, cui noſtra ætas dedit medicinæ principatũ. Atqui Galenus, unaq; ipſe Auicenna in hac parte medicinæ, quæ de medicamentis ſimplicibus agit, pri-

Modus comburendi lanam.

mum

A mum locum Dioſcoridi tribuunt. Sed fac autoritatẽ eſſe parem: ubi tu mihi Auicennę patrone herbam inuenies aromaticam folijs canabis, flore nenufaris, quæ ſit uerum eupatoriũ, ſicuti ego tibi alterã aſſignaui, ita Dioſcoridis, Plinij, Serapionis ſuper herba eupatorio deſcriptionibus congruentem, ut niſi malis uideri cæcus quàm fateri Auicennã in ueris eupatorij notis deſignãdis aberraſſe, nullo modo negare poſſis herbam quam nos uulgato nomine agrimoniam uocamus, eſſe ueteribus eupatoriũ. Quod ſi fortè mihi cõceſſeris, id quod multi etiam ex medicis iunioribus non diffitentur, Auicennam non multam habuiſſe ſimpliciũ medicamentorum notitiam: nõ aduertes fortaſſis te eadem cõceſſione dimidiam ſcientiæ medicinę partẽ Auicennę detrahere: quę tota, ut inquit Galenus libro ſecundo de Criſi, ex duabus conſtat notitijs, altera ſubiecti, circa quod medicus operatur, altera illorum quibus ueluti inſtrumẽtis in ſuo opere utitur. Cur uero ſi in his in quibus ueritas ipſa ſeipſam cõtemplantibus offert, ubi uigent ſenſuum iudicia, Auicennam erraſſe cõcedis, non ęque in rebus magis abſtruſis atq; reconditis labi illum potuiſſe fatearis? Tu tamen crede quod lubet: nos paucis iſta ſcribimus, & ſolis amatoribus ueritatis. Si non apud malignos atq; imperitos, ſaltem apud probos ac doctos gratiam ut ſperamus cõſecuturi, fortè etiam apud ęgrotos quos fortuitæ medicinę periculo liberamus, quũ herbam in foſſatis naſcentẽ, quę quid ſit à medicis ignoratur, hactenus tamen credita eſt à pluribus eſſe eupatoriũ, ne ſyrupo ex eupatorio atque alijs cõpoſitionibus adiungatur, modò ſint qui nobis fidem uelint præſtare, prohibemus. Sed & altero multo ſanè maiore periculo uel etiam tormento miſeros mortales liberemus, quod audio malo ſuo fato ſenſiſſe nõnullos qui hac tempeſtate morbo Gallico laborarunt: neque enim defuere me
B dici, qui puſtulas illas quę in eodem morbo totũ aliquando occupant corpus quibuſdam ferreis inſtrumentis extirpare tentarint, nixi, ut arbitror, Auicennæ autoritate, formicæ ambulatiuæ & corroſiuę, puſtulas embula & pennæ extremitate, ut ſuprà quoq; notauimus, euellentis. Quod etiã magiſteriũ, ſi dijs placet, neq; Dinus in tali curatione improbauit, & Franciſcus de Pedemontiũ, pluresq; alij Auicennam ſequentes ſuis ſcriptis inſeruere, aiuntq; ipſi unà cum Auicenna, id eſſe conueniens ſecundũ Galeni opinionem. Sed ubi obſecro unquã Galenus puſtulas ex humore acuto cholerico, factas talibus inſtrumẽtis iuſſit extirpari? Galenus inquam, qui ubiq; medicos crudeliter atq; imperite medicantes, uocat humanæ naturæ perniciẽ. Quod uero ſæuius aut rudius medendi genus poſſit excogitari, quàm morbũ nõ alio magis nomine quàm quia exhulcerat infeſtantẽ, etiam uehementius exhulcerare? Falſò igitur, inquiet aliquis, Auicẽna Galenũ allegauit, neq; uere neq; falſò: ſi tamen locum cõſideremus ubi allegauit, dicere auſim, falſò allegaſſe. Galenus enim id artificiũ ait eſſe conueniens, nõ ad tollendam formicam uel miliarem uel corroſiuã, ſed quoddã potius genus uerrucarũ, quas græci myrmecias, id eſt, formicas appellant. Natus eſt ergo error Auicennæ ex nominis ambiguitate: quia enim Græci puſtulas quaſdam ex humore cholerico genitas, ſolam cutem occupantes, atq; etiã ſerpentes, ab hac ſerpendi natura Herpeta uocant: Arabes quoq; à ſimili proprietate eaſdem puſtulas formicam nominarunt. Sunt uero etiam quædam genera uerrucarũ, quæ Gręci myrmecias, nomine ſumpto à formicis, appellãt: quia ſenſum quaſi ſint morſus formicarũ patientibus inferunt: has quoque uerrucas Arabes ad græcorũ imitationem formicas nuncuparunt: quo fit ut uerbum formica apud Arabes duorũ morborũ generibus, quamuis natura differentibus, accõmodetur. Auicenna ergo utranq; formicã tam pro puſtulis cholericis, quàm etiam pro uerrucis acceptam, atque utriuſq; morbi cura

C tionem in uno capite copulauit:licet alter ex humore tenui ac cholerico fiat,alter
ex craſſo ac melancholico:atq; ideo ut genere diſtinguuntur,ita diuerſum genus
curationis expoſcant.Puſtulę ſiquidem cholericæ uel ſola totius corporis purga-
tione, uel etiã emplaſtris ſuper locum affectum impoſitis,nunquã autem manu,
curãtur:Verrucæ uero,ut docet Galenus lib.xiiij.Artis curatiuę,cum alijs inſtru
mentis, tum etiã penna ita adaptata ut totã uerrucam ſua cauitate cõprehendat,
atq; adeò firmiter hæreat,quod ea deſubter acta uerruca radicitus euellatur. Quẽ
etiam modum docet Auicenna lib.iiij. capite de uerrucis: quẽ pariter modũ uere
loco illo potuit ad Galenum autorẽ referre:ſed ubi oportuit Galenũ citare teſtem
ibi eius teſtimoniũ prætermiſit:ubi uero reticere,quoniã non de uerrucis,ſed for-
mica potius corroſiua curanda agebatur, perperã allegauit. Huc uero tam multa
quæ diximus de Auicenna,multos in unum morbos cõfundente, omnia tende-
bant,ut oſtenderemus ipſum ſimili atq; aliquanto maiore in pruna atq; igne perſi
co uſum fuiſſe confuſione:ne quis forte ſuſpicet̃ nos in tam longis digreſſionibus
ea quæ nihil ad propoſitũ noſtrum pertinerent, cõquiſiuiſſe. Quum enim proba
re intenderemus,morbum Gallicũ nõ eſſe ignem perſicũ,omnis uero de quacun
que re ſumitur diſputatio debeat à definitione, ut ait Cicero, proficiſci,neceſſariũ
habuimus antea oſtendere quod nõ conſtaret apud Auicennam,quid eſſet ignis
perſicus:aliquando enim ipſum ex ſanguine craſſo & melancholico inquit gene
rari,ut etiam antea admonuimus:aliquãdo uero ex cholera permixta melancho-
liæ:& nunc ignem perſicũ idem genus facit cum pruna,ut quũ inquit: Hæc duo
nomina fortaſſe abſoluta ſunt ſuper omnem puſtulam corroſiuã, ueſicantẽ, adu-
rentem,facientẽ accidere eſcharam,qualem facit accidere cõbuſtio & cauterium:
D nunc uero diuerſificat,ut quum inquit, prunam eſſe magis melancholicã, ignem
uero perſicũ magis cholericũ: quandoq; trahit ipſum ad formicam comeſtiuã, ut
quum ita ſcribit:Et quandoq; abſoluitur nomen ignis perſici de illis ſuper quo eſt
illic puſtula de genere formicæ comeſtiuę adurens,ueſicans.Quandoq; ad formi
cam transfert miliarẽ, ut quum ſcribit in hunc modũ: Et quandoq; ſunt cum for-
micæ ſpeciebus & miliaris,malę febres uehementis caliditatis pernicioſæ. Quaſi
apud ipſum Auicennã,ignis perſicus & formica miliaris nõ differant,neq; multũ
referat,utrũ ignis perſici uel formicæ miliaris ſigna manifeſtet: & ſanè diligentius
intuenti formica miliaris & ignis perſicus nihil aut parũ admodũ differunt apud
Auicennã,ſunt enim in utroq; ueſicæ milio ſimiles,ueluti Raſis,Paulus atq; Gale
nus lib.xiiij.Artis curatiuę cõſentiũt. Quod ſi Auicennã ſequimur,nõ modo for
ma,ſed etiam materia eadem in ambobus morbis reperit̃,quoniã tam ignis perſi-
cus q̃ etiam formica miliaris ſecundũ Auicennã,fiunt ex cholera permixta melan
cholię:niſi forte quis dixerit ad faciendã formicam miliarẽ non ſolam ſufficere me
lancholiã choleræ adiunctã,ſed inſuper etiam phlegma requiri. Hoc enim uide-
tur innuere Auicẽna,capite de formica miliari,ex uerbis illis:Neceſſe eſt illic eſſe
ex melancholia & phlegmate quæ admiſcent̃ choleræ. Sed quũ idem Auicẽna,
ſicuti Galen. ex ſolo phlegmate mixto cum cholera eandem formicã miliarẽ ge
nerari aliquando fateat̃, cur non itidem melancholiã abſq; phlegmatis ſocietate
iunctã cum cholera poſſe eundem facere morbũ cõceſſerit? Multi quoq; medici
iuniores opinant̃ æque ex una ſicuti ex altera mixtione formicã miliarẽ procrea-
ri.Quare & ignis perſicus & formica miliaris in eadem non modo forma, ſed &
materia,ſecundũ Auicẽnę ſententiã cõuenient.Quanq̃ forte quiſpiã illã aſſigna
bit diuerſitatẽ,quod in igne perſico materia cholerica ſit magis aduſta q̃ in formi
ca miliari. Cur uero hoc,quũ ipſa etiam ſua caliditate ueſicas excitet, & ut inquit

A Auicẽna, febres faciat uehemẽtis caliditatis, atq; ideo pniciosas: febris aũt & alia accidentia quæ in formica miliari Auicenna nominat, ſunt ignis ſacri ſeu perſici propria, quem etiã prunam appellat Auicenna ad imitationẽ Galeni, qui eundẽ morbũ & quartodecimo Artis curatiuæ uolumine, & multis aliȷs in locis anthracem uocat: quo in loco idem Galenus omnia hæc de anthrace refert, quæ etiam hic ſcribit Auicenna de formica miliari, quod uidelicet febres habet uehementis caliditatis, & quod fit aliquando ex eiſdẽ cauſis, ex quibus fit peſtilentia, & quod aſſimilatur in colore phlegmoni, magis tamen ad atrũ declinante. Quare nõ temere hoc in loco Dinus dubitauit, cur quũ Auicẽna in hoc capite intenderet de pruna & igne perſico agere, ſigna tamen formicæ miliaris & nõ ignis perſici, ut cuiquam nõ abſq; ratione uiderer, expreſſerit. Soluit aũt uerba Auicẽnæ in hunc modum exponendo: Et quandoq; ſunt cum ſpeciebus formicæ miliaris, id eſt, cum pruna & igne perſico, quæ poſſunt abſolui ſuper ſpecies formicæ miliaris malæ. Hæc uero ſolutio mihi nõ placet, neque uidetur ipſi Dino eſſe conſentiens: nam quum quatuor ponat Auicenna modos, ſuper quos abſoluitur nomen prunę & ignis perſici, ex quibus quartus eſt magis proprius, ſecundũ Dini expoſitionem: cur hunc tacuit Auicenna, & alium minus propriũ memorauit, uolens tamen ea quæ tam ignem perſicũ proprie ſumptũ, ꝙ etiam prunam comitantur oſtendere. Quare quum Auicenna ſub nomine formicæ miliaris ſcribat propria accidentia ignis perſici & prunæ, uel nõ differre prunã & ignẽ perſicũ à formica miliari exiſtimauit, uel magis cum hoc ꝙ cum alio aliquo morbo cõuenire. Idem tamẽ Auicenna ſuperius capite de apoſtematibus & puſtulis, ignem perſicũ non formicæ miliari, ſed potius eryſipelæ in naturæ uicinitate cõſociat, ubi ita ſcribit: At uero
B ex ſanguine groſſo malo fiunt ſpecies exiturarũ malarũ: nam ſi eius malitia uehemens fiat & ipſius aduſtio, proueniet eryſipela, & eueniet cõbuſtio, & cruſta, & deterior ea eſt ignis perſicus. Hic Auicenna facit ignem perſicũ non modo in materia, ſed etiã in forma cum eryſipela cõmunicare, licet ignẽ perſicũ dicat eſſe deteriorem. Torquent aũt hæc uerba Dinum atq; Gentilẽ expoſitores Auicennæ, coguntq; ipſos multa imaginari forte à ueritate aliena. Dinus ſiquidẽ tale apoſtema factum ex ſanguine groſſo nõ ueram eſſe eryſipelam arbitratur, ſed potius phlegmonem qui aſſimilatur eryſipelæ in accidentibus. Quod etiam uidetur ſentire Gentilis, qui nomen eryſipelę hic ſumi improprie fatetur. Sed cur tale apoſtema factũ ex ſanguine groſſo malo aduſto (ut inquit Auicenna) eryſipelæ, quæ fit ex cholera pura ſecundũ eundem Auicennã, ſimile iudicatur, & nõ magis anthraci, qui (ut inquit Galenus primo de differentȷs febriũ, & pluribus aliȷs in locis) fit è ſanguine melancholico ſuperaſſato? Idcirco neq; cum Dino neq; cum Gentile conſentio, quorũ alter uult eryſipelã & ignẽ perſicũ eſſe apoſtemata cholerica, alter ſanguinea quidem, ſed ad naturam choleræ declinantia: cur enim nõ magis ad melancholiam, quũ ſanguis ex quo generantur ſit melancholicus, qui tandem procedente aduſtione cõuertitur in melancholiã. Mihi quidẽ eryſipela atq; ignis perſicus hoc in loco ab Auicenna nominati, nõ aliter differentes, niſi quia alter eſt altero deterior, nihil aliud eſſe uidẽtur ꝙ anthrax, de quo Galen. multis, ut dixi, in locis facit mentionẽ, atq; ideo non eryſipelæ uel igni perſico ſimiles diſpoſitiones, ſed uera pruna uel ignis perſicus potius: Quæ enim hic Auicenna in eryſipelia et igne perſico ſcribit, cõbuſtionẽ ſcilicet et cruſtam, eadẽ tribuit Galenus anthraci, uultq; ipſum è ſanguine groſſo aduſto, ſicut etiam Auicenna hoc in loco eryſipelam & ignẽ perſicũ, procreari. Sed & eryſipelam eundẽ eſſe morbũ aliquando apud Arabes qui ſit apud Gale. anthrax, euidentius oſtendamus. Libro decimotertio Continentis apud Raſim iſta uerba leguntur: Dixit, ſcilicet Galenus, ſe

C cundo lib. Artis curatiuæ ad Glaucone͂, que͂ etiã Raſis paulò ante citauerat: Quoties ſanguis ſuperueniens ad membrũ fuerit ſuperabũdans groſſus & calidus, generabit cicatrice͂ ad modũ cocturæ ignis, etiã ſecus hulcus erit apoſtema calidum bulliens & ueheme͂tis doloris, & morbus ille appellat̃ eryſipela. Quod ſi ipſe ſanguis fuerit in diſpoſitione ſui in ſuperabundantia groſſi bulliente & caliditate, & tamen in ſe habuerit ęrugine͂ ſubtilem, infert ampullas ad modũ illarũ quæ accidunt ad cõbuſtionem ignis, & emanãtibus ipſis ampullis ſub eis apparebit illud hulcus habens cicatrice͂, & appellat̃ eryſipela ſimiliter. Hæc quide͂ omnia de eryſipela uerba ſumpta ſunt è ſecundo lib. Artis curatiuæ ad Glaucone͂, ubi Gal. duplicem modũ quo anthrax generat̃, exponit. Sed & idem Raſis libris Diuiſionũ eryſipelam & igne͂ perſicũ quaſi pro eode͂ morbo uidetur accipere, ita inquiens: Quandoq; in corpore egrediunt̃ bothor, & incipiunt uelociter peruenire ad hoc ut fiant cruſtæ nigrę aut uirides, & fiat illud quod eſt in circuitu earũ rubrũ, & coloris pauonis, tunc illud nominat̃ eryſipela & ignis perſicus. Pluribus tame͂ in locis Raſis lib. xiij. Continentis, facit ignem ſacrum uel perſicũ, non ſolum eſſentia ſed etiã accidentibus ab eryſipela differre. Nam lib. xiij. Cõtinentis ſcribit in hũc modũ de igne ſacro: Hic morbus accidit è ſanguine groſſo ebulliente, ſed in maiore parte incipit cum puſtulis præcedentibus eum, & quãdoq; accidit ſine puſtulis, uerũtamen omnino erit cum eo aliqua excitatio in loco in quo fieri incipit, & ex pruritu egredient̃ puſtulę, & poſt emanatione͂ ipſarũ efficiunt hulcus cum cicatrice imminenti ad ſimilitudine͂ cõbuſtionis ignis: Et quandoq; accidit una puſtula, quãdoq; plures paruulę ad modũ panici, & cum eis accidit febris uehementior febre phlegmonis & eryſipelæ. Alio aũt eiuſdem libri loco ſcribit igne͂ ſacrũ non ſolum febre acutiore, ſed etiam colore ab eryſipela differre. Hæc omnia ferè

D etiam ſcribunt̃ à Galeno & lib. xiiij. Artis curatiuę, & pluribus alijs in locis de anthrace. Sæpiſſime enim ubi Gal. ſcribit anthrace͂, Raſis ignem ſacrũ uel perſicum interpretat̃: quanq; ut etiã antea admonuimus, Arabes, & paſſim medici iuniores qui Arabum doctrinã ſequunt̃, aliud per anthrace͂, aliud per ignem ſacrũ uel perſicũ intelligãt, atq; ideo etiã prunã ab anthrace diſtinguãt, quũ tamen anthrax uerbum grecũ ſignificet latine carbone͂ uel prunam, ut Auicennæ interpres dicere maluit. Cur uero Auicenna atq; Raſis anthrace͂ de quo Gale. loquit̃ nõ modo prunam uel igne͂ perſicũ, ſed etiã eryſipelam aliquãdo nominarint, neſcire͂ aliam reddere ratione͂, niſi quam etiam ſuperius multorũ qui in Auicennę libris inueniuntur errorũ aſſignaui, malas ſcilicet græcorũ autorũ in linguam arabicã tranſlationes, in quibus nõ modo herbarũ, ſed etiam morborũ nomina plerunq; diuerſa notant̃: unde ſicuti eadem herba ſæpius apud Aui. ſub uarijs nominibus ſcripta, ita idem morbus diuerſimode nũcupatus reperitur. Poſſem multarũ herbarũ in quibus hic error accidit apud Auicennam exempla proferre, ſed unum tantũ uitandæ prolixitatis gratia hoc in loco cõmemoraſſe ſufficiet: In uolubili herba, de qua etiam eſt facta mentio ſuperius inter medicamenta quę in curatione formicę ſcribit Auicenna: hæc ſiquide͂ herba aliquãdo in litera C, cuſſos pro ciſſos, id eſt, hædera nominatur: aliquãdo in litera V, uolubilis maior, & tunc quoq; pro hædera ſumitur: Omnes enim quæ uolubili magnæ ab Auicenna tribuunt̃ proprietates, ut quod lac eius abradit pilos, & interficit pediculos, & q̃d folia eius recentia cõuenientia ſunt hulceribus magnis, & quod conſolidant decocta in uino, & ex eis emplaſtrũ factum ſuperpoſitũ aduſtioni ignis & proprie cum ceroto, & q̃d deſtillatur ſuccus eius in aure͂ doloroſam, & confert hulceribus antiquis in ea, & quod iuuet ſpleneticos cũ aceto: hæc inquã omnia hæderæ à Galeno aſſignant̃. Quod ſi quis mihi hoc in loco obijciat, nullo modo poſſe uolubilem pro hædera apud Auicennã intelligi, quoniã idem Auicenna inquit uolubile͂ magnam ſuo

lacte

A lacte abradere pilos & pediculos interficere,& aquam eius ſolutiuā:quum tamē hædera nō habeat lac,neq; ſoluendi ſed aſtringendi potius, ut de ea ſcribit Galenus,poteſtatē. Facilis eſt ad iſta reſponſio:nam ſicut Auicēna in capite de cuſſos, hæderę uires cum alterius herbæ quę ladanū fert,uiribus miſcuit,ut alibi oſtendimus: ita etiam hic hæderæ proprietates cum alterius herbæ proprietatibus,quæ uolubilis maior à Meſue & pluribus alijs nominatur,manifeſte confundit: Quę quidē uolubilis maior à Gręcis ciſſampelos,id eſt hædera uitealis,à Plinio cōuoluolum,uulgò campanella,quod etiā aliàs manifeſtauimus,nuncupat̄. Hæc autē hædera uitealis ſiue uolubilis maior ſiue conuoluolū,uel quocunq; alio nomine libeat appellare, lacte plurimo manat & aluum ciet. Idcirco Auicenna qui uiſus eſt neſcijſſe ueram hęderā ab hædera uiteali diſtinguere,ſicuti pro hædera uolubilem,ita lac pro lachryma poſuit:eſt enim ueræ hęderæ lachryma,nō autem hæderæ uitealis lac, cui tam à Galeno q̃ etiam à Dioſcoride is datur effectus,quod pilos abradat & pediculos interficiat. Quare Auicenna mixtis ambarū herbarum etiam natura diſtantiū poteſtatibus, magnā peperit confuſionē: Et ſicuti in morborum ita etiam in herbarū tractatione, capitulū in capitulo poſuit. Quos maxime errores inde arbitror habuiſſe occaſionē, quia uarij interpretes Arabes eaſdē non modo herbas, ſed etiam morbos uarijs nominibus nuncuparunt: Qui enim Dioſcoridē è gręca lingua in arabicā tranſtulit,hæderā gręco uocabulo,corrupto tamen,cuſſos nominauit: Qui autē Galenū cōuertit,pro hædera leleb,id eſt,uolubilem poſuit,quoniā hędera uitealis eodē nomine apud arabes appellat̄. Idem arbitror in uerbo anthrax cōtigiſſe, quod in quibuſdā Galeni libris, ſicuti quarto decimo Artis curatiuæ,ignis ſacer ſeu perſicus apud arabes interpretatur,in quibuſdam uero,ſicuti fortè in ſecundo Artis curatiuæ ad Glauconē,eryſipela: Vnde eſt ut tam Auicēna q̃ etiam Raſis eundem morbū aliquando ignē ſacrum ſeu perſicū,aliquādo eryſipelā nominarint, atq; ita ſibijpſis quandoq; cōtradixerint: ſicuti Raſis qui modo inter ignem ſacrū atq; eryſipelam ſtatuit differentiā,modo quæ ſunt ignis perſici proprietates eaſdem tribuit eryſipelæ: Auicēna uero nonnunquam ignem ſacrū atq; unam eryſipelā ſcribit è ſanguine groſſo generari, nō nunquam eryſipelam quidē ex cholera pura, ignem aūt ſacrum ex cholera permixta melancholiæ,maiore tamen cholerę portione. Quæ quidē cōtradictiones expoſitores latinos coēgerunt noua morborū genera, pręter illa quæ nimis multa natura mortalis hominibus dedit, falſa ibi imaginatione confingere,phlegmonem ſcilicet eryſipelæ ſimilem,quaſi nō ſufficeret phlegmon eryſipelatodes: hic enim alius eſt ab eo quem Gentilis imaginatur, & phlegmonē igni perſico ſimilem,quaſi ignis perſicus nō multas habeat apud Auicennā aliorum morborū,de quibus antea diximus,ſimilitudines. Huic tamē morbo adeò multiplici Auicenna penè ſimplicē adhibet curationem,illam ſcilicet quam Galenus ac Paulus ſcribunt ad anthracē, ut mihi nō paruam faciat admirationē,Auicennā non modo à Gręcis ſed etiam à ſeipſo in hoc morbo diſcordem,in uno tamen curandi genere eſſe concordē. Sed neq; Romani autores inter ſe de eodē morbo cōſentiunt,Pli. enim quemadmodū & Seruius in expoſitione carminis Vergiliani:

B

Tempore contractos artus ſacer ignis edebat.

Per ignem ſacrū,morbū intelligit quē græci uocant eryſipelata,Celſus diuerſum putauit,& quū ignem ſacrū deſcribit per minimas puſtulas aliquando ſerpentē, aliquādo ſummā cutem exhulcerantem, uidetur herpetem tam comedentem q̃ etiam miliarem de quibus antea diximus,ſignificare: Licet idem Celſus capite antecedente hulcus quod ſerpendo penetrandoq; uſq; ad oſſa corpus uorat, erpitaheſtiomenon à Græcis nominari aſſeruerit. Sed hoc genus hulcus græci medici

C periđores Hippocra. ſcilicet Galen. ac Paulus, ab eodem uorandi corpus effectu
Phagedena nominant, ſicuti alterū quod tamen nō attingit, ſed cutē tantū exhul-
cerat, erpeta heſtiomenon ſiue comedentem appellant. Viderint ergo qui ſolum
cultum atq; nitorē ſermonis attēdentes, Celſum faciunt medicinæ deū, malint ne
Celſo homini romano, an Hippocrati & reliquis celebris nominis græcis autori-
bus in græca morborū credere appellatione. Tantam uero de pruna, igne ſacro
uel perſico opinionū diuerſitatem, non modo longum opus foret improbare, ſed
etiam ſuperuacuū, quando & ſine alia confutatione ipſæ ſua ſe contrarietate ſter-
nunt. Quod ſi ex omnibus illam quæ uerior eſſe uidetur, uelimus capere, tum à
Galeno ac Paulo, tum etiam à Raſi tertiodecimo Continentis approbatam, quæ
ignem ſacrum aut perſicū ſiue carbonē uel prunam ita deſcribit, unà etiam ipſius
cauſam explicando: quum ſanguis melancholicus feruens in aliquod membrū
incumbere contingit, fieri eos quos carbones nominamus, qui ſunt hulcera cru
ſtoſa, magna quidē ex parte à puſtula incipientia, qualis in igne aduſtis apparet:
quandoq; uero ſine ea, ſed ſcalpitur quidem membrum omnino ab initio, deinde
nōnunq̃ una puſtula, aliquādo plures excitantur tenues, ueluti milium, quibus
diſruptis ſimiliter hulcus cruſtoſum fit ſimile his quæ à cauterijs fiunt, cruſta nō-
nunquam colorem cinericiū præ ſe ferente, aliquando nigrum, cum eo quod ba
ſi ſua firmiter adhęret, ac ueluti clauo fixa uidetur, alia carne circūſtante, ueluti in-
flāmata & nigricante uel etiam ſplendente, ſicuti aſphaltum & pix, talis enim eſt
quæ uerè atra bilis nominatᷣ. Si inquā ita ignem ſacrū aut perſicum ſiue carbonē
uel prunam (hæc enim omnia nomina eundem morbū apud diuerſos autores ſi
gnificant) deſignemus, ueluti etiam uidetur uoluiſſe Auicenna prunam & ignē
D perſicum lib. iiij. deſignare, licet ut multis alijs in locis ita hic & barbare & obſcu
re loquatur, talem morbum differre ab eo quem Gallicum nominamus, tum ex
multis alijs notis quæ alteri inſunt, alteri deſunt, demonſtratᷣ, tum etiam ex puſtu
lis quæ ſunt in morbo Gallico longe milio grandiores, ac præterea ex febre acu-
tiſſima, atq; aliquādo mortifera, quæ ut ſcribit Galenus xiiij. Artis curatiuæ libro,
& libro etiam De tumoribus contra naturā, & Raſis pariter tertiodecimo Conti
nentis, carbonē ſiue ignem ſacrum neceſſariò comitatur: quod etiam ex parte ſen
tit Auicenna, qui ſub nomine formicæ miliaris ignem perſicū afferre aliquando
febres perniţioſas inſinuat. Altero autē libri quarti capite, ubi agit de hulceribus
corroſiuis & putrefactiuis, qualia innuit eſſe ſecundū Galeni ſententiā ignē perſi
cum & formicam ambulatiuam, in huiuſcemodi hulceribus febrem multiplicari
aut inſeparabiliter adhærere aſſeuerat. Licet Dinus in eius loci expoſitione, nolit
ſecundū Galeni opinionē ignem perſicū eſſe hulcus putrefactiuū, ſed tantū cor-
roſiuū, atq; ideo plurimū febre uacare, neſciens forte Galenū nunq̃ in ſua lingua
de igne perſico, niſi ſub hoc nomine anthrax fuiſſe locutū: In cuius hulceris cura
tione idem Galenus libro xiiij. Artis curatiuæ damnat cataplaſmata, quæ uim ha
bent cōcoquendi & pus mouēdi, ne maior putredo ſuperueniat. Hulceri quoq;
ignis ſacri ſeu perſici adiunctā eſſe febrem atq; putredinē, teſtatᷣ Raſis libro xiij.
Continētis, ita ſcribens; Ignis ſacer eſt hulcus, in cuius loco accidit ampulla ſimi
lis ampullæ factæ ex igne cum cicatrice maligna, ſed in loco attinente ei erit apo-
ſtema inflammatū, prouocans febrem uiolentā ualde. Item Raſis in alio eiuſdem
libri loco ita ſcribit: Apoſtema calidū, accidens è ſanguine calido & groſſo, quod
appellatᷣ ignis ſacer, cum hulcere eius erit putrefactio. Dinus ergo uel iſta non ui
dit, aut differre ignem ſacrū à perſico apud Raſim, ſeu ignem perſicum ab anthra
ce apud Galenū exiſtimauit. Quare, ut diximus, morbus Gallicus uel hac potiſſi

mum

a mum nota ab igne perſico ſeparatur, quoniam qui Gallico morbo tentantur, febrem magna ex parte non habent, uel ita exiguam ut uix ſentiant. Si quę uero puſtulæ in hoc morbo apparuere ſubnigræ & cruſtis ſimiles, quales in igne aduſtis uiſuntur, eas puto potius ex eo fuiſſe genere puſtularũ, quas ſcribit Galen. libro qui De cholera nigra inſcribitur, ex atra bile citra febrẽ oriri, quæ hoc ipſo ab anthrace ſiue à carbone diſtinguuntur, quoniam hic cum febre, illa ſine febre fiunt. Non tamen morbum gallicum ſimplicem morbum, qui cum eiuſdem naturæ puſtulis omnibus eo laborantibus morbo accidat, atq; ideo uel puſtulæ melancholicæ uel eryſipelas, uel herpes, ſiue formica, uel aliquo uno nomine ſpeciali in cunctis poſſit appellari, iudicamus, quũ pro uarijs hominũ quos morbus iſte male habet compoſituris, aliæ alijs puſtulæ eueniant, in quibuſdam atram bilem, in quibuſdam flauam, in nonnullis pituitam ſalſam præſertim, & uarias præterea ſuperfluitatũ mixturas ſuo colore repreſentantes. Quare ut tota huius morbi natura, non autem una ſola particula facilius ueniat in noticiam, cauſas à quibus habuit originem paulò altius repetemus. Sic itaque dicimus, malum hoc, quod morbum gallicum uulgò uocãt, inter epidemias, hoc eſt, morbos populatim uagantes, debere connumerari. Hæc uero aut diuina ita ut theologi ſentiunt, aut ui aſtrorum, ut aſtrologi opinantur, uel ex certa aëris intemperie, quemadmodum medici arbitrantur, eueniunt. Nos medicos hac in parte ſequentes, cauſas naturæ proximiores aſſignabimus. Illud ſatis conſtat eo anno quo morbus gallicus cœpit pullulare magnam aquarũ per uniuerſam Italiam fuiſſe exuberantiã: Teſtis eſt Roma, quæ prima id malum ſenſit, in qua Tybris ita intumuit ut tota ſit facta nauigabilis: Quam rem Pomponius noſtri temporis poëta celeberrimus eleganti tetraſticho
b publica columna impreſſo deſignauit:

Tempore Alexandri Sexti, noniſq; decembris,
Intumuit Tybris bis ſenas circiter ulnas.
Inſula quæq; domus facta eſt, medijſq; repente
Circunducta uijs æquabat cymba feneſtras.
Deucalioneo uix tantum tempore tellus
Diluuium paſſa eſt, latuit cum tota ſub undis.

Nos uero duobus poſtremis uerſibus additis, hexaſtichõ ex tetraſticho fecimus, ſcilicet ut nõ modo eam quæ Romanã urbem, ſed quæ præterea magnã Europæ partẽ circa eadem tempora oppreſſit, aquarũ multitudinem cõprehenderemus, non aliter enim quàm in Romano Tybris, in agro etiam Bononienſi Rhenus, in Ferrarienſi & Mantuano Padus, in Venetia Atheſis, extra ſolitos limites exundarunt. Tantis deniq; imbribus annus ille ubiq; maduit, ut terris exinde humẽtibus atq; ſtagnantibus, minus mirandum ſit, æſtiuũ aërem ad illam ueniſſe intemperiẽ, calidã ſcilicet & humidam, quã medici atq; philoſophi omniũ putredinũ matrem eſſe confitẽt. Similem uel etiã peiorem aliquãdo fuiſſe, ea ſcilicet tempeſtate qua Gothi Italiã bellis infeſtabãt, ex qua ingens orta eſt peſtilentia, Blundus Forliuienſis hiſtoriarũ ſcriptor diligẽtiſſimus primæ Decadis uolumine octauo memorię prodit his uerbis: Imbribus nanq; multos dies continuantibus diluuiũ fore apparuit. Tybris tũc, menſe octobri prope exacto, adeò aquis intumuit, ut Romæ mœnia alicubi ſuperauerit, unde regiones urbis fluuio proximę maxima acceperunt incõmoda. Per Italiã uero ubiq; latuerũt campi & ex montibus collibuſúe omnis mota aratro gleba in cœnũ liquefacta ſimul cum aquis in ima eſt delapſa, ut fluminibus poſtmodũ intra ripas coactis, campi aqua deſtituti, limo nihilominus manſerint obtecti, & ſata quæ tunc primas iecerãt radices putrefacta ſint, nec eo autũno

C obtinēte omnia luto aliud ſemen terræ potuerit mandari, unde fames maxima breui eſt ſecuta: Sed nō ſolum famē ea attulit aquarū inundatio, uerū etiam aëra ſicuti & terram corrumpens, peſtilentiā oriri fecit, adeò ingentem ut maximā populorū partem ubiq; per Italiam abſumpſerit: Qua tactus labe Pelagius pontifex Romæ obijt. Hæc Blundus. Sed nō longo poſt temporū interuallo Bonifacio iiij. Romæ pontificatū gerente, ut ſcribit Platina, in libro de uitis pontificū, fame, peſte & inundatione quoq; eſt laboratū: Adeò ferè ſemper inundationis comes eſt fames ac peſtilentia, ut non temere priſci crediderint, immodicas fluuiorū excreſcentias nō ſolum ad præſens inferre damna, ſed alia inſuper mala futura portendere. Nam & his adhuc uigentibus malis Bonifacius eſt ſublatus è uita, & quędam eorū reliquię uſq; ad Deus dedit qui ſucceſſit in pontificatu tempora pertigerūt, terręmotus ſcilicet, quos, ut Ariſtoteles docet in lib. qui Metheora inſcribit, multitudines imbriū non minus quàm ſiccitates ſolent generare: quædā preterea ſcabies quæ, ut ſcribit idem Platina, ita tendebat ad elephantiā, ut deformitate cognoſci homines nō poſſent. Nónne magnā horum malorū partē, imò uero omnia in uarijs Italiæ locis noſtra hac tempeſtate perſenſimus? aquarū diluuia, ut diximus, annonæ ubiq; caritatem, in quibuſdam ciuitatibus peſtilentiā, ac præterea terræmotus: Quorū nullā aliā cauſam niſi *nimiam aquarū exuberantiā poſſumus* aſſignare, cum hi maximi illis *contigerint ciuitatibus* quæ ſub cœlo ſunt humidiore, ueluti Ferrariæ, & quibuſdam oppidis *circunſtantibus*, quæ nunc adeò tremuerunt ſicuti eo anno quo aquarū *inundationes* incœperūt. Scabies uero, ſi ſcabies eſt appellāda, per uniuerſam aparuit Italiam & adhuc perſtat, adeò fœda, ut pleriq; medici quadam decepti ſimilitudine, elephantiaſim eſſe putauerint: Sunt enim puſtulę partes primū obſcęnas, deinde reliquū corpus atq; ipſam præcipue faciē, ut ab initio operis diximus,

D occupantes: quarū primi ortus cauſam ſi ſufficienter expoſuerimus, magnā morbi gallici naturæ partem explanaſſe uidebimur. Sed ut hoc cōmodius & maiore etiā cum fide faciamus, duos medicorū principes Hippocratē atq; Galenū in medium adducamus. Hippocrates tertia particula aphoriſmorū illo aphoriſmo, quo morbos æſtiuos connumerat, ita pronunciauit: Aeſtate uero quædam horū & febres cōtinuæ & ardentes, & tertianæ plurimæ & uomitus, & alui profluuia, & oculorū atq; aurium dolores, & oris exhulcerationes, & pudendorū putredines atq; ſudamina. Galenus uero partem illam aphoriſmi quæ ad noſtrum propoſitū attinet in hunc modum exponit: Liquet autem quod oris hulcera fiunt ex humore bilioſo, Pudendorū uero putredines non ſimpliciter accidunt, ſed quando magis humida æſtas, uel ſine flatibus uel auſtro flante contigerit: Vbi enim plurimū à naturæ modo ad humiditatem & flatuū carentiam receſſerit, nō modo pudendorū ſed cuiuſlibet partis alterius putredines facit, qualis fuit ille temporis ſtatus qui & in tertio Epidemiarū libro, & in ſecundo circa initia deſcribit. Exiguæ uero aëris euerſiones ideo attingunt pudenda, quoniam hæc propter caliditatem atq; humiditatem ſuapte natura ex qualibet occaſione ſunt apta putreſcere: adeò ut quādo etiam ſuā æſtas ſeruauerit temperaturā, qui multis infeſtantur ſuperfluitatibus, cum hæ aliquam ob cauſam ad pudenda defluxerint, ipſorum putredinem patiantur. Sudamina uero ſunt ex genere puſtularū quæ ueniunt in ſuperficie, & cutem hulcerū inſtar exaſperant: fiunt autem, ut etiam ipſum indicat nomen, ex multis ſudoribus, quando hi uel bilioſiores uel omnino mordaciores extiterint, mordent enim cutim & pruriginoſam reddunt, atq; in modum hulcerū aſperant. Iam ex iſtis Galeni uerbis Hippocratis ſenſum interpretantis, unicuique patere arbitror cauſam eius effectus de quo homines plurimū ſunt admirati. Si enim puſtulæ quas morbum gallicum nominamus, nihil aliud ſunt niſi quædam ſuperfluitatū ſua multitudine

A tudine corpora humana infeſtantiũ germina, eas partes quæ ſunt magis putredini obnoxiæ (ſunt aũt hæ præcipue obſcœnæ, propter earũ, ut inquit Galenus, caliditatem atq; humiditatẽ) priores ſentire putredinẽ, deinde illas quæ non æque ſunt ſuapte natura ad patiendum aptæ, non modo fit ueriſimile, ſed propemodũ neceſſariũ. Cauſa etiam in promptu eſt, cur eædem puſtulæ non pudenda tantũ, ſed etiã reliquũ corpus infecerint, nimia ſcilicet æſtiui aëris in humiditate intemperies, quæ (ut inquit Galen. in expoſitione aphoriſmi nuper allegati) nõ modo in pudendis, ſed in qualibet alia corporis parte putredines facit: qualem etiã aëris ad nimiã caliditatem atq; humiditatẽ euerſionem, & ij. & iij. pariter libris Epidemiarũ fuiſſe ab Hippocrate tactam Galenus etiam in nuper dicta expoſitione teſtatur. Quũ uero hanc quæ noſtro tempore cõtingit intemperiẽ illi de qua ſcripſit Hippocrates ferè ſimilẽ fuiſſe arbitremur, an etiã mala ſimilia genuerit uideamus: Hoc autẽ liquidò uideri nõ poteſt, niſi quæ de ſuæ ætatis intemperie græce ſcripſit Hippocrates, latine proferanẽ, quũ ut multis alijs Hippocratis libris, ita præcipue eiuſdem autoris Epidemijs fideliter translatis careamus. Hæc ſunt ſecundo libro Epidemiarũ Hippocratis uerba: Carbones in Cranone æſtiui, pluebat in æſtibus, aqua exuberante continue, fiebant autem magis auſtro flante, & ſuberant quidem in cute humores quidam liquidiores, qui intercepti incaleſcebãt & pruritũ faciebãt, deinde ueſicæ ueluti in igne aduſtis excitabanẽ, ac ſub cuti exuri uidebãtur. Sed hæc quidẽ aëris intemperies uno tantũ tempore, æſtate ſcilicet, cõtigit: quæ uero in iij. libro Epidemiarũ ab eodẽ Hippocrate ſcribitur, totũ annũ, ſicuti hæc noſtra, ferè ſuperflua humiditate maculauit. Audiamus igiẽ Hippocratẽ ita de hac anni totius infectione loquentẽ: Annus (inquit) erat auſtralis, abundans pluuijs. Deinde non multo

B poſt: Quũ autẽ totus annus auſtralis & humidus & mollis factus eſſet. Mox quæ ex eadem totius anni intemperatura ob ſuperfluitatũ putredinẽ hominibus mala euenere cõnumerat, atq; inter cætera eryſipelata, oris hulcera, gutturis paſſiones, pudendorũ puſtulas, carbunculos, oculorũ inflãmationes, uentris perturbatiões. Deinde quales eſſent fluxiones enarrans, ita ſcribit: Erat autẽ fluxio cõſiſtens nõ puri ſimilis, ſed quidam alius putredinis modus. Poſtremo inferius uolens oſtendere omnimodæ putredinis mala, ita inquit: Pluribus erant ora affecta hulceribus quæ aphthæ uocantur, fluxiones exhulcerantes, plurimæ exhulcerationes, circa pudenda tubercula intrinſecus & extrinſecus, quæ multorũ intuitus corrũpebant quales ſunt quæ ficus appellanẽ: Oriebãtur & in alijs hulceribus plurima, & in pudendis carbunculi multi æſtiuo tẽpore, & alia quæ putredo uocanẽ magna enthymata, herpetes plurimis magni. Quis nõ ſimilem noſtri temporis epidemiã ex uerbis Hippocratis recognoſcat? Quot enim fuerint qui & oris hulcera, & herpetes labra aliquãdo exedentes, & nigras puſtulas carbunculis ſimiles, pruritũ nõnunq; intolerabilẽ ingerentes, & multa alia tubercula, quãdoq; etiam oculos infeſtantia, pertulere, nõ expedit cõmemorare, quãdo hæc inſigniora fuerũt quàm ut egeant enarratione. Vt igitur tandẽ morbi gallici naturã ſummatim cõprehendamus: Hic nõ unus ſpecie, ſed tantũ genere exiſtit, poſſumusq; ipſum hoc pacto deſcribere: Morbus gallicus eſt, puſtulæ ex uaria humorũ corruptione generatæ, propter nimiã aëris in calore atq; humiditate præſertim intemperiẽ, pudenda primũ, deinde reliquũ corpus cũ magno plerunq; dolore occupantes. Cur pudenda primũ, deinde reliquũ corpus obſederint, cauſam antea ex Galeni expoſitione aſſignauimus. Sed neq; difficile eſt cur idem morbus ſęuũ quibuſdã dolorẽ intulerit, reddere rationẽ, quũ præſertim id prius fuerit obſeruatũ illos maiorẽ ſenſiſſe cruciatũ quibus uel nullæ, uel paucæ admodũ puſtulæ in cute exteriore apparuerũt. Humor enim noxius quẽ natura imbecillior tentauit qdẽ, nõ tamẽ potuit ad exteriora ꝓpellere,

Morbi gallici deſcriptio.

C tandẽ in articulorũ neruos incubuit, ibiq; ingentẽ dolorẽ excitauit. Duobus etiã inter cæteros modis, ut inquit Galenus in expoſitione aphoriſmi tertiæ particulæ qui ita incipit: *Vere enim* atræ bilis ægritudines atq; furores, & morbi comitiales: ſolet ſe natura oppreſſa releuare, uel ſcilicet materiam inutilem à membris intimis ac principalibus ad extimã cutim emittẽdo, uel ad partes ignobiliores quales ſunt glandulosæ, & articulorũ compagines detrudendo. Sunt enim hæ præ cæteris ad ſuſcipiendas aptæ ſuperfluitates, ut conſtat ex Galeni expoſitione in aphoriſmum quartæ particulæ ita dicentem: Quicunq; in febribus laſſitudinem habẽt, ijs ad articulos atq; maxillas abſceſſus fiunt. Primũ innuit Hippocrates modum quũ in altero aphoriſmo lichenas, lepras et puſtulas hulceroſas inter morbos uernales, quorum nõnulli iuxta eundem Hippocratẽ æſtati cõmunicant, enumerat: Secundũ uero, quũ phymata quæ ſunt tubercula proprie in partibus glanduloſis, ut Paulus atq; Galenus ſentiunt, orientia, ac præterea articulorũ dolores adiungit. Quare in morbo gallico una eademq; materia & puſtulas facere, & dolorem in articulis creditur excitare: ac quantũ ad hoc attinet nõ duo morbi, ſed unus tantũ, cuius dolor eſt ſymptωma, reputatur. Illi enim ipſi qui nullas habent puſtulas in ſuperficie exteriore, ſimiles tamen abſceſſus habere intrinſecus poſſunt, cum maiore aliquãdo (ut diximus) cruciatu: *Imò nonnulli medici in quibuſdam* mortuis quos morbus gallicus *uiuẽtes infeſtarat, eius morbi explorãdi gratia diſſectis* ita eſſe deprehenderunt. *Cui quidem rei* præter ſenſum etiam ratio adſtipulatur, quoniã, ut inquit Galenus, *in libro qui* De cholera *nigra inſcribitur*, haudquaq; credendum eſt partes interiores eſſe adamantinas, ut nõ eiſdem quibus uidemus exteriores affici noxis ſubijciantũ. Hæc habui quæ de morbi gallici natura, cauſis ue cum morbi ipſius

D tum caſuũ eidem morbo aſſidentiũ ſcriberem. Quod ſi quis fortè à me expectabat, ut morbum gallicũ uno aliquo nomine apud antiquos uſitato tanquã ſimplicem ſpeciem deſignarem, non potuiſſe me aliter, quàm ipſius morbi natura multiplex exigebat, explanare tandẽ intelliget, ſi animaduerterit Hippocratem tantũ in doctrina uirũ, ſimilem epidemiã ex ſimili cauſa ſuo tempore factã per uaria hulcerũ atq; tumorũ genera deſcripſiſſe. Quod ſi quis plus ſe Hippocrate ſapere arbitratũ, is morbũ gallicum tentet melius definire: nos quæ de eodem morbo ſentiebamus pro noſtri ingenij imbecillitate præſenti opere in mediũ contulimus. Si quis uero etiam illud à me poſtremo exigebat, ut quibuſnã eidem morbo remedijs ſuccurratur edocerẽ: qui ut multiplex eſt, ita multiplicẽ curationẽ deſiderat, id me non ſine multa operis prolixitate facere potuiſſe quiſq; peritus iudicabit, quũ in ſingula puſtularũ genera ſingula medicamẽta ſcribenda fuerint, quibus tamen plena ſunt omniũ ferè uolumina medicorũ. Quare eadem hoc in loco repetere, non modo longus ſed etiã ſuperuacuus fortè labor fuiſſet. Illud tamen in uniuerſum uolo admonere, cauendũ eſſe à medicis, ne more mali ſutoris eodem calceo pedes omnes induere laborantis, ipſi quoq; morbũ gallicũ eadem in omnibus medicina ſanare ſtudeant, ne ue etiã quod plurimi faciũt deceptores, parũ puro corpori unctiones ex reprimentibus ſuperinducãt, hæ enim ut cutem aliquãdo liberant atq; in præſentia leuant, ita morbũ uertunt ad interiora, & faciũt priorẽ perículoſiorẽ. Quare ut

Morbi gallici curatio.

etiã aliqua ex parte curãdi uiam ac rationẽ attingã, nihil adeò expedire in hoc morbo puto, q̃ plenis uenis multũ ſanguinis mittere: ſicuti ubi flaua bilis in corpore redundauerit, hunc præcipue humorẽ cõuenienti pharmaco euacuare: ubi atra inualuerit, hanc quoq; idonea educere medicina: ita & ſalſam pituitam & quaſcunq; alias totius corporis ſuperfluitates proprijs medicamẽtis expurgare. Et quoniã ut ſentit Galen. atq; etiã Auicen. raro humores ſimplices puſtulas ſimplices faciunt, ad morbos cõpoſitos cõpoſita etiã medicamenta ſunt adhibenda. Quæ curationis

ratio

a ratio nõ modo in his quæ intra ſumunt̃, ſed & in illis quæ extrinſecus imponunt̃, eſt (ut arbitror) obſeruanda: quoniã ſicuti nõ eædẽ omnibus purgationes, ita neq; unctiones proſunt. Quantũ uero ad uictus attinet modum, in eo ſeruando duorũ præcipue aphoriſmorũ, qui ſecunda particula ſcribunt̃ ab Hippocrate, debemus meminiſſe, quorũ alter corrupta corpora quanto magis nutriunt̃, tanto plus lædi pronunciat: alter uero & hoc ipſum inſinuat, & præterea corrupta ab integris dignoſcere docet: ubi enim fauces ęgrotant aut tubercula naſcunt̃ in corpore, conſideranda eſſe excrementa proponit: Si enim billioſa fuerint, indicio ſunt corpus male ſe habere: ſi ſanis ſimilia, poſſe corpus ſine periculo ali. Qualia etiã debeant eſſe quæcunq; offeruntur alimenta, ex ijs quæ ſuprà diximus conſtare arbitramur; talia ſcilicet quæ humores minime malos aut ad putreſcendum paratos ſint apta generare, quæ deniq; cauſis morbũ facientibus contrariã omnino habeant naturam. Hæc ſunt quæ de morbi gallici curatione ſummatim breuiterq; pertranſeo, fortè altero uolumine latius executurus, ſi hanc primã noſtrã contemplationẽ gratam fuiſſe legentibus intellexero. Tantum tamen abeſt ut quæ uel ad aliorũ opinionũ confutationẽ uel ad propriæ opinionis ſcripſi corroborationẽ loco ſententiarũ haberi uelim, ut ultro omnis medicæ artis profeſſores horter ac rogẽ me in meis ſcriptis diligenter examinent, corrigant, atq; redarguant, paratũ quæ me male fuiſſe opinatũ demonſtrauerint, ut philoſophum decet, retractare.

DE MORBO GALLICO LIBRI FINIS.

NICOLAVS LEONICENVS VICENTINVS VENERABILI VIRO IACOBO GALINO S.

QVI magis quàm tibi hanc mearum translationũ apologiam uir uenerabilis IACOBE GALINE dedicarẽ, non habui. Qui quoties mihi occurris (occurris autem ſæpius) conſuetus es me de meis ſtudijs frequentius interrogare: de quibus quum nihil aliud tibi poſſem reſpondere, niſi ea iampridem refrixiſſe: huius refrixionis cauſam nõ deſtitiſti curioſius perquirere: quam cum uellem aliquo autore grauiſſimo atq; doctiſſimo, cuius ſcripta lectitando ſoles animũ tuum aliquãdo oblectare, tibi reddere probabiliorem, dixi me ad extremũ coactum fuiſſe Eraſmi Roterodami probare ſententiã, qua ille in ſuo opuſculo lepidiſſimo, cui titulum fecit Moria, omnes illos miſeros potius q̃ beatos exiſtimat, qui, ut nomen immortale conſequant̃, tot laboribus atq; uigilijs, tanto diſpendio temporis, inanem quandam gloriolã apud bonos ac doctos, eoſdemq; pauciſſimos inutiliter emunt: econtra à pluribus inuidis atq; malignis inuidiam ac maleuolentiã comparantes. Quod mihi hoc æui contigit, qui cupiebã animo ab omni moleſtia uacuo in traducẽdis Galeni medicorũ principis de medicina libris cõquieſcere. Verum quia, ut neſcio quis poëta inquit, rabiem liuoris acerbi nulla poteſt placare quies, offendi quorundam improborũ hominũ importunitatem ac loquacitatẽ, qui mihi negociũ faceſſere ſtuduerunt, meas inuidiæ dentibus mordentes translationes, atq; impreſſorũ errata pleraq; autoris inſcitiæ tribuẽtes. Quorũ calumnias dum cogor refutare, non poſſum interim operi utiliori & multis optimis uiris medicæ artis ſtudioſis futuro gratiori, tranquillo animo uacare. Hæc tu à me audiens, non deſtitiſti me tuis prudentiſſimis atque amiciſſimis uerbis conſolari: Quid eſt Leonicene quod propter nonnullorũ hominum tibi inui-

C dentium calumnias tantopere cõmoueris? an te ſolum fuiſſe putas ex literatis, qui obtrectatores inueneris? tu ne iam exactæ ætatis homo neſcis hos eſſe inuidiæ mores, ut ſemper alta petat, & humilia quæq; deſpiciat? illi ipſi qui tuam famam quærunt dehoneſtare, ſi ignorabilem te hominem putarent, & niſi te ſcirent aliquod nomen in ſtudijs gerere, nollent tecum de doctrina certare: quare quod ſuſpicaris tibi fore ignominioſum, potius accedet ad gloriam. Illa uero inducta ab Eraſmo uiro in omni doctrinarũ genere excellentiſſimo Moria, non tam ad ueritatem exprimendam mihi loqui uidetur, quàm ad reprimendam quorundam alienæ uirtuti inuidentium malignitatem, quam & ipſe in ſeipſum aliquando expertus eſſet, quam & ego ipſe ſemper ſum deteſtatus. Licet illos non improbandos cenſeam, qui ueritatis inquirendæ ſtudio, non inuidiæ ſtimulis agitati, etiam amicis contradicunt, abſit modo maledicentia, & ſit potius ſtudiorum contentio, quàm plena odij atq; furoris concertatio. A quibus uitijs Ioannem Mainardum noſtrũ longe abfuiſſe uideo: qui etſi abs te in ſuis epiſtolis medicinalibus aliquando diſſentit, in pluribus tamen id quod tu ſentit. Et in aphoriſmo Hippocratis malæ traductionis (ſic enim ipſe opinatur) errorem, in græcum codicem deprauatum reijcit, & excuſat interpretes. Hoc tuo ſolamine mirum in modum recreatus, fui inſuper ad hanc ſcribendam apologiam excitatus. Quam idcirco tui nominis immortalitati dedicãdam cenſui, ut ſi à te uiro grauiſſimo atq; doctiſſimo (ut ſpero) probabitur, nemo auſit deinceps mearum tranſlationum oblatrare ueritati.

D NICOLAI LEONICENI

VICENTINI, CONTRA SVARVM TRANSLATIONVM OBTRECTATORES APOLOGIA.

QVVM Galeni medicorũ principis artem medicinalẽ, & eiuſdem cõmentationes in aphoriſmos Hippocratis à me è græca lingua in latinũ ſermonem conuerſos, eſſem æditurus, præfandum duxi quot difficultates ſoleant huic interpretandi ſtudio incumbentibus euenire. Vnam tamen omiſi, quã poſtea in me ipſo non ſine meæ famæ periculo didici, eorũ ſcilicet qui chalcographi uocantur, incuriam: qui ſæpiſſime bonas etiam traductiones ſuæ fidei ad imprimendum cõmiſſas, quamplurimis erroribus implent atq; deprauant, criticis atq; malignis, quorũ plena ſunt omnia, dantes occaſionem alienas lucubrationes quantumuis laborioſas & pro cõmuni utilitate ſuſceptas cauillandi. Contra quod calumniandi uitium unicũ tantũ remedium inuentũ eſt ab eruditis, in calce impreſſi operis caſtigationes apponere: quod ego in meis tranſlationibus hactenus non potui facere, quoniam fideliũ codicum inopia laboraui. Vt enim de alijs taceã, aphoriſmorũ Hippocratis cum Galeni cõmentationibus, quos pridem ſum interpretatus, primã impreſſionẽ non habui corrigendi, & impreſſorũ errores caſtigandi, facultatẽ, quũ unicũ tantũ exemplar idq; ſatis mendoſum, cũ eaſdem cõmentationes interpretarer, habuiſſem. Sperabã tamen aliquãdo uel bona fortuna, uel alicuius amici opera, meliorẽ codicem & fideliorẽ ad manus meas peruenturũ, ex quo poſſem primæ impreſſionis errores emendare, & ſi qua fuiſſent uitio prioris exemplaris prætermiſſa, ſupplere, uel ſuperflua reſecare, uel etiã ex malo codice male traducta cõmutare. Tandẽ pro uoto datus eſt mihi liber

antiquiſſimus

A antiquiſſimus, quem propter uetuſtatẽ quiſpiam putaret eſſe uel Galeni, uel ipſius Hippocratis archetypũ, & quod ad rem maxime attinet, meo quidem iudicio, ſatis emẽdatus, & à Lazaro Baſſianẽſi uiro & græce atq; latine doctiſſimo, qui eum ad me ex Venetijs attulit, plurimũ collaudatus: Qui liber me excitauit, ut nouam impreſſionem eorundem aphoriſmorũ Hippocratis cum Galeni commentationibus denuo faciendam curarem. Vt tamen hæc noua impreſſio tutior ueniat in lucem, & liuidorum dentibus ſit minus obnoxia, ſtatui prius quaſdam delere maculas, quibus nonnulli partim æmuli, partim amici priorem impreſſionem maculare tentarunt: illi quidem, ut mos eorum eſt ac ſemper fuit, cauillandi gratia: amici uero tuendæ, ut aiunt, ueritatis cupiditate, quæ ſit omnibus rebus, etiã amicitiæ anteferenda. Honeſta quidem cauſa, ſed parum ueriſimilis: hac præſertim tempeſtate, in qua tanta eſt hominum ambitio, ut neq; uiuentibus etiam de ſe benemeritis parcant, ut ſibi famam ex aliena infamia quærant: Et ne liuoris malitia hoc facere uideantur, eorũ ad quos hæc iniuria pertinet, laudes intermiſcent, ex hoc quoq; ſibi gloriam comparãtes, ſi illum, qui à ſe & pluribus alijs fuerit collaudatus, docta ſimul & iuſta reprehenſione notauerint. Sic Hectoris fortitudinem Homerus laudat, ut maiorẽ Achillis, qui illum occidit, uirtutem oſtendat. Sic noſter Maro Turnum, ut Aeneæ de ipſo uictoria illuſtrior appareat. Res tamen plerũq; ita in hoc literarum ſicuti in armorum certamine alium quàm ſperabatur habet euentum, & illi ſuccumbunt qui primi ad certamen prouocarũt: & unde ſperabant ſe nomen aſſecuturos, inde contrariã ſibi pariunt ignominiã. Quod nos ſperamus & æmulis noſtris, de quibus antea diximus, & amicis pariter euenturum: quos tamẽ amicos nos, qui ſyncerius amicitiam colendã ducimus, minime uellemus dehoneſtare: dolemus autem impoſitam nobis neceſſitatem, pro noſtro honore tuendo, eos acrius reprobãdi: quam rem decet ipſos æquo animo ferre, quoniam multum interſit an quiſpiam iniuriam inferat an propulſet. Primus eorũ Iacobus Carpus, uir tum in omni medicinæ parte egregie doctus, tum in ea quæ ad anatomen pertinet apprime exercitatus, deniq; inter noſtræ ætatis chirurgos extra omnem controuerſiam obtinens principatũ, auſus eſt meam tranſlationem aphoriſmorũ Hippocratis & Galeni cõmentationum in eoſdem aphoriſmos quodam in loco reprehendere, in eius ſcilicet aphoriſmi commentatione, qui ita ſcribitur circa finem ſextæ particulæ: Si omentũ exciderit, neceſſe eſt putrefieri. Quæ quidem reprehenſio nõ admodum mihi moleſta fuiſſet, niſi talem mihi ignorantiam obieciſſet, qualem Galenus Theſſalo, & Theſſali aſſectatoribus, quem aliquando propter ingenij hebetudinem & medicæ artis imperitiam aſinum ſolet nominare, non dubitauit impingere libri ſui de Arte curatiua uolumine ſexto, ubi ita ſcribit: Theſſalus uero & eius aſſectatores iſta ignorant, ueluti ſi abdomen tam profundum uulnus accipiat, ut inteſtinũ excidat, quomodo hoc reducere oporteat: & ſi omentũ exciderit, nunquid abſcindendum ſit uel non abſcindendũ. & reliqua quæ ſequuntur. Talem mihi inſcitiam, ut dixi, Carpus aſcripſit, qui opinatus fuerim, omentũ, ſi modo peritoneum exciderit, à cute tamen & alijs abdominis partibus contegatur, ita ut aëris extrinſeci occurſu non offendatur, neceſſariò putreſcere, atq; ideo abſcindi oportere. Quam tamen opinionem Carpus probat eſſe falſam, argumento eorum qui herniam, quam ipſe girbalem uocat, patiuntur. In quibus licet omentum peritoneum exierit, non tamen putreſcit, ſed integrum quamuis extra proprium permanet locum. Vt autem melius & quid Carpus amico iniuſte imputauerit, & quàm facile poſſim hanc meis tranſlationibus maculam illitã abluere intelligatur, eiuſdem Carpi uerba ſubijcientur; ſunt autem hæc in libro ſuo cui titulum fecit

Mars dubius.

B

Lib. 6. Aphor.

C Expoſitio Anatomiæ Mundini cum additionibus Carpi: Vnum aliud nolo pertranſire ſup prædicto aphoriſmo, quod interpretatio Nicolai Leoniceni uiri profectò omnium bonarũ literarũ cõſummatiſſimi, maxime in commento dicti aphoriſmi, Si omentum exciderit neceſſe eſt putrefieri, non concordat ueritati: dicit ibi Leoniceni interpretatio, quando exciderit, ſcilicet omentũ, hoc eſt, quando nudatum fuerit, & extra peritoneũ &c. uſq; ibi, credo hęc uerba eſſe Galeni: ſed hæc eſt additio Leoniceni, ſcilicet id eſt membranam abdominis interiorem omentũ exierit &c. hæc eſt litera Leoniceni quæ nõ uadit ad mentem Galeni: quia oportet ad hoc quod putreſcat omentũ, quod exeat etiam membranam exteriorem abdominis ſcilicet cutem, non autem interiorem, ſicuti dicit interpretis litera, & quod alteretur ab aëre: quia ſæpiſſime exit omentum membranam interiorem abdominis & non putrefit, imò nunquam putrefit niſi exeat exteriorem membranã, niſi fortè putreſcat à cauſis cancrenantibus & ſimilibus: nam in hernijs girbalibus ſemper omentum exijt membranam interiorem abdominis & nũquam putrefit. Sic ergo ſint contenti audientes de iſto ſenſu à nobis dato, & mihi parcat tanti uiri reuerentia, quia amicus Plato, magis amica tamen ſit ueritas: Vel dicamus, ſaluãdo tantum uirũ, quod illa litera *Interior*, *eſt corrupta ab impreſſore*, et quod debet dicere, exterior & *interior ſimul*: & ita eſt bona ſentẽtia & bona litera, ſicuti bene ſe habet litera traductionis antiquæ quæ dicit, quod putrefit omentũ, ſi exierit omnes pelliculas uentris, quæ pelliculæ uocantur ſiphac largo modo ſumptũ, & græce peritoneum: nam ſicut dicitur à peri quod eſt circum, & tendo uerbo, teſte Galeno, quarto de utilitate, capite nono: & ita peritoneũ indicat large omnem panniculũ apud Græcos, ſicuti ſiphac apud Arabes: & ideo loco allegato Galenus dicebat, Alia au-

D tem utilitas huius peritonei: ex quo inferũ quod ſunt plures peritonei, ſicuti ſunt plures panniculi. Hæc quidem omnia Carpus ad literam. Qui de re parua & nullius ferè momenti magnum facit litigium, non quidem animo amicum cauillandi, quem tanta cum reuerentia reprehendit, ut neſcias plus ne laudis an uituperationis ei tribuat: Cui etſi rei non multifaciendæ aſcribit ignorantiam, omnium tamen ſcientiarũ donat cognitionem. Verum tota reprehenſio non ex aliqua (ut dixi) malignitate, ſed ex malo potius uerborum meæ translationis intellectu habuit occaſionem. Verba ſunt hæc: Membranã abdominis interiorem: Quæ uerba Carpus opinatur à me falſò & pręter Galeni ſententiã eiuſdem Galeni cõmentationi fuiſſe ſuperaddita: & non animaduertit ea eſſe uerbi græci peritoneum interpretamentum. Nam quum lingua latina non habeat proprium nomen impoſitum illi membranæ, quæ tegit omentum & reliqua uiſcera interiora, quam Græci uno uocabulo peritoneum uocant, barbari ſiphac, cogimur illam per quandam circumlocutionem deſignare, ueluti Celſus linguæ latinæ autor eximius in ſui de medicina libri uolumine quarto, capite primo deſignauit his uerbis: Ipſa autem ilia inter coxas & pubem imo uentre poſita ſunt: à quibus ac pube abdomen ſurſum uerſus ad præcordia peruenit: ab exteriore parte, euidẽti cute, ab interiori, leni membrana incluſum, quæ omento iungitur, περιτόναιος autẽ à Græcis nominatur. quæ uerba Celſi non intelligens Simon Genuenſis, putauit autore Celſo non membranam interiorem, qua includitur abdomen, ſed ipſum abdomen, à Græcis peritoneũ nominari, nam in litera P, ita ſcribit Cornelius Celſus: Abdomen, quod Græci peritoneum uocãt. Quo quidem errore etiam Carpus implicatur. Nam niſi uelit in illud abſurdum, quod mihi falſò obiectauit, incidere, quod uidelicet omentum, ſi extra unam tantum peritonei, ſeu (ſi barbare loqui uelimus) ſiphac, & non omnes pelliculas procidat, neceſſariò putreſcat, fateri cogitur ſiphac uel peritoneũ idem eſſe

Simonis Genuenſis error de abdomine.

quod

A quod abdomen. Omnes ſiquidem pelliculæ extra quas ſcribit antiqua translatio omentum exire neceſſariò, ſi debeat putreſcere, conſtituunt mirac uel abdomen, & non ſiphac ſeu peritoneum: Quem ueteris translationis errorem animaduertit etiam Vgo Senenſis uir perſpicaciſſimo ingenio, & ſingulari doctrina præditus, & non potuit aliter quàm per æquiuocationem ſiphac uocabuli barbari excuſare. Et ne uideamur ueterem translationem atque eius ſectatores præcipue Carpum, qui eam mea iudicat fideliorem, indicta cauſa damnare, uerba ipſius Vgonis eandem translationem commenti Galeni in aphoriſmum de quo eſt præſens diſputatio exponentis ſubijciemus: De parte ſecunda dicit, quod ipſe per omentum intelligit cooperimentum, quod eſt immediate ſuper inferiorem partem ſtomachi, quod uocatur uulgariter Rete, quod quum exierit ab aggregato ex omnibus pelliculis totũ uentrem cooperientibus, quod uocatur ſiphac, &c. deinde Vgo propter illa uerba quod uocatur ſiphac nõ temere dubitauit, quia, ut inquit, ſiphac uidetur dici non de aggregato ex omnibus cooperientibus uentrem, ſcilicet cute & muſculis, & pinguedine, imò mirac, ut patet uigeſimaſecunda tertij, capite primo circa finem. Quam dubitationẽ idem Vgo, ut ante dixi, ſoluit in hũc modum: Hic dicitur, quod multoties ſeu multipliciter & æquiuoce dicit̃ ſiphac de quolibet panniculo cooperiente, & hic ſumitur ita. Eligat ergo Carpus antiquæ translationis aſſertor utrum malit, an ſiphac ſeu peritoneum plures habere pelliculas, quibus etiam exterior cutis annumeretur, & ita ſiphac fiat mirac: ſeu ſi græce atque latine & non barbare loqui uelimus, peritoneum fiat abdomen: qui fuit error Genuenſis Celſum perperam allegantis: Aut ſi peritoneum ſiue ſiphac una tantum pellicula conſtet, ut re uera conſtat, eundem errorem uelit incidere, quem mihi falſò in
B ſuo opere tentauit impingere. Verum ut opinor, primum potius acceptabit errorem, quia ut in ſuo opere ſcribit, tam ſiphac apud Arabes, ꝙ peritoneũ apud Græcos dupliciter dicitur, large ſcilicet & ſtricte. Sed meminerit Carpus nos in præſenti diſputatione non de uocabulo barbaro ſiphac, ſed de græco potius ſcilicet peritoneo contendere, pro quo uerbo translatio antiqua habet ſiphac. Si uero putat Carpus ita apud Græcos, præcipue Galenũ, peritoneum multipliciter ſiue æquiuoce dici, ſicut apud barbaros ſiphac, magno eſt in errore: nuſquam enim inuenitur apud hunc autorem, qui proprietatem nominum medicinalium in lingua græca præcipue obſeruauit, peritoneum aliud ſignificare quàm membranam illam ad quam terminatur abdomen: quæ etiam membrana tegit omentũ, & omnia uiſcera alui inferioris, adeò ut idem Galenus neque membranam quæ ſubtenditur coſtis, quam recentiores medici pleurã appellant, quãuis eandem habeat cum peritoneo ſubſtantiã, uelit peritoneũ nominare: tãtumꝙ abeſt ut hic ipſe autor aſſerat peritoneum membrum eſſe compoſitum ex pluribus pelliculis tegentibus aluũ, in quarum numero pellicularum etiam cutis exterior comprehendatur, ut quoſdam antiquos medicos arguat, credentes uerum peritoneũ ex duabus pelliculis eſſe contextum, quarum una tantum eſt uerum peritoneum, altera uero eſt tenuitas neruea, quam Græci aponeuroſim nominant, Latini recentiores chordã: quæ tenuitas neruea eſt aponeuroſis ſiue chorda muſculorum tranſuerſaliũ, quos neoterici latitudinales appellant. Idem Galenus tantam tribuit peritoneo ſimplicitatẽ, ut etiam uillis ſiue fibris, ut latine loquamur, carere dicat: licet Auicenna libro tertio uigeſimiſecũdi, tractatu primo, capite primo, contrarium ſentire uideatur, ubi ita ſcribit: Quidam uero dicunt, non pertranſit, ut dicatur quod in ſiphac ſint genera uillorum contextorum ſecundum partes notas uillorum, qui ſunt inſtrumenta uirtutum trium naturalium: & iſtis quidem non eſt poſſibile, ut dicatur illud in tu-

C nicis uenarũ & ueſicæ & matricis, niſi de aliquo panniculorũ. Quæ uerba propter maximã, quæ in ipſis habetur, obſcuritatẽ, uario modo à latinis expoſitoribus declarãtur, à Iacobo tamen de partibus ad eum ſenſum trahũtur, quem nos diximus Galeno eſſe contrariũ. Vult enim hic expoſitor, Auicennã in uerbis antea ſcriptis tandem cõcludere, quod de panniculo ſiphac dici poſſit, quod habet uillos in ſubſtantia panniculari, quibus cooperatur ad expulſionem fecis & urinæ, & ad retentiones retinendas. Vtrum autem hi uilli ſint ſenſibiles uel inſenſibiles, nullum hoc in loco uel Auicenna, uel Iacobus eius expoſitor faciunt mentionẽ. Carpus quoq; in ſuo opere anatomico huic expoſitioni ſuũ præbet aſſenſum. Sed & alio loco, ſcilicet Fen tertiadecima tertij, capite primo, idem Auicenna de uillis ſiphac uerba facit in hunc modũ: Et generatur illic ſiphac, ſcilicet corpus panniculare, nõ diuiſum in uillos ſenſibiles, imò eſt corpus ſimplex in ſenſu. Quæ uerba contradicunt alijs quæ ſuprà ex uigeſimaſecũda tertij recitauimus, ſecundũ Iacobi de Partibus expoſitionem: adeò ut appareat Auicennã non ſolũ Galeno, ſed etiam ſibijpſi repugnare: Galenus ſiquidẽ in ſuis de anatomicis aggreſſionibus libris ſcribit peritoneũ, quod Arabes ſiphac nominãt, nullos habere uillos ſiue ſenſibiles ſiue inſenſibiles: nam lib. quinto earundem anatomicarũ aggreſſionũ, ita de peritoneo diſſerit: *Eſt autem ipſum peritoneum telis araneis latis ſimilimum,* ſimplex & tenue extreme, *non ueluti quædam chordarum in membranæ formam extenuatæ, quæ tamen indicant, exacte paritatem in clara luce conſiderantibus,* fibras tenues ipſis inſertas, at non ſanè peritoneum, ſimplex enim eſt, ut dictum fuit, cõtinuum, ſibijpſi totum ſimilium partium exacte unum quoddam primarum partium. Idem Galenus libro ſexto eiuſdem operis eandem ſententiam de peritonei ſimplicitate & uillo-

D rum carẽtia repetit his uerbis: Ipſa autem aluus ex duobus componitur latis & tenuibus corporibus ueluti contextibus inuicem iacentibus: habet autem interior quidem ipſius portio fibras rectas, exterior uero orbiculares, quum peritoneum neutras habeat, quemadmodum nec ulla alia membrana. Hoc in loco Galenus aperte ſentit, omnes membranas, nedum peritoneũ cæteris tenuiorem, carere uillis. Neque dici poteſt, tam peritoneo quàm alijs membranis ineſſe uillos, ſed inſenſibiles, ut uidetur opinari Auicenna Fen decimatertia tertij: Nam ſi idem Galenus quod Auicenna opinaretur de uillis peritonei inſenſibilibus, id nobis itidem indicaſſet: ſicuti de chordis in membranarũ formam extenuatis, in quibus licet inſertæ ſint fibræ ſeu uilli, nõ tamen apparent, in luce uero clara cõſiderantibus, ſenſum non effugiũt. Quare uiderit Carpus ne male in ſuo de anatome libro, expoſitionem Iacobi de Partibus approbauerit in uigeſimaſecunda Fen tertij aſſerentis, quod de panniculo ſiphac dici poſſit, quod habeat uillos in ſubſtantia panniculari: hoc enim, ſcilicet habere uillos, peritoneo, quod barbari ſiphac, ut ſæpe diximus, uocant, minime conuenit, ſiue peritoneum quatenus peritoneum conſideremus, ſiue quatenus eſt noſtri corporis pars membranoſa, ſeu, ſi barbare loqui uelimus, panniculoſa: quam enim latine loquentes membranam uocamus, Græci in ſua lingua ὑμὴν, recentiores panniculum nominant, ut poſſem penè infinitis apud Galenum exemplis demonſtrare, niſi fugerem prolixitatis faſtidiũ. Hæc autẽ omnia tam longis ſermonibus ſuperius à nobis diſputata, probare intendũt, nõ æque peritoneum apud Græcos, ſicuti ſiphac apud Arabes multipliciter dici: & rationes à Carpo adductæ ad probandum oppoſitum tam debiles ſunt, ut ſua ſe imbecillitate proſternant: Prima ratio ex ui uocabuli accepta, quia peritoneũ autore Galeno, quarto de Vtilitate partium, dicitur à peri, quod ſignificat circum, & tino tendo, facile deſtruitur: quoniam membrana quæ circumtenditur coſtis in parte interiore

Carpi rationes inualidæ.

A riore & reliquis membris in uentre ſuperiore ſpirationi ſeruientibus, quãuis ean-
dem habeat, ut etiam ante diximus, cum peritoneo ſubſtantiam, non tamen peri-
toneum, ſed ὑπεζωκὼς, id eſt, ſubcingens, ſubcingit enim coſtas, à Galeno nũcupa
tur. Secunda ratio, quæ Galeni uerbis innititur quarto de Vtilitate partium ita ſcri
bentis; quarta huius peritonei utilitas etiam parui eſt momenti: neque enim ideo
Galenus dixit, huius, quia ſint & alij peritonei præter illum, de quo in eodem loco
uerba facit, ſed quia idem peritoneus multas habet utilitates, quæ ibidem connu-
merantur: Et ſi Carpus omnino uelit ex illo uerbo, huius, oſtendi eſſe alios perito-
neos præter illum cuius plurimæ utilitates ibidem à Galeno referunt̃, ſciat omnes
illos eſſe peritonei maioris exortus, & nõ alijs membris, quàm naturalibus in uen
tre inferiore pro tegumentis deputatos. Sicuti multæ ſunt etiam in uentre ſuperio
re membranæ tegentes membra ſpirationi ſeruientia, quæ ſunt propagines maio
ris membranæ, quam ſtatim antea diximus à Græcis hypezocota uocari: licet re-
centiores medici pleuram græco uocabulo coſtam ſignificãte malint appellare: &
hanc membranarum ſeu panniculorum uentris inferioris & ſuperioris differen-
tiam uiſus eſt uoluiſſe nobis Auicenna inſinuare Fen prima primi, doctrina quin
ta, capite de membris per uerba illa, Et dicemus quod omnium interiorũ, quæ pan
niculis ſunt inuoluta panniculus ex uno panniculorum pectus aut uentrem coo-
perientium naſcitur, ſed eorum quæ in pectore ſunt panniculorũ origo, ſicuti dia-
fragmatis & uenarum & arteriarum & pulmonis, ex panniculo interiore qui co-
ſtas tegit, & membrorum quidem, & uenarũ quæ ſunt in uentre panniculi oriun-
tur ex ſiphac, qui interius uẽtris cooperit muſculos: Id eſt, ſicuti mihi ex Galeni &
Celſi ſententia libet interpretari, ex membrana abdominis interiore, quam Gale-
B nus nominat græce peritoneũ: Cuius uocabuli græci expoſitionẽ Carpus in mea
translatione quodammodo blaſphemauit, quoniam ex ea magnum incõueniens
ſecuturum putauit, fruſtra tamen: nam Galenus ipſe illud idem inconueniens ſua
docta cõmentatione tollere anticipauit, declarans in ea quomodo Hippocratis ſer
mo in aphoriſmo ſit inaudiendus, qui propter nimiam breuitatem niſi recte intel-
ligatur, falſus uideri poſſit. Quod enim Carpus abſurdum ad noſtræ translationis
uerba ſequi iudicauit, ei multo magis eſt obnoxius Hippocratis aphoriſmus, niſi
id quod eius deeſt breuitati ſuppleat̃, ut in ſua ſupplet cõmentatione Galenus, ſe-
cundum noſtrã translationem ita ſcribens: Propter ſermonis breuitatẽ falſus eſſe
uidebitur aphoriſmus his qui non recte ipſum inaudierint: Quod enim dicitur hu
iuſmodi eſt: quãdo exciderit, hoc eſt, quando nudatum fuerit, & extra peritoneũ,
id eſt, membranam abdominis interiorem, omentum exierit, nõ contingit ipſum
ad locum proprium reſtitutum ſanum & ſaluum fieri, ſicuti ſi aliud aliquid extra
promeretur, ueluti inteſtinum aut aliqua uiſceris fibra, illa etenim niſi longo tem-
pore frigeſiant, quando uulnus in parte uentris ſuperiore factum ad cicatricẽ per-
ductum fuerit, priſtinam recipiunt temperaturam: omentum uero etiamſi minimo
nudetur tempore, reductum putreſcit, quam ob cauſam medici partem illam, quæ
fuerit nudata ſolent reſecare. Hanc igitur ſententiam habet aphoriſmus, licet con-
fuſius in uerbis dictis proponatur. Vellem ut Carpus uerbum illud, nudatum, ter
in hac cõmentatione repetitũ attente conſideraſſet quid importet, rem ſcilicet quę
tegi conſueuit, & poſtea omni caret tegumento: propter quam nuditatem ſiue te-
gumenti carentiam, omentũ frigori aëris ambientis expoſitum putrefit: Nõ enim
ſolus extra peritoneum omenti exitus ad putrilaginẽ in eo faciendam ſufficit, ſed
ulterius exigitur ut nudatũ uel minimo tempore aëri extrinſeco exponatur: quæ

C omnia requiſita in noſtra cõmentatione, ſi quis eam non cõniuentibus oculis, ſed
perſpicacius & acutius inſpexerit, cõtineri animaduertet. Qua animaduerſione ſi
Carpus uſus fuiſſet, non tam facile ſuam ſententiã præcipitaſſet in mea damnanda
translatione, & barbara, quæ multis ſcatet erroribus, falſo iudicio illi anteponen-
da. Venio nunc ad aliam maculam meis translationibus nuperrime illitam, uel ut
uerius dicam, altius impreſſam: In qua delenda tanto magis eſt laborandum, quan
to fortiorẽ habuit impreſſorẽ Ioannem Mainardũ Ferrarienſem, qui propter ſin-
gularem medicæ artis peritiam cui adiũxit græcarũ ac latinarũ literarum ornamen
ta, doctis pariter & indoctis facile poſſit perſuadere ſe aliquid contra meas transla
tiones dixiſſe, quũ tamen nihil dixerit: Is nouiſſime libellos ædidit inſcriptos Epi-
ſtolæ medicinales: in una quarũ numero ſecunda ſcribit ſe rogatum fuiſſe à Pacto
medico Mantuano, ut quum duodecimi aphoriſmi tertię particulæ aphoriſmorũ,
tot ſint interpretationes quot in linguam latinã interpretes, atq; ideo ambigat cui
magis ſit adhærendũ, ut ſui iudicij calculum, quænam ex ipſis ſit præferenda, non
grauetur ſibi amico deditiſſimo per epiſtolam ſignificare. Ego qui Pactum familia
riter noui (fuit enim meus in medicina diſcipulus) ſcio hominem non multum iſtas
difficiliores ac ſcrupuloſas quæſtiones curauiſſe, quæ medicũ non meliorẽ, ſed cla
riorem tantum efficiunt: uerum illa potius perquiſiuiſſe, quæ ſunt ad opus medici
næ ſcitu plurimum neceſſaria. Quare facile credere poſſum Mainardum nõ amici
precibus exoratũ, ſed ſua ſponte cõmotum, ſupradictum aphoriſmũ ſibi feciſſe ma
teriam omnes eius interpretes tanquam inuicem diſſentientes, & omnes à uerita-
te deuiantes uellicandi: ex qua uellicatione famam augeret, & nõ paruam ſibi glo
riam cõpararet, qui ſolus lynceis oculis peruidiſſet, quod alij lippientibus non ui-
diſſent. Sed ſiue requiſitus, ſiue gloriæ cupiditate ductus, quæ ſæpius in bonorum
D animos irrepit, Mainardus epiſtolam, de qua ſuprà diximus, ſcripſerit, quemadmo
dum ipſe pro ueritate aſſerenda ſe eam ſcripſiſſe autumat, ita ego uiciſſim pro meo
honore tuendo, de quo debent ingenui homines nõ minus q̃ de uita eſſe ſoliciti,
cogor & aphoriſmi ſcripturam, quam epiſtola damnat, licet in omnibus ferè exem
plaribus habeatur, pro uera defendere, & uerbum græcum in eodem aphoriſmo
εὔδιον non abradendũ, ſed retinendũ, idq; ipſum uerbum recte fuiſſe à me ſerenũ
interpretatũ demonſtrare. Sed ut hoc ipſum cõmodius & maiore cũ fide agamus,
uerba ſingula epiſtolæ ſunt in mediũ à nobis adducẽda, ſtatim ab ipſa inſcriptione
auſpiciũ capientibus, ſcilicet, Epiſtola ſecunda Ioannis Mainardi Pacto, caſtigatur
aphoriſmus duodecimus libri tertij. Hæc epiſtolæ inſcriptio ſatis modeſtiæ præ ſe
fert, ut quæ ſcripturam aphoriſmi deprauatã, non ipſos interpretes caſtigare polli
ceatur: quamuis & interpretes tacite in ea corrigantur ac reprehendantur, qui ui-
tium cõtextus aphoriſmi non animaduerterunt, ſed ita ut ſcriptũ inuenere tranſtu
lerunt: Poſtmodum apertius etiam interpretes taxat, tum quia diſcordes inter ſe,
tum quia nõ ſatis fideliter aphoriſmũ ſint interpretati. Sic enim ad Pactũ ſcribens
Mainardus epiſtolam exorditur: Miraris Pacte, quod aphoriſmi duodecimi libri
tertij Hippocratis, tot ſint interpretationes quot in linguam latinam interpretes:
in uulgata enim æditione legebat̃: Si auſtrina hyems & pluuioſa ac tranquilla fue-
rit, Laurentianus, cuius interpretatio à multis etiam Theodoro Gazę adſcribitur,
pro uoce tranquilla tepida ſcripſit, Leonicenus ſerena: Quæ uerba nõ minus ſigni
ficato, quàm ſono ipſo uocis euariãt. Tranquillus enim aër eſt, qui uentis, ſerenus,
qui nubibus ac nebulis caret: tepidus, qui nõ impenſe calet aut friget. Quid igitur
(ais) ſentiemus, aut cui ex tot traductionibus potiſſimũ inhærebimus? Mihi certe
Pacte

A Pacte(ueritas amicitiæ & autoritati præferatur)nulla earũ probatur. Tolerabilius tamen uidetur ut tepida quàm ut uel tranquilla uel ſerena legatur. Poſſem hoc loco,ſi uelim de nominibus diſputare, primam ſtatim autoris epiſtolæ reprehenſionem repellere atq; refellere: Falſò enim aſſumitur, uerba duarum translationum meæ ſcilicet atq; uulgatæ, ſerenũ ſcilicet & tranquillũ nõ minus ſignificato quàm ſono uocis euariare,quum tantam habeant ſignificantiæ affinitatẽ,ut uocabula ſynonyma poſſint exiſtimari, modò fides grammaticis,quorũ officium eſt talia tractare,adhibeatur. Sipontinus autor grauiſſimus, græcę ac latinæ linguæ ſcientiſſimus, in Cornucopia ita ſerenũ ac ſerenitatem definit: Sunt qui ſerenum à ſerẽdo, hoc eſt,ſeminando deductum putant, quod ſignificat tranquillũ ſine nubibus, ſine imbre,quod id maxime tempus ſationi aptũ ſit: à ſerenus, ſerenitas deducitur, hoc eſt, tranquillitas,claritas: & ſereno,bene clarifico,tranquillo. Vergilius:

Vultu quo cœlum tempeſtatesq; ſerenat.

Sic apud Græcos autores uerba εὔδια καὶ εὔδιον, tam claritatem quàm etiam tranquillitatem ſignificant, ut omnia uocabularia non minus græca quàm latina teſtificantur. Si uero nolit autor epiſtolæ uocabularijs ſubſcribere,habeo autores græcos aphoriſmorum Hippocratis expoſitores, qui in hoc ipſo aphoriſmo de cuius ueritate eſt præſens diſputatio, εὔδιον & clarum & tranquillum pariter exponũt. Eoſdem autem autores græcos non poſſum ambos nominatim citare, ſed alterum tantummodo qui Philotheus nominatur: cuius expoſitio in aphoriſmum, de quo eſt præſens diſputatio talis eſt: ἐνταῦθα τὴν παρατροπὴν ἐναντίως τῇ τοῦ ἀνωτέρω ἀφορισμοῦ ποιεῖται. λέγει γάρ, ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος, τουτέστι θερμὸς καὶ ὑγρός, καὶ καθαρὸν ἀέρα ἔχων, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εὔδιον. id eſt, ſi uerbum ex uerbo

B transferre uolumus: Hic euerſionem contrario modo facit alteri ſuperioris aphoriſmi, dicit enim: Si uero auſtrina hyems et pluuioſa & ſerena fuerit, hoc eſt calida & humida & purum aërem habens, hoc enim eſt quod dicit εὔδιον. Altera expoſitio autoris anonymi, id eſt, ſine nomine, quales multę apud Græcos inueniuntur, quæ εὔδιον, id eſt, tranquillum interpretatur, ita ſe habet: ὑποτίθεται ἐνταῦθα τὸν χειμῶνα θερμὸν καὶ ὑγρὸν καὶ εὔδιον, τουτέστι χωρὶς ἀνωμαλίας πνευμάτων. id eſt, Hic ſupponit hyemem calidam & humidam, & εὔδιον, hoc eſt, abſq; inæqualitate uentorum. Ex quibus duabus expoſitionibus quimus colligere, & uerbum εὔδιον duplex habere ſignificatum, utrunq; ſententiæ aphoriſmi accõmodatum, ſecundum duas græcorum autorum, quas allegauimus, expoſitiones: & idem uerbum non eſſe ſuppoſititium, atq; ideo, ut autor epiſtolæ opinatur, abradendum, neque loco eius εὐδῖον penultima circumflexa, id eſt, humidum, ut idem autor epiſtolæ cenſet, reponendum. Si uero ei duorum expoſitorũ græcorũ teſtimonia nõ ſufficiũt, adiungam tertiã Galeni expoſitionem, qui in ſua commentatione non εὐδῖον penultima circũflexa, ſed εὔδιον accentu acuto in prima ſyllaba ſcribit: Vbi cauſam affert, ob quam mulieres Vere frigido & ſicco, quod hyems calida & humida anteceſſit, abortu periclitantur: nam ſi εὐδῖος penultima circũflexa, id eſt, humida in aphoriſmo legatur, nugamentũ erit manifeſtũ. Quãdo enim hyems eſt pluuioſa, proculdubio & humida: Sed de hoc etiã poſtea latius diſſeremus, quũ cauſam ob quã mulieres abortiũt explanabimus. Si quis uero εὔδιον χειμῶνα hyemem tepidã interpretetẽ, ueluti Theodorus, & Laurentianus imitatus Theodorũ, illud incommodum incidet, quod difficile erit ei apud aliquẽ idoneũ autorem in Græcorũ lingua reperire talis ſignificatus exemplum. Quod tamen dictum nolim mihi arrogantiæ adſcribi, quaſi uideri uelim plures in eadem lingua ſcriptores lectitaſſe, quàm

C Theodorum hominem in Græcia natũ: Qui etiam libros de arte grammatica, ad quam pertinet uocabulorum ſignificatus exponere, accuratiſſimos ędidit: uerum alia me ratio fortior commouit ad traductionem Theodori in eo uerbo repudiandam, & minus etiam quàm cæteras poſſe tolerari, contrà quàm ſentit autor epiſtolæ, iudicandum. Quoniam mihi non potuit in captum mentis peruenire Hippocratem in duobus locis de quatuor anni temporibus uel propriam naturam ſeruantibus, uel in contrariam lapſis differentem eodem uerbo εὔδιος æquiuoce uti, Quare ſi in duodecimo aphoriſmo et Galeni commentatione ſignificat tepidum, etiam in libro de Aëre & aqua, quem Galenus citat in cõmentatione octaui aphoriſmi eiuſdem particulæ tertię, idem habebit ſignificatum: alioquin librum de Aëre & aqua Galenus non citauiſſet in commentatione eius octaui, quem diximus, aphoriſmi. Vel ſaltem autor ille facundiſſimus nullius minus quàm ſermonum auarus admonuiſſet, aliter Hippocratem uerbo εὔδιος in libro de Aëre & aqua, aliter in duodecimo aphoriſmo tertiæ particulę uſum fuiſſe. Aphoriſmus quidem octauus tertiæ particulæ aphoriſmorum ſecundum translationem Theodori ita ſe habet: In temporibus naturæ legitimis, quumq; tempeſtiua tẽpeſtiue redduntur, morbi conſtantes ſynceri & faciles ſubeunt: at uero iniquis, inconſtantes & iudicatu difficiles exiſtunt. In cuius aphoriſmi expoſitione, ut antea dixi, uerba Hippocratis Galenus adducit ex libro de Aëre & aqua, in quo proprias atque legitimas cuiuslibet anni partes, quas tempeſtiuas nominat, idem Hippocrates docere proponit. Et quum de hyeme temperata & mediocritatem ſibi propriam ſeruante loquitur, uult eam eſſe: μήτε λίαν εὔδιον, μήτε ὑπερβάλλοντα τὸν καιρὸν τῷ ψύχειν, id eſt, ut ego tranſtuli, neque ualde ſerenam, neque frigore excedentem: Vt

D autem habet antiqua translatio: non multum calida, neque multũ frigida: Vt uero alia Laurentiani Theodorum ſecuti: neq; nimium tepens, neq; ſupra modum inalgens. Vtraq; tamen translatio peccat, eſtq; & Hippocratis atq; Galeni dogmatibus diſſona: Quibus ambobus autoribus placet uer quidem eſſe tepidũ & in humiditate ac ſiccitate temperatũ, æſtatem uero calidam & ſiccam, autumnũ frigidũ & ſiccũ, hyemem uero frigidã & humidã. Ambæ uero translationes, quas peccare diximus, altera hyemem calidã facit, altera tepidam. Quod enim tempus nõ eſt impenſe calidũ ſicut æſtas, eſt tamen calidum: ſicuti quod non eſt impenſe tepidũ, ueluti uer, eſt tamen tepidũ: Neq; enim qui dicit hyemem eſſe non ualde calidam uel tepidam, idcirco frigidam eſſe aſſerit: ſed calidam quidem aut tepidã, parumper tamen. Et ita ſecundum Theodori, quem Laurentianus imitatur, translationem, hyems cum uere aliquam habebit in tepore communionem, quod eſt maxime abſurdum, atq; ab Hippocratis Galeniq; placitis alienũ. Quare ſi in commentatione octaui aphoriſmi non poteſt ſignificare tepidum, ergo neque in duodecimi, poteſt autem ſerenum uel tranquillum utrobique, ut in noſtra translatione legitur, recte ſignificare, ut latius in ſequentibus declarabimus. Equidem non ſoleo libenter uiuorum aut illorum, qui ætate noſtra uiguerunt, ſicuti nonnulli liuiduli faciunt, famæ detrahere, ſed meæ me exiſtimationis defenſio cogit etiam nolentem Theodori manes offendere, ut autoris epiſtolæ iudicium improbem, qui Theodori translationẽ mea ſcripſit eſſe tolerabiliorem, & non animaduertit ſe uitium ęquiuocationis in eodem ferè loco, aphoriſmo ſcilicet octauo & duodecimo eiuſdẽ libri Hippocrati atq; Galeno tribuere: quod tamẽ uitiũ etiam barbarus autor Auerrois in doctrinis cenſet fugiendũ. Quia tamen autor epiſtolæ ſui iudicij aliquam affert rationẽ, noſtræ partes erunt, hanc non eſſe tam ualidam quin facile

poſſit

A poſſit infringi, demonſtrare. Putauit enim ſi hyems ſit tepida, ut habet translatio Theodori, nullum ſequi inconueniens, neque ullam pugnantiam in uerbis duodecimi Hippocratis aphoriſmi: quoniam eadem hyems poteſt eſſe & tepida & auſtrina & pluuioſa ſimul: ſi uero tranquilla, quomodo auſtrina: ſi ſerena, quomodo pluuioſa. Huic dubitationi quæ uim habet argumentationis contra noſtrā tranſlationem, uidetur autor epiſtolæ dediſſe manus: & quum neſciret ſoluere caſtigandum eſſe aphoriſmum, ne repugnantia ſcriberet, iudicauit. Nos uero ſcripturam aphoriſmi, quæ in mille exemplaribus, ſi tot haberi poſſent, inueniretur, pro uera retinentes, primam dubitationē facile ſoluimus, ita dicentes: Hyemem uel auſtro flante aliquando eſſe tranquillam, modò leniter flet, & non, ſicuti quandoque boreas, uiolenter. Dixi quandoq;, quoniam & ipſe quantūuis creber (ut inquit poëta) procellis, non ſemper priuat aërem nos ambientem tranquillitate, ſed ſolū quū ſæuius incubuerit. Hanc ſolutionem eſſe ueram uolentibus animaduertere quotidie indicat experientia: Nam uentorum flantium diſcrimina ſæpiſſime non niſi in alto aëre ſuſpicientibus nobis deprehenduntur, ab aliqua ſcilicet lamina ærea, ſiue aliquo alio ſigno turribus affixo (uulgus penicillum nominat) quæ diſcrimina terram deſpectantibus non apparent. Mirarer equidem autorem epiſtolæ acuto uirum ingenio in re tam facilem habente animaduerſionem, adeò hæſitaſſe, ut ex unico tantum exemplari, quod potuit librariorum culpa in uno uerbo eſſe defectum, tot aliis codicibus idem uerbum ſcriptum habentibus fidem putauerit abrogandam. Mirarer inquam, niſi uiderem Marſilium cognomento de ſancta Sophia, qui & ſua ætate fuit fama celeberrimus, & noſtra quoq; maximam habet autoritatem, in ſua libri tertij aphoriſmorum expoſitione, ob ſimilem, quę etiam torſit autorem

B epiſtolæ, dubitationem, uarias excogitaſſe expoſitiones, quibus ueritatem in uerbis Hippocratis aſſeueraret, & nullam eſſe in duodecimo eius aphoriſmo contradictionem oſtenderet. Prima expoſitio talis eſt in notabili Marſilij commentationis, numero octauo: Notandum octauo quod hyems poteſt appellari tranquilla & auſtrina, quia quieta à flatu uentorum. Quæ expoſitio ueritatem continet hoc modo, ut hyemem non dicamus abſolute tranquillam, auſtris (ut dictum eſt) flantibus, ſed comparatiue, reſpectu hyemis borealis flatum habentis auſteriorem. Hæc prima expoſitio ſupponit non poſſe eſſe tranquillitatem borealem, quemadmodum & auſtralem: Quam ſuppoſitionem eſſe falſam paulò poſt ex Galeni Hippocratem commentantis autoritate demonſtrabimus. Secūda expoſitio Marſilij eſt hæc: Aut dicamus, trāquilla & auſtrina quia aſſimilata auſtro in calore & humiditate, nō quidem quia flet auſter in ipſa: Erit autem calida & humida, aut propter uapores à locis calidis & humidis eleuatos, aut propter cœleſtem influentiā. Hæc ſecunda expoſitio negat hyemem auſtrinam eſſe auſtrinam, & propter auſtri flatum calidam & humidam, ſed propter aliam cauſam: Cui expoſitioni Galenus in ſuis in Hippocratem cōmentationibus eſt ubiq; contrarius, ut magis in ſequentibus apparebit. Tertia expoſitio ita ſe habet: Aut ulterius appellatur tranquilla, non quia quietum habens aërem, ſed quia in ſuis qualitatibus alteratiuis mitis eſt, non frigoris intenſi, ut hyems propriam ſeruans temperaturam. Hæc tertia expoſitio idem peccat quod ſecūda: uult enim hyemem tranquillam non eſſe tranquillam, ac propterea hyemi propriam ſeruanti temperiem, dat intenſam frigiditatem, quam maxime tollit uentorum ac præcipue boreæ carentia, quæ tranquillitas appellatur, quare oportet aërem eſſe quietum. Cuius contrarium uult expoſitio, ſi hyems debeat eſſe à ſua natura in extraneam cōuerſa, ex frigiditate ſcilicet intenſa

C in caliditatem. Qualis conuerſio intelligitur in aphoriſmo tertiæ particulæ duode=
cimo. Iam legentes æſtiment quot nodos habeat unica, ut ita dixerim, dubitatiun
cula, quos tanti in medicina & philoſophia uiri conati ſunt enodare, & tamen, pa=
ce eorum dixerim, non potuerunt id quod uolebant attingere, uerba ſcilicet Hip=
pocratis, quum ſibi inuicem diſſona uidebantur, conſona facere: Quod nos nunc
agere aggrediemur, quemadmodum paulò ante nos acturos ex Galeni Hippo=
cratē exponentis autoritate polliciti fuimus. Hic Hippocratis uere fidus interpres
Galenus in Epidemias Hippocratis.
exponens uerba illa Hippocratis in tertio libro Epidemiarum: Annus erat auſtri
nus, & uentorum carentia ſiue tranquillitas uſque in finem. In hunc modum ſcri=
bit græce ille quidem, ſed ut nos latine interpretamur, uerbum ferè ex uerbo ma=
ioris fidei gratia reddentes, ita: Similis huic conſtitutioni eſt & illa quæ in principic
ſecundi libri Epidemiarum ſecundū hunc ordinem dicitur: Carbones in Cranone
æſtiui, Pluebat in æſtibus, aqua cum impetu ingruente cōtinue, Fiebāt magis au=
ſtro flante. Differunt autem hæ cōſtitutiones adinuicem, quoniam in hoc loco pe
totum annum talem eſſe dicit aëris nos ambientis temperaturam: in ſecundo au=
tem ſolum per æſtatem. Et quoniā nunc àddidit, tranquillitas uſq; in finem, quoc
inibi nō adiunxerat: quiſpiam uero poſſet ratiocinari ex illa ſuperadditione in illc
libro facta, fiebāt magis auſtro, tale aliquid oſtendi: Etenim hoc ipſo in loco auſtri
num ſimul atque tranquillum dixit totum fuiſſe annum, tanquam poſſibile ſit trar
quillum etiam ſimul ac borealem eſſe, ac dici, totum annum ita nobis inaudienti=
bus: nam paulò poſt hoc ipſum determinabitur. Meminerimus autem quod mul
tas uidimus in aëre nos ambiente temperaturas, quietemq; ac uentorū carentiam
ſiue tranquillitatem habentes, non tamen inuicem ſimiles, ſed quandam ſanè mo
lem atque humidam, quandam uero ſiccam & aliquid frigoris continentem, hæc
D igitur exquiſite ſerena exiſtit: Mollis autem eſt caliginoſaq; ac turbulenta conſtitu
Conſtitutio auſtralis à boreali diuerſa.
tio & auſtralis, quandoque uero & plena nubibus. Contraria autem borealis, li=
cet maxime nullus uideatur in aëre motus, ſed exquiſite id quod νήμενον, id eſt, uen
torum carentia à Græcis dicitur: nam res ſe eodem modo uidetur in aëre habere,
quo etiā in mari: Sicuti igitur ſemper in illo fluctus eſt in profundo, uel maior uel
minor, uerum aliquando manifeſte propter paruitatem nō apparet, præterquam
ſi in anguſtis locis contineatur, ueluti in Calcide Eubœæ & Meſana Siciliæ uide=
tur: eadem pariter ratione in aëre nos ambiente omnimoda quidem immobilitas
& ſtatio nunquam uidetur eſſe, uerum quandoq; latet propter paruitatem: & nu=
bes uidemus in huiuſcemodi tranquillitatibus, quæ ſæpius ſtare creduntur, reue=
ra autem mouentur. Videntur itaque paulò poſt in altera nos aëris ambientis par
te conſiſtere, quod ipſis non accideret, ſi nullatenus mouerentur. Talem igitur ali
quam & nunc oportet arbitrari factam eſſe in toto anno conſtitutionē, tantum ab
ea quæ dicta eſt in Cranone, differentem, quanto diuturniorem. Cōmunis tamen
in ambabus paſſio eſt putrefactio, cōmunem etiam habens cauſam, humiditatem
ſcilicet cum tranquillitate. Videtur autem ex materia quidem humida omnis pu=
trefactio fieri, à cauſa uero effectiua extranea & præter naturam caliditate, augeri
autem ab immobilitate. Quod igitur nihil ex his quæ exquiſite ſunt ſicca, putre=
fit, omnes manifeſte uidemus. Neque enim lapis, neque teſta, neque aurum, neq;
argentum, neque æs, neque aliud tale quicquam uidetur putrefieri. Quod uero
& ea quæ natura ſua ſunt putredini obnoxia perdurant longo tempore in frigidis
temperaturis, neq; hoc aliquem latet: ſed hoc amplius quando talibus uentis uen=
tilantur, unde homines continue ueſtes concutiunt: Et tunc pręcipue, quando aër
ambiens

A ambiens calidus fuerit & humidus: tanquam immobilitas ipſas putrefaciat. Sic & motus arteriarum in animalibus, præter alia optima quæ facit, etiam hanc exhibet utilitatem. Ipſe autẽ & Hippocrates inquit in aphoriſmis, ſicuti ſuperius dictũ eſt, in abũdantia pluuiarũ fieri putredines. Quod igitur neceſſarium ſit in corporibus humiditates putrefieri, ex his liquet. Ex his Galeni uerbis multę dubitationes ſoluuntur, quæ claros Hippocratis aphoriſmorũ interpretes, & ipſum præcipue autorem epiſtolæ, qui ſe interpretum iudicem fecit, perturbarunt. Prima quidẽ quomodo idem anni tempus, & totus annus poſſit auſtrinus uel etiam borealis, & nihilominus tranquillus appellari. Secunda dubitatio, quomodo ad morborũ generationem, de qua præcipue in libro tertio aphoriſmorũ ab Hippocrate tractatur, tranquillitas aëris humiditati præter naturã temporis adiuncta adiuuat, eoſdemq; morbos adauget. Ex eadem etiam Galeni in librum tertium Epidemiarum expoſitione à nobis in medium adducta cum altera in aphoriſmũ tertiæ particulæ aphoriſmorum, colligi poteſt ſolutio argumenti, quod autor epiſtolæ tanquam Galeni autoritate ſubnixum fortiſſimum atq; inſolubile eſſe exiſtimauit, quo ſe omnes interpretes elidere poſſe ſperauit. Eſt autẽ tale: Quod uero nec tepidam legendũ putem, facit Galeni autoritas, qui ab initio cõmentarij eius aphoriſmi uidelicet duodecimi ſtatim ait: E cõtrario ſe habet hęc temperatura duobus in priori aphoriſmo dictis temporibus: Qualis enim prius in illo erat hyems, tale nunc uer: qualeq; uer in illo, talis nunc hyems. Ver autem priore aphoriſmo non magis tepidum quàm ſerenum aut tranquillum dicebatur, ſed auſtrale tantũmodo & pluuioſum. Ergo hyems in hoc aphoriſmo auſtrina tantum & pluuioſa intelligenda eſt. Idem quoq; colligitur in expoſitione aphoriſmi decimitertij, ubi loquens de eiſdem cõſtitutio-
B nibus, quæ ſcilicet undecimo & duodecimo aphoriſmo ſupponuntur, nihil addit huic hyemi ultra pluuialẽ & auſtralem. Ait enim poſt duas præſcriptas cõſtitutiones, unam quidẽ in qua hyemem borealem & ſiccã eſſe uult, uer pluuioſum & auſtrale: aliam in qua contrariũ, pluuialem & auſtralẽ hyemem, uer ſiccũ & boreale, & reliqua quæ ſequũtur. Hæc omnia autor epiſtolæ ad literam. Vellem autem ut ipſe uerba Galeni latine fidelius retuliſſet, neque ſenſum autoris ſua breuitate turbaſſet, uel etiam pronomine demonſtratiuo Hæc ſupperaddito, cõfudiſſet, quum inquit, hæc tẽperatura è contratrio ſe habet duobus in priori aphoriſmo dictis temporibus. Non temere enim quiſpiam dubitauerit quænam temperatura demonſtretur, an illa quæ duobus tẽporibus hyemi ſcilicet ac ueri ineſſe dicitur in undecimo aphoriſmo antecedẽte, an de altera quæ obuerſim eiſdẽ temporibus in duodecimo aphoriſmo ſubſequenti traditur. Galenus quidem primam intelligit in undecimo aphoriſmo deſcriptam: Autor epiſtolæ per uerbum Hæc, innuit ſecũdam in duodecimo aphoriſmo narratam. Rurſus dicit hanc temperaturã è contrario ſe habere: ad quæ autẽ ſe è cõtrario habeat, minime explicat. Vnde duplex eſt error, alter ſuperfluæ unius pronominis adiectionis, alter pluriũ uerborũ, ſi uera lectio græca inſpiciatur, omiſſionis. Sed nos nõ id quod dicit, ſed quod uult dicere autor epiſtolæ intelligamus: Cuius argumentũ tale eſt, ut ad pauciora uerba, in quibus nõ eſt error, cõijciamus: Qualis erat in priore aphoriſmo, id eſt, undecimo hyems, tale nunc ſcilicet in xij. uer eſt, qualeq; uer in illo, talis nũc hyems: Ver autẽ priore aphoriſmo non magis tepidũ quàm ſerenũ aut tranquillum dicebatur, ſed auſtrale tantummodo & pluuioſum: Ergo & hyems in hoc aphoriſmo auſtrina tantum & pluuioſa intelligenda eſt. Sic quidẽ autor epiſtolæ arguit: ſed uelim ipſum ad memoriam reuocare non temporum nomina ſeu denominationes, ſed eorum temperaturas, calidas, frigidas, humidas tranquillitati uel flatibus uentorum aſſociatas,

Motus arteriarum uſus.

C eſſe morborũ cauſas, teſte Galeno in commentatione quarti aphoriſmi, tertiæ particulæ aphoriſmorũ. Hyems igitur auſtralis & pluuioſa atq; ſerena uel tranquilla, non quia hyems, neq; quia auſtralis, neq; quia pluuioſa, neq; quia tranquilla, ſed quia calidam & humidam habet temperaturam, quam tranquillitas & uehementiorum flatuum carentia fouet, generat morbos, ueluti abortus mulierũ ad uer parientium: cuius cauſam præcipuam Galenus aſſignat in cõmentatione duodecimi aphoriſmi, hyemis uer antecedentis tranquillitatẽ. Quæ ſi infeſta uentis uehementioribus præceſſiſſet, tenuia corporũ muliebriũ foramina (Græci & Latini recentiores poros appellant) uentorum frigiditate conſtricta atq; oppilata, non admitterent frigidi ueris ſubſequentis algorem: atque ita infans aſſuetus in utero materno caleſcere, nõ læderetur, neq; fieret abortus. Et ne uideamur falſò abuti Galeni teſtimonio, ueba huius autoris in dicta cõmentatione ſubijciemus, & quidem Græca, ne ſi mea latina ſubiecero, ſibi autor epiſtolæ ſuſpicetur imponi: αἱ μὲν οὖν γυναῖκες αἷς ἂν ὁ τόκος ᾖ πρὸς τὸ ἔαρ, ἐπὶ ταῖς τυχούσαις προφάσεσιν ἐκτιτρώσκουσιν. ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα καὶ μαλακὰ καὶ ἀραιὰ γεγονότα διὰ τὸν εὔδιον χειμῶνα, ῥᾳδίως εἰς τὸ βάθος αὐτῶν διαδίδωσι τὴν ἐκ τοῦ περιέχοντος ψύξιν. ὥσθ' ὅσα τῶν παιδίων ἤδη πολυχρόνιον εἶχεν ἀέρος ἀλέας, ταῦτα πληττόμενα σφοδρῶς ὑπὸ τοῦ κρύους εἰκότως ἁλίσκεται. τὰ μὲν ἤδη νεκρά, τὰ δ' ἀποθνήσκοντα κατ' αὐτὸν τὸν τόκον. id eſt, ſi latine uerbum ex uerbo transferentes loqui uolumus: Mulieres igitur quibus eſt partus ad uer, ex quacũq; occaſione abortiunt: Nam corpora humida & mollia ac rara in hyeme tranquilla ſeu ſerena facta, facile ad eorum profundum, aëris ambientis frigiditatem admitũt, adeò quod infantes aſſueti longo tempore aëre calido frui, uehementi algore percuſſi, nõ ſine ratione iam mortui aliqui eorum ueniunt in lucem, nonnulli uero in ipſo partu moriũtur.

Mulieres uere cur plurimũ abortiũt.

D & reliq. In his uerbis Galenus uolens cauſam aſſignare, ob quam mulieres ad uer parientes abortiũt, muliebrium corporum cauſatur humiditatem ac raritatẽ, quæ in eis facta eſt, hyeme uer antecedente ad caliditatẽ atq; humiditatẽ præter ſuæ naturæ modum conuerſa. Verum ut ex uerbis Galeni licet elicere, raritas potius q̃ humiditas atq; mollities in cauſa eſt, ut frigiditas uerni temporis ſuccedẽtis poros ſubintret corporis muliebris, & penetret uſq; ad infantẽ aſſuetũ prius in utero materno placidiore ac ſibi conuenientiore perfrui caliditate: Vnde nil mirum ſi ſubſequatur abortus. Humiditas autem atq; mollities non ita aperit poros, quin potius conſtipat & obſtruit: alioquin fœminæ maſculis humidiores ac molliores, haberent poros ſua natura latiores. Cuius contrarium docet experientia: ſunt enim frigorum multo quàm uiri tolerantiores, quemadmodum mulieres pannorum lotrices oſtendunt: & grauioris autoritatis medicorum, Galeni præſertim, teſtatur autoritas, qui muliebria corpora ſtatuunt ſecũdum poros eſſe ſtrictiora. Recte ergo à Galeno dicitur, eadẽ corpora ex hyemis tranquillitate uel ſerenitate facta eſſe laxiora ac rariora: recte etiam à nobis ſuperius eſt dictũ, quum de traductione Theodori diſputabamus, uerbum εὔδιον in libro Hippocratis de aëre & aqua, non tepidum ſed potius tranquillum ſiue ſerenũ ſignificare. Quoniam ſi tepidum ſignificaret, oporteret hyemem propriam naturam ſeruantem, habere aliquam uel modicam tepiditatẽ: quod autem uel modicus tepor ſit ab hyemis legitima natura alienus, declarat Galenus in ſua expoſitione libri ſecundi Hippocratis Epidemiarũ, ubi Hippocrates ſcribit, in quadã hyeme paruos fuiſſe factos uẽtos boreales. Quẽ locum Galenus exponens in hunc modũ ſcribit: Paruos, inquit Hippocrates, factos fuiſſe hyeme uentos. Si uero hyems ſecundum propriam naturam tranſacta fuiſſet, magni omnino facti eſſent: & hoc ſecundum duplicem modum, ſecundum quem etiam uidentur parui eſſe facti, & ſecundum propriam ipſorum magnitudinem,

Mulierum corpora frigorum tolerantiora.

A dinem,& ſecundum temporis longitudinem. Etenim paucis diebus facti fuere boreales & minime ualidi, quum tamen hyems aſſueta ſit magnũ habere boream & longo tempore perdurantem. Ex hac Galeni expoſitione duo quimus colligere, quæ probare propoſueramus: Borea flante in hyeme naturali magno & tempore longo, omnem ab ea excludi teporem, aliquam tamen fieri poſſe tranquillitatem. Nam ſi in ea nulla trãquillitas interueniret, quando ſe habet ſecũdum naturã, tunc oporteret non longum tantum, ſed etiam cõtinuo tempore flare. Ex eadem etiam Galeni expoſitione ſolui poteſt prima, quæ anxit autorem epiſtolę, dubitatio: quomodo hyems poſſit eſſe tranquilla, quum ſit auſtrina. Ad hanc enim facile poſſumus reſpõdere, auſtrinã idcirco dici hyemem, quia in ea auſter lenis & longo tempore perflat: tranquillam autẽ, quia borea uento caret, qui tamẽ ſolet hyemi ineſſe ſuam ſeruanti temperaturã. Et hæc eſt ſecunda dubitationis ſolutio præter primã, quæ fuit à nobis ſuperius aſſignata. Vtraq; enim bona eſt, & altera non repugnat alteri, ſed ſe mutuo confirmant. Eſt autem rationi conſonũ, hyemem, de qua Hippocrates in aphoriſmo duodecimo loquitur, carere borea ualidiore & longo tempore perdurante, atq; ideo eſſe tranquillam: quoniã, ut ſuprà tetigimus, ſupponitur hyemem talem non eſſe ſecũdum naturam, ſed à ſua propria temperatura, à frigida ſcilicet, ad aliam calidam commutatam. Sed ut nihil inſolutum relinquatur, alteri obiectioni, quæ fieri rationabiliter poſſet, reſpõdeamus: Cur enim diceret aliquis, ad hanc hyemis naturalis euerſionem faciendam, addere oportet tranquillitatem ſeu ſerenitatem, quũ ſolus auſter ſufficiat, qui ſuapte natura calefacit, & quanto uehementius flauerit, tanto maiorem poteſt agere caliditatem. Huic obiectioni reſpondetur quantum ad primam eius partem, duas cauſas ſimul cocũntes magis
B eſſe efficaces, quàm unam tantummodo: Quantum ad ſecũdam, negamus flatum auſtri uehementiorem, calorem maiorem efficere. Illud inſuper adiungimus, non omnem auſtrum eſſe calidum, ſed qui remiſſius ſpirat: nam qui flat uehementius, boreæ naturam induit, hoc ipſum Galeno teſtante in cõmentatione libri tertij Epidemiarũ, his uerbis: Nonnulli opinãtur auſtrum ſemper eſſe humidum: res autem non ita ſe habet, apparet enim quãdoq; ſiccus, quem & uulgus Leuconotũ, id eſt, album auſtrum appellat, de quo etiam poëta meminit: Verum ego & zephyri & albeſcentis auſtri. Clarum etenim auſtrũ, quem ſine pluuijs eſſe nouimus, talem nominauit. Sed & in primo Epidemiarum libro in prima conſtitutione inquit: Ductu autem primo ad auſtralia facto, & cum ſiccitatibus, hic quidem auſter nonnunquam etiam uehementior fit: itaq; ſemper habet manifeſtam motionem. Mollis uero alter auſter exiſtit, qui inſenſibilem quidẽ motũ habet in aëre nos ambiente, & in nubibus: & ſemper hic calidus eſt. Leuconotus autem nonnunquã frigidus apparet. Ex his etiã Galeni uerbis primæ dubitationis ſolutio confirmatur, quæ dubitatio in aphoriſmo oriebatur, quomodo flante auſtro poſſit eſſe tranquillitas: Nam leniter flans in aëre non percipitur, ſicuti neq; in maris uaſtitate fluctus, ſed, ut dictum eſt ante, in euripis tantũmodo. Quum uero auſter ſpirat uehementior, manifeſtam habet motionem. Hoc ipſum quoq; de Leuconoto & auſtro Oribaſius ex Galeni teſtatur autoritate in hunc modum ſcribens: Ipſe quidem auſter ab humili polo flat: inter hunc aũt & ortũ hyemalem, ille qui nominatur Euronotus, quemadmodum inter hunc & polum & occaſum hyemalem libonotus: humidi & calidi omnes iſti, atq; propterea caput implent. Non tamen ſemper auſter eſt humidus, nonnunquam enim fit ſiccus, quem uulgus Leuconotum nominat: Hic igitur auſter aliquando uehementius ſpirat: manifeſtam uero ſemper habet motionem, Alter uero mollis eſt auſter, qui inſenſibilẽ in aëre ambiente & in nubibus habet mo

C tionem: Hic igitur ſemper eſt calidus, ſed Leuconotus quādoq; frigidus apparet manifeſte. Non obſtantibus tamen tot Græcorū nobiliſſimorū Hippocratis expoſitorum autoritatibus, atq; Galeni præcipue in duodecimi tertiæ particulæ aphoriſmi expoſitione, quæ omnibus alijs præponderat, & ſcripturam probat aphoriſmi, quam nos etiā in noſtra tranſlatione ſumus ſecuti, autor epiſtolæ in cōtrarium adducit Celſi autoritatem, quem bonum uocat Hippocratis interpretem, quaſi ſit etiam Galeno medicorum principe melior. Ita enim in ſua epiſtola ſcribit: Celſus quoq; bonus Hippocratis interpres libro ſecundo, capite ſecundo, ſic ad uerbum hunc aphoriſmum uidelicet duodecimū interpretatur: Si auſtri pluuiæq; hyemem occuparint, uer autem frigidū & ſiccū eſt, grauidæ quidem fœminæ quibus tum adeſt partus, abortu periclitantur: hæ uero quæ gignunt, imbecillos uixq; uitales ædunt: cæteros lippitudo arida, & ſi ſeniores ſunt, grauedines atque deſtillationes male habent. Fides demum græci codicis non parum me confirmat, qui ab exemplari Demetrij Chalcondilis uiri doctiſſimi & integerrimi, in quo ſic ſcribit: *ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γένηται*, & reliq. Vbi patet duo tantum nec plura epitheta, ſcilicet auſtralis & pluuioſæ hyemi apponi. Hæc ille. De fide unius exemplaris etiam antea diximus, non fuiſſe eam, propter argumentum tam facilem habens ſolutionem, tot alijs *codicibus fidelioribus numero penè infinitis*, ſi omnes haberi poſſent, anteferendam. *Celſi* autem autoritas eſt quidem quammaxima apud eruditos, neq; à me omnino refutanda, niſi cogerer pro ueritate tuenda & meæ bonæ exiſtimationis fama propugnanda, autori alioqui de lingua latina benemerito, in his præſertim quæ ad medicinā pertinent, fidem abrogare. Nam ſi ſtylū ſpectes & romani ſermonis nitorem atq; elegantiam, cui Celſus non ſapit, meritò uideretur D deſipere: Sed ubi de rebus agitur, quas medicina tractat, cautius eſt de homine iudicādum, cauendumq; ne cantilena rhetorica deliniti, ueluti ſirenum cantibus, in multos errores tanquam in ſcopulos præcipitemur. Poſſem ego, ſi uellem, quamplures Hippocratis aphoriſmos non ſatis fideliter à Celſo in linguam latinam traductos in medium adducere, ſed ero contentus paucis, ne ſim prolixus: unum in primis afferam Hippocratis aphoriſmū quartæ particulæ, qui ad ſequentem cum Patauinis habendam pertinet diſputationem: eſt autem ſecundum ordinem codicis græci uigeſimus numero, qui iuxta Theodori tranſlationem (nolo enim citare meam, ne uidear in mea cauſa, quod leges prohibēt, idem eſſe actor & teſtis) in hunc modum ſcribitur: *Deiectiones nigræ modo ſanguinis atri*, ſponte uenientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peſſimæ ſunt: & quo plures ſunt praui colores, eo peius: ſed ſi ex medicamento tales egeruntur, melius eſt, & quo plures non praui colores ſunt, eo melius. A Celſo uero è græca lingua ita in latinam redditus libro ſecundo, capite ſeptimo, circa eiuſdē capitis finem inuenitur: Aluus nigra ſanguini atro ſimilis, repētina, ſiue cum febre, ſiue etiā ſine hac, eſt pernicioſa. In qua Celſi tranſlatione duo ſunt errata, & quidē nō parui in medicina momenti. Primus error eſt, quo uera ſententia totius aphoriſmi deprauatur atque peruertitur: Secundus error eſt, quia non integer aphoriſmus, ſed decurtatus à Celſo recitatū, ultima enim eius pars reticetur, quæ facit ad intellectum totius aphoriſmi. Primi erroris cauſa fuit uerbi *αὐτόματον* apud Græcos duplex ſignificatio, nam quandoq; ſignificat id quod repente fit, quandoq; illud quod non à cauſa extrinſeca, ſed intrinſeca prouenit. Primi ſignificatus exemplum habetur in illo aphoriſmo eiuſdem particulæ quartæ numero ſeptuageſimoſeptimo, qui iuxta Theodori traductionē ita ſe habet: Quicunq; ſponte ſanguinem mingunt, his uenulam ruptam eſſe in renibus ſignificatur. In cuius aphoriſmi expoſitione ratio à Galeno aſſignatur, quare

Celſi duo errata.

uerbum

A uerbum ἀπ᾽ αὐτομάτου græcũ, ſeu ſponte latinum, repente ſignificet,& nõ id quod ſine cauſa extrinſeca fit. Sed melius eſt ipſius Galeni aphoriſmum exponentis uerba ſubijcere, quæ ſecundum tranſlationem noſtram ita ſcribuntur: Quod dicitur ſponte, idem quod ſine cauſa exteriori oſtendere poteſt, & quod ueluti repente nullo caſu præcedente,quales apparent ueſica hulcerata:In ipſa enim uenam rumpi ex influentis ſanguinis abundantia,quemadmodum in renibus,eſt impoſſibile: Neq; enim per eius uenas ſanguis percolatur, ſed ſolum tantus quantus ipſi ſufficiens pro alimento contribuitur. Præterea neque uenæ quæ in ueſica,nudæ aut inſtabiles natura ſunt,ſicuti quæ renum uentres ſubintrant,quarum ora aperiuntur,& quæ aliquando diſrumpuntur propter humorum multitudinem ac craſſitudinem,qui in ipſis continentur. Diſruptio itaq; facit ſanguinis euacuationem: ora autem aperta non uniuerſim ſanguinem effundunt,quũ præſertim parua eſt apertio,ſed paulatim ac tenuiorẽ percolant,unde totam urinã ſubſanguineam efficiũt. Fit aũt,ut dixi,et uenis ueſicæ ex exeſione laborãtibus,ſanguinis euacuatio,quam antecedunt hulceris ſigna in ueſica,hoc eſt & loci dolor, & pus,& ipſius corporis ueſicæ quædam ueluti fruſtula. Hac ratione igitur melius eſt uerbum ſponte pro repente accipere,& nõ pro ſine cauſa manifeſta.Siquidem ſanguis ex renibus ſæpius & ſine cauſa excernitur manifeſta, uaſe ex multitudine rupto, ſed aliquando ob ſaltum uehementiorem,uel ex alto caſu,uel ictu. Ex his uerbis Galeni aphoriſmum exponentis apparet, quare ἀπ᾽ αὐτομάτου græcum uocabulum,ſiue latinum ſponte,hoc in loco repente ſignificat. Si tamen uerum fateri uelimus ἀπ᾽ αὐτομάτου quidem in Græcorũ lingua poteſt repente ſignificare:ſponte autem in noſtra non habet proprie hoc ſignificatum, ſed alterum tantum, id eſt, ſine cauſa extrinſeca,

B ueluti arte aliqua ſeu opera noſtra: dicimus enim arbores ſponte naſci, id eſt, naturaliter & non ab homine: dicimur etiam aliquid ſponte agere,quum ex electione noſtra non ui aliqua cogente uel impellente facimus, ut habetur ex doctrina Ariſtolis libro tertio Moralium Nicomachiorum. Quæ autem repente fiunt non ita dicuntur ſponte eſſe facta: ſed quia ſic tranſtulit Theodorus (neq; enim potuit commodius transferre) nos quoque illum imitati ἀπ᾽ αὐτομάτου repente uertimus tam in aphoriſmo,quàm etiam in eiuſdem aphoriſmi Galeni expoſitione. Alterũ ſecundæ eiuſdem græci uocabuli ſignificationis exemplũ habetur in ſecũdo aphoriſmo primæ particulæ aphoriſmorum, qui interprete Theodoro ita ſcribitur: In perturbationibus uentris & uomitibus ſpontinis: Et in alio quartæ particulæ numero ſecundo eiuſdem ferè ſententiæ,qui eodem Theodoro interprete ita incipit: In medicamentorum uſu ſi talia ducũtur ex corpore, qualia uel ſponte exeant, utile eſt: Et in alio etiam aphoriſmo quartæ particulæ numero uigeſimo, de quo ſuprà diſſeruimus.In quibus omnibus iuxta Galeni expoſitionẽ ſpontinũ uel ſponte ſignificat id quod diximus à natura ſcilicet & nõ aliena opera factum. De ſigno autem uenam in renibus ruptam ſignificãte,ſumpto ex ſanguine repente cum urina micto, quid ſenſerit Celſus, recte an perperam ſuper hoc Hippocratis ſententiam retulerit, non habeo dicere, quia nullam de eo animaduerti ab eodem Celſo fieri mentionem. De ſignis autem uitium ueſicæ ſignificantibus uidetur Celſus uoluiſſe Hippocratis ſententiam interpretari in aphoriſmo quartæ particulæ ſeptuageſimonono:qui ſi fideliter uerteretur, aliter uerteretur:utor autẽ dubitandi particula,ſi, quoniam etiam in tranſlatione Theodori eundem, quem apud Celſum, errorem offendi. Tranſlatio Theodori ita ſe habet:Si quis ſanguinẽ mingit & grumos, & guttatim emittit urinam, ac dolore ad uentrem imum & pectinem & fœmen,uitijs ueſicæ laborat.Celſus autem eandem ſententiam ita ex Hippocrate in-

C terpretatur: Aut ſi paulatim deſtillat, uel ſi ſanguis per hanc æditur, & in eo quædam cruenta concreta ſunt, idq; ipſum cũ difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in eadem ueſica uitium eſt. In his ultimis uerbis utriuſq; tam Theodori, quàm etiam Celſi tranſlationis error deprehenditur. Nõ enim tantũ in ueſica uitium eſſe ex ſignis ſupradictis ſignificatur, ſed & in omnibus inſtrumẽtis urinæ ſeruientibus: quemadmodũ ex Galeni in aphoriſmũ ſuprà allegatũ habetur expoſitione. Codex autẽ græcus Hippocratis habet, circa ueſicam, & nõ in ueſica. Plurimũ autem intereſſe Galenus in ſua expoſitione cenſet, an hoc uel illo modo ſcribatur. Illos ſiquidẽ errare dicit, qui intelligunt circa ueſicã ab Hippocrate dici, quaſi ipſam ueſicã laborare dixiſſet. Nam hi, quos memorat, caſus communes ſunt omnibus quæ urinę ſeruiũt inſtrumentis, ueſicæ, renibus, urinarijs meatibus. Melius itaq; hoc modo quæ circa ueſicam, ut inquit Galenus, accipere, nõ tanquã ſola ueſica ſignificetur, ſed & partes quæ illi adnectũtur. Adhuc autẽ magis, ut ita accipiamus, hortabitur ſequens aphoriſmus, in quo non quæ circa ueſicã ægrotare dicit, ſed ipſius ueſicæ eſſe exhulcerationem: quũ nõ idem ſit, pati aliquid ipſam ueſicam, enunciare, uel, quæ circa ueſicam: quemadmodũ in fine ſuæ commentationis Galenus determinat. Sed quid opus eſt ex alijs aphoriſmis male à Celſo traductis eiuſdem Celſi errores perquirere, quod non libenter facimus, qui multo libentius ſolemus in barbaros autores quàm latinos inuehi: Nunc uero noſtri propoſiti præcipuũ eſt inſtitutum, non Celſi autoris latiniſſimi famæ detrahere, ſed ſolum oſtendere non recte Celſi autoritatem in materia medicinali ab epiſtolæ autore aduerſus me fuiſſe allegatam. Illum itaque nunc aphoriſmum, qui contra me citatur, in medium adducam, quem autor epiſtolæ ſcribit à Celſo bono Hippocratis interprete, libro ſecũdo, capite ſecundo, ſic ad uerbũ interpretari: Si auſtri pluuiæq; hyemem occuparint, uer autem frigidum & ſiccũ eſt, grauidæ quidem fœminæ, quibus tum adeſt partus, abortu periclitantur: Hæ uero quæ gignunt, imbecillos uixq; uitales ædunt: Cæteros lippitudo arida, &, ſi ſeniores ſunt, grauedines atq; deſtillationes male habent. Miror autorem epiſtolæ, qui ſolet in meis tranſlationibus aliquos notare errores, qui tamen non ſunt mei, ſed impreſſorum potius errores, uel, ſi mei ſunt, à codice mendoſo, quem prius ſolum habui quum Hippocratis aphoriſmos latinos cum Galeni cõmentationibus facerem, habuere occaſionem: Miror inquam Celſi errorem circa finem aphoriſmi cõtra me adducti non deprehendiſſe. Nõ putauit, ut opinor, autor epiſtolæ multum differre, utrum dicatur æger à morbo male haberi, an cito interimi: Atqui multa morborũ genera & inter cætera febres, quàm plurimos homines male habent, quæ tamen non interimunt, uel cito uel tarde, ſed ad ſalutem magis quàm ad mortem terminantur. Error uero, meo iudicio, non paruus exiſtit, & qui non parum poteſt medicum in præcognitionibus infamare, ſi morbum pernicioſum prænunciet fore ſalutarem, uel ecõtra. Cuius infamiæ periculo autor epiſtolæ ſubijcietur, uel quicunque alius maiorem Celſo fidem, quàm Galeno tribuerit: Qui in calce aphoriſmi à nobis propoſiti ex duabus ſcripturis, quarum altera habetur ſine negatione ſic, συντόμως ἀποθνήσκοντες, id eſt, ut recte tranſtulit Theodorus, cito interimentes, non recte autem Celſus, male habentes, altera cum negatione ſic, οὐ συντόμως ἀποθνήσκοντες, id eſt, non cito interimentes, primam magis Galenus approbat: Quoniam eadem habetur in libro Hippocratis de Aëre & aqua. Sed neq; ſecunda ſcriptura, cum negatione ſi legatur, non cito interimentes, Celſum uendicat ab errore: Nam negatio adiuncta modo, non perimit rem, ſed modum ipſum, ſecundum Ariſtotelem in libro de interpretatione: Cito autem & tarde eſſe quoſdã modos,

qui

A qui ueram dialecticam tenent, qualem tenere autorem epiſtolæ noui, haudquaꝗ̃ ignorãt. Deſtillationes igitur, de quibus Hippocrates loquitur & in libro de Aëre & aqua, & in aphoriſmo, de quo nunc diſputamus, ſeniores, ſecũdum eundem Hippocratem, interimunt uel citò, uel tarde: quod multo peius eſt, quàm ſi male tantum patientes haberent, ut ex Celſi translatione nobis inſinuatur. Tandem res uenit ad ſubſidiarios: Autor enim epiſtolæ, quaſi diuinaret omnes, quas attulit ad probãdum id quod uolebat, & rationes & autoritates facile iri peſſundatũ à quouis etiam mediocriter erudito, ſicuti & à nobis eſt factitatum, ultimum habuit, quo ſe tueretur, refugiũ, Galenum ſcilicet cuius autoritatem ſciebat eſſe tantam, ut nemo eam niſi ualde proteruus auderet denegare: ſic ergo, ueluti in uno autore Galeno omni ſuæ diſputationis robore collocato, autor epiſtolæ ſcribit: Verum quid adhuc teſtimonia mendicamus, quum Galenus ipſe Hippocratis primum Epidemiarum librum enarrans, hunc aphoriſmum uti nunc recitauimus, afferat. Ita autem uerba Galeni græca autor epiſtolæ attulerat: ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γένηται, id eſt, ſi uolumus latine interpretari, ſi hyems auſtrina & pluuioſa fuerit, & reliq. Sic autor epiſtolæ Galenum citat. Verum aut ego fallor, qui librum habeam mendoſum, in quo liber primus Epidemiarum à Galeno exponitur, aut autor epiſtolæ uoluit omnes ſuæ epiſtolæ lectores falſa allegatione ludificari. Atqui idem liber Galeni Hippocratis primam Epidemiam exponentis eſt apud me, eſt & alter penes medicum excellentiſſimum Ludouicũ Bonaciolum: Et in his duobus exemplaribus alia ſcriptura, ab illa quã autor epiſtolæ recitauit, in qua ſcriptura uerbum γένηται non habetur, ſed illa tantum uerba Græca leguntur, ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος, καὶ τὰ ἑξῆς, id eſt, ſi hyems auſtrina & pluuioſa, & quæ deinceps.

B In quibus poſtremis uerbis ſcilicet, & quæ deinceps, & uerbum γένηται, id eſt, fuerit, & reliqua quæ in toto aphoriſmo, ita quod καὶ εὔδιος, intelliguntur. Nos tamen boni conſulimus & malumus autorem epiſtolæ ſui codicis mendo fuiſſe deceptũ, quàm alios falſo teſtimonio uoluiſſe decipere. Mutuum enim beneficium rependimus, quando & ipſe quoque & Theodoro & mihi pariter locum reliquit ad ueniam, qui nõ culpa noſtra, ſed deprauati codicis errore, quem inciderimus, ſimus hallucinati, Sic enim in parte poſtrema ſuæ epiſtolæ ſcribit: Sed unde, inquies, moti ſunt interpretes uiri & utraqꝫ lingua erudititiſſimi & medicinæ perititiſſimi, ut uerbum ſuperadderẽt quod Hippocrates nõ dixerit: id ego eueniſſe reor, propterea quod codicem inciderint, in quo additum erat καὶ εὔδειος, nam & nos in quodam exemplari talem animaduertimus ſcripturam. Videntur tamen illi nõ εὔδειος, ſed amoto ε elemento, à ſecunda ſyllaba, εὔδιος legiſſe, quæ uox Polluci, ponti malaciam, Ariſtoteli in problematis modo ſerenum, modo tranquillum ſignificat, Qua etiam uſus eſt idem Hippocrates ſecundo Epidemiarum libro, ſic ſcribens: ἐς περίθορον περὶ ἡλίου τροπὰς ὀλίγον τὰς θερινὰς ἤλθομεν, ἐγεγόνει δὲ ὁ χειμὼν εὔδιος νότιος. Neutram tamẽ nos, ut ſupra patuit, earum lectionum probamus, ſed uel abradendum illud uerbum putamus, ueluti ſuppoſititiũ uel legendum utrobiqꝫ ὑδῖος, penultima circumflexa, quę uox humidum ſignificat, quod ſenſui Hippocratico optime quadrat, nõ εὔδιος, cuius utrunqꝫ ſignificatum cum altero prius dictorum uerborum, ut oſtendimus, neceſſario pugnat. Hæc omnia autor epiſtolæ ad literam. Ad quæ nos uolentes ſingulatim reſpondere, primũ illud uerbum notandũ duximus, quo me ac Theodorum autor epiſtolæ ſatis debiliter excuſans, utendum cenſuit, quum ait nos incidiſſe codicem in quo ſcriptũ erat uerbũ καὶ εὔδιος ſuperuacuum. Illud enim incidere, caſum quendam uidetur ſignificare: Scimus autem ex doctrina Ariſtotelis caſum atqꝫ fortunã circa illa uerſari quæ raro eueniũt & inſolenter.

C Ego uero auſim uel magna ſponſione contendere, ſi autor epiſtolæ unum fortè librum repererit, qui ſine uerbo εὔδιος in aphoriſmo ſit ſcriptus, me centum allaturum, in quibus idem uerbum inueniatur. Quia tamen tot numero codicum inuentio eſt difficilima uel impoſſibilis, ſententiam noſtram paucorũ, quos quimus adducere, teſtimonijs aſſeuerabimus. Verbũ εὔδιος habuit Philotheus, & alter expoſitor græcus anonymus, in aphoriſmo Hippocratis ab ipſis expoſito, Idem uerbũ habuit codex Hali, è græca lingua in Arabicam tranſumptus, Idem habuit codex Theodori, Idem Laurentiani, ut eorum tranſlationes luce clarius manifeſtãt: Eandem ſcripturam habet & meus, quo primum uſus fui in transferendis Hippocratis aphoriſmis, & plures alij, qui poſtea ad manus meas peruenerunt: atq; inter cæteros codex uetuſtiſſimus, quem antea diximus allatũ fuiſſe ad me ex urbe Veneta, & plures alij, quos in eadem urbe mihi uidere contigit: Qui omnes ſimul collecti tantam debent habere fidem uel etiam maiorem, quàm unicus Demetrij Chalcondilis quantũuis uiri græce & latine doctiſſimi codex, quem Demetriũ conſtat Theodori Gazæ fuiſſe diſcipulũ. Quare ſi codices ex poſſeſſoribus autoritatẽ ſortiuntur, maior, aut ſaltem æqualis Theodori codici fides eſt adhibenda. Hæc de codicum fide dixiſſe uolui in meam & Theodori defenſionem, ne uideamur mendoſis codicibus temere credidiſſe: Nam ut ſuprà diximus, ſatis debiliter fuimus ab epiſtolæ autore excuſati, quin ſi quis eandem epiſtolam legerit, meritò poſſit ambigere an magis in ea accuſemur, an excuſemur: Siquidem ait nos uiros utraq; lingua eruditiſſimos, & medicinæ, ut inquit, peritiſſimos, mendoſum codicem inciſiſſe, qui nobis errandi dederit occaſionem, cui ſimilem & ipſe ex ſimili ſcriptura
D codicis deprauati aliquando habuerit, ſed eam ab ſe reiectam atq; repulſam, quoniam uideret ex ipſa ſequi manifeſtam in uerbis aphoriſmi duodecimi tertiæ particulæ repugnantiam, quam nos alioquin doctiſſimi ac medicinæ peritiſſimi non animaduertiſſemus. Verum hanc uerborum dicti aphoriſmi repugnantiã, quam ſolum ſe peruidiſſe autor epiſtolæ gloriatur, ſatis ſuperq; longa diſputatione eſſe nullam antea demonſtrauimus, ſi modò uelit id, quod lingua latina patitur, atque Vergilij ac probatiſſimorum grammaticorum confirmat autoritas, nobis concedere, uerbum ſerenum ita tranquillum à uentis, ſicuti nubibus carens, ſignificare. Sed quia ſuo quodam ueluti dilemmate autor epiſtolæ arguit, quo aduerſarios utrinq; capiat: Si auſtralis eſt hyems, quomodo tranquilla? ſi pluuioſa, quomodo ſerena? poſtquam alteram ſuæ argumentationis partem ſuprà deſtruximus, agè & alteram, tum experientia omniũ rerum magiſtra, tum autoritatibus medicorũ, præcipue Hippocratis, atq; Galeni Hippocratem exponẽtis, refellamus. Sed antequam ad hoc ueniamus, quædã à nobis ſunt prælibanda, quæ ad id, quod probare intendimus, ſunt admodũ neceſſaria. Eſt autem noſtrũ propoſitũ oſtendere, nõ eſſe adeò à ueritate alienũ, eandem hyemem diuerſis tamen temporibus aliquãdo eſſe pluuioſam, aliquãdo ſerenã. Quare fortaſſis Hippocrates in libro de Aëre & aqua rationabiliter ſcripſit, hyemem ſuæ naturę legitimæ ſeruantem temperaturã, oportere nõ eſſe ἄγαν εὔδιον, id eſt, ualde ſerenã, ſicuti neq; ualde tranquillam, ut ſuperius, quum de traductione Theodori diſputabamus, oſtendimus. Ipſe quoq; autor epiſtolæ uerbum εὔδιον, tum apud Ariſtotelem, tum etiam apud Hippocratem in libro primo Epidemiarum, utrunq; habere ſignificatum non diffitetur: & quod plus eſt, eandem hyemem νότιον εὔδιον, quæ duo uerba includere repugnantiam in aphoriſmo duodecimo, ut in ſua argumentatione oſtenditur, iudicauit: Nam ut arguit: Si auſtrina, quomodo tranquilla? ſi pluuioſa, quomodo ſerena? Verum Philothei autoris græci non cõtemnendæ autoritatis à nobis allegati expoſitio

A poſitio idem uerbũ αἴθριον, id eſt, purum & à nubibus expurgatum interpretatur, ut qui nõ tantam eſſe in uerbis aphoriſmi, quem exponebat, repugnantiã, quanta prima fronte uidetͣ, agnoſceret, ſi eadẽ hyems & pluuioſa & ſerena diceretͣ. Quã rem etiam nos uolentes demonſtrare, neceſſe habemus quædam ad memoriam reuocare, quæ à Galeno in commentarijs libri primi Epidemiarum dicuntur: ubi nos docet hyemem à ſua natura humida ad ſiccitatem aliquando conuerſam, ſiccam appellari, non quia ſit ſicca, ſed quia propriæ naturæ comparata, ſiccior appareat. Eſt autem operæprecium non ſolum clarioris doctrinæ gratia, ſed etiam fidei maioris cauſa, ipſius Galeni uerba ſubijcere, uerbũ illud αὐχμὸν Hippocratis, exponentis hoc modo: Sicciorem ea quæ conuenit, conſtitutionem, αὐχμὸν, id eſt, ariditatem nominauit, non ualde uſitata uocabuli ſignificatione, conſueuimus enim non ſimpliciter ſicciorem, ſed eam quæ ſummum habet ſiccitatis gradum ita nominare. Impoſſibile eſt autem, & dictu incredibile hyemem adeò ſiccam fieri, ut terrã aridam reddat, qualis eſt in æſtate: neq; enim in Vere talis eſt conſtitutio, cui nunc ait factam eſſe ſimilem hyemem uniuerſam, ſiquidẽ hyems talis fiat, quale eſt Ver. Per quæ uerba Hippocrates uult oſtendere hyemem factam eſſe ſeipſa ſicciorem, non tamen æſtati æqualiter ſiccam: Quare & ariditatẽ, de qua paulò ante loquebamur, non ſatis propriũ diximus eſſe uocabulum, atq; ideo nõ ſimpliciter nunc ab eo dictum eſt accipiendum, ſed per relationem: quemadmodum & formicam magnam dicimus, uel montem paruum: Vt enim hyems nunc eſt facta, non ſimpliciter arida, ſicuti neq; formica magna, ſed ut formica magna: Sic igitur & monte paruo alius minor exiſtit, & hyems arida eſt æſtate humidior: Quemadmodum nunc factam hyemem per comparationem talem eſſe dixit, quale eſt uer. Hæc uerba Ga

B leni noſtro accommodantes propoſito, dicimus, quum hyemem pluuioſam eandemq; ſerenam uocamus, nõ exquiſite neq; ſimpliciter ſerenã intelligi uolumus, ſed ut hyemem ſerenam, quæ nunquam uel raro talem aut tantam habet ſerenitatem, qualem uer habet aut æſtas, quum ſibi propriam ſeruant temperaturam: quæ in altero eſt temperata, in altero eſt calida & ſicca: Talem autem permixtã pluuijs hyberni temporis ſerenitatem ſolet Hippocrates mixæthriam nominare. Quæ, ut melius qualiſnam ſit intelligatur, uerba Galeni Hippocratẽ exponentis ſubijciemus, quæ in hunc modum ſcripta inueniũtur in commentarijs eiuſdem in ſecũdo Epidemiarum, ubi Hippocrates de quadam hyeme loquitur, in qua pluuiæ abundantes ac magnæ fuerũt: Multas dicimus aquas aliquo tempore fieri propter temporis longitudinẽ, etiamſi non magno cum impetu in eodem tempore eruperint: Dicimus aũt multas aquas etiamſi in pauco tempore uiolenter deſcenderint, poſſunt autem & hæ magnæ nominari. Verum quũ aliquis deinceps adinuicem græce dixerit, ὕδατα λάβρα καὶ μεγάλα, id eſt, aquas derepente ingruentes, & magnas, quemadmodũ Hippocrates ipſe conſcripſit, per uerbũ λάβρα repentinas intelligemus & pauco tẽpore factas: ſicuti & eas quę nõ longo tẽpore perdurarũt. Clarioris autẽ doctrinæ gratia nihil prohibet nos paulò longiore uti enarratione. Supponamus itaq; multã repẽte pluuiã ingruere horis tribus uel quatuor, deinde ſtatim quieſcere, hanc pluuiã λάβρον, id eſt, repentinã nominabimus. Altera aũt paulatim quidẽ incipiat, paulatim uero augeatͣ, & hoc per totam diem fiat ac noctẽ; deinde quũ ad ſummũ ſtatũ peruenerit, rurſus in multitudine minuatͣ, et hoc paulatim per totã illam quę ſubſequitͣ diem, demũ quieſcat: Talem quidẽ pluuiã nõ dicemus repentinã. Talis igitͣ hyems, qualẽ deſcribit Hippoc. pluuias aliquãdo habuit repentinas, aliquãdo magnas: uerũ per interualla facta intermedia aëris ambientis claritate: Sit aũt & hoc pari libra, & id quod ab Hippocrate mixæthria, id eſt, mixta cũ

C pluuijs ſerenitas, nominatur. Hæc quidē Hippocrates atq; Galenus eius expoſi-
tor. Quid ergo prohibet talem etiam eſſe hyemem, de qua Hippocrates in aphori-
ſmo tertię particulæ duodecimo meminit? quam auſtrinam ac pluuioſam atq; unà
ſerenam ſupponit uer ſiccum & borealem antecedere. Nam ſicuti de tranquillita-
te dicebatur, nō mutari propter eam hyemis caliditatē, quin potius eandem ſerua-
ri uel augeri, hoc idem de ſerenitate poſſumus dicere aquarū multitudini & auſtri
nis flatibus interiecta: Ex eadem autē ſerenitate parū de hyemis humiditate cōmi
nuitur, quæ ex eadem aquarū multitudine, & auſtrinis flatibus fouetur. Quod ue
ro adhæc autor epiſtolæ obijcit: Si quis fortè dixerit, ut alijs atque alijs diebus, imò
uno eodemq; die modo auſtri & pluuiæ ingruant, modo tranquillitas aut ſereni-
tas appareat, uideant qui ſic dicunt, quomodo conſentanea Hippocrati atq; Gale-
no loquantur: non enim eſt illis in hoc aphoriſmo ſermo de ea mutatione, quæ in
una ex quatuor anni partibus, uel in uno die, de una qualitate in aliā fit, ut de qui-
bus ſuperius primo ac quarto aphoriſmo eiuſdē libri diſſeruerit, ſed Galeno etiam
ipſo teſte in expoſitione aphoriſmi, de uarietate, quæ in tēporibus, hoc eſt una ex
quatuor anni partibus inuicem ſuccedentibus, dum uidelicet propriā non habent
qualitatem, ſed eius loco aliam: Alioquin non auſtralis & pluuioſa, ſed inconſtans
ac uaga hyems diceretur, ut quæ minime ſibi cōſtaret, ſed ex pluuioſa in ſerenam,
ex auſtrali in tranquillam laberetur. Hæc obiectio tota hominis eſt non intelligen
tis quî conueniant, quiue differant primus & duodecimus tertiæ particulæ apho-
riſmi, & quî etiam quartus ab eodem duodecimo diuerſificetur. Vtrobique enim
in primo ſcilicet & duodecimo intendit Hippocrates de uarijs alterationibus qua-
tuor anni partium inuicem ſuccedentium, ſiue ſint duæ partes, ſiue tres, ſiue qua-
D tuor, pertractare: Alterationibus dico ſecundum quas à propria temperatura ad
alienam tranſmutantur. Verum in primo aphoriſmo de eiſdem mutationibus ge-
neraliter loquitur, & nos edocet quod hæ maxime generant morbos, non ſpecifi-
cando tempora, neque morbos qui à talibus alterationibus generantur: In duo-
decimo autem & hyemem & uer, quæ ad contrariam ſuæ propriæ naturæ qualita
tem ſunt conuerſa, atq; unà morbos, quorum hæ conuerſiones ſunt cauſatiuæ, no
minatim explicat. Differūt autem omnino inuicem quartus & duodecimus apho-
riſmi: quia in quarto etiam dicitur generatim, quod in quacūq; anni parte eadē die
aliquando calor, aliquādo frigus uigeant, autumnales ægritudines ſunt expectan-
dæ. In duodecimo uero nō eſt talis hyberni tēporis in uno die ſecundū caliditatem
ac frigiditatē mutatio. Quin potius, ſicuti antea dictū eſt, ſerenitatis atq;, ut ita dixe
rim, pluuioſitatis in quibuſdā diebus uiciſſitudo, nō euariant totam hyemis tempe
raturam, quæ continuò uergit ad callididatem ac humiditatē. Illam autē quam dixi
eſſe duorū aphoriſmorū, primi ſcilicet ac duodecimi, cum quadam diuerſitate com
munionem, eſſe Hippocrati atq; Galeno eius interpreti conſentaneam, ſi mihi au
tor epiſtolæ minime credit, legat ipſe, qui græcam tenet literaturam, Galeni pri-
mam tertiæ particulæ in primū aphoriſmum græcam commentationem. Ego ue
ro his, qui græce neſciūt, meam ſubijciam latinam tranſlationem, quæ ita ſe habet:
Mutationes temporum, nonnulli exiſtimant dici, quibus inuicem commutantur.
Hanc nonnullorū exiſtimationem Galenus improbat, quoniam ſucceſſiones tem
porum nihilo magis pariūt morbos quàm ſoluunt: Demū ea improbata, id quod
ſibi uerius & magis Hippocratis uerbis in aphoriſmo cōſentaneum uideatur, ex-
ponit in hunc modum ſcribens: Quo modo igitur non ſat fuit ipſi dicere mutatio-
nes temporum pariūt morbos, ſed &, potiſſimum, addidit? Melius itaq; fuerit ob
hanc adiectionem, per mutationes temporum, intelligere eas, quæ fiunt ſecun-
dum

A dum illorum temperaturas, alterationes: Hæ ſiquidem ſunt quæ potiſſimum generant morbos: quando multæ alia poſt aliam fiunt alterationes, quemadmodum in Epidemijs ſcripſit Hippocrates, & nunc etiã paulò poſt dicet. Si uero unius temporis alteratio efficit morbos, non tamen potiſſimum: Tunc igitur fiunt morbi potiſſimum ex unius temporis alteratione, quando contigerit magnam eſſe alterationem: & ob hanc cauſam ipſe inquit, & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes uel frigoris, uel caloris, uel alicuius alterius rei, ueluti humiditatis, ſiccitatis uentorum, & defectus eorum. Ex hac Galeni cõmentatione luce clarius apparet, Hippocratem in primo aphoriſmo tertiæ particulæ non ſolum loqui de unica tantum alteratione unius partis anni, ſed de pluribus ſe ſubſequẽtibus alia poſt aliam. De quibus etiã facta eſt in Epidemijs ab eodẽ Hippocrate mentio, & de quibus paulò poſt ab ipſo dicetur, in undecimo ſcilicet & duodecimo, ac ſequentibus pariter multis aphoriſmis: In quibus, ut antea dixi, tempora quę à propria natura cõmutata maxime generãt morbos, cum ſuis morbis ſpeciatim ab Hippocrate numerantur, ſicuti in primo aphoriſmo generatim tantummodo tanguntur. Illa hyems pariter, quam pro exemplo ſuperius adduximus ex primo libro Epidemiarũ, una ex illis eſt, quæ alterata ad maiorem humiditatem & frigiditatem, quàm hyemi temperatæ cõueniat, uer ſubſequens habet frigidum, boreale, pluuioſum atq; ſubnubilum, plurimum à uerno temperamento recedens, & ideo Vere potiſſimum cœpere morbi, ut inibi inquit Hippocrates. Vna autem anni parte tantummodo alterata, alijs ſuum ſeruantibus temperamentum, ſi maxima fuerit alteratio, in eadem quoque maxime morbi generantur: Et de tali unius partis anni tantummodo alteratione Hippocrates loquitur in ſecunda parte primi aphoriſmi tertiæ particulæ,
B quum inquit: Et in temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris. & alia pro ratione eodem modo. Sed talis alteratio partis unius, ſeu temporis anni totius non pertinet ad præſentem diſputationem: Et male ab epiſtolæ autore inconſtans ac uaga nuncupatur, quæ ab Hippocrate, atque Galeno magna nominatur: Quia præter alia mala quæ habet, maximam etiam gerit in malitia conſtantiam: alioquin niſi perſeueraret, non generaret maxime morbos. Sed de his ſatis, quoniam puto ſufficienter demonſtratum tertiæ particulæ primum aphoriſmum non indiguiſſe caſtigatione: & uerbum εὔδιον in ipſo retinendum, & nullo modo, ut autor epiſtolæ iudicat, abradendum, Sed multo minus loco eius εὐδῖον, id eſt, humidum, ueluti idem opinatur, reponendum: Hæc enim opinio duabus fortiſſimis rationibus falſa eſſe probatur: Quia hoc uerbum δῖος quamuis in lingua Græcorum multa habeat ſignificata: nam ut ſcribitur in etymologico δῖον ſignificat glorioſum, ut diuus Achilles, & diuus Vlyſſes: & magnum, ſicuti in mare diuum, & diuinum uel admirabile: ſignificat etiam bonum, ſicuti apud Homerum in Odyſſea, diuus ſubulcus: nuſquam tamen ſignificat humidum, neq; autor epiſtolæ idoneum habet autorẽ ex quo poſſit afferre huius ſignificatus exemplum: Scio equidem in quodam uocabulario uocabula græca latine interpretante hæc uerba legi: δῖος generoſus, diuus, humidus, ſed quia nomen autoris eſt mihi ignotũ, non abſque ratione fides huius uocabularij eſt mihi ſuſpecta, qui multo magis credo lexicis græcis, id eſt, uocabularijs, quorũ nullum δῖον, id eſt, humidũ interpretatur, ſicuti neq; εὔδιον: Quandoquidem illud aduerbium εὖ nihil aliud addere uidetur in cõpoſitione niſi humidi bonitatem, hoc eſt, bene humidũ ſignificare. Secunda ratio etiam ſuperius à nobis tacta: quia ſi hyems pluuioſa ſimul & humida ab Hippocrate diceretur, uitiũ nugacitatis incideret, quod nulli minus autori, quàm ipſi Hippocrati, quum in omni ſermone, tum ubi aphoriſticam breuitatem profitẽ, ſit

C tribuendum uel ipſo Galeno iudice: qui libro de Commate, de eodem Hippocrate ſcribit hæc uerba: Somnolentam cataphoram igitur quantũ ad præſens ipſis lethargicis, inſomnẽ uero quæ freneticis aduenit, tentabo diſtinguere, ut poſſis inuenire dictam ab Hippocrate differentiam: non enim erat eorum, qui uane imponunt nomina, uir iſte, neq; ſtulte adiacet cataphorę hoc, ſcilicet pigra. Neque dicit, ſicuti Homerus, humidũ oleum & lac album nullius determinationis gratia: Etenim omne lac eſt album & oleum humidum: ſed unumquodq; uocabulum & ſyllaba omnis rem aliquam ſignificat apud eum. Quum ergo omne pluuioſum tempus ſit humidũ, & nullius diſtinctionis gratia humidũ pluuioſo poſſit adiungi, uiderit autor epiſtolæ quomodo uelit pro uerbo ſerenum ſiue tranquillum in aphoriſmo humidũ reponendo, Hyppocratem grauiſſimæ autoritatis medicũ, ut græco utar uocabulo, φλυαρεῖν, in cuius ſcriptis, ut inquit Galenus, neq; una ſyllaba inuenitur ſuperuacua. Si uero autor epiſtolæ obijciat, nullo modo in aphoriſmo idem nugamentũ poſſe euitari, quoniã omnis auſter eſt calidus & humidus, fruſtra igitur auſtrinæ hyemi addi pluuioſa, quũ pluuioſum in humido potentia cõtineatur: ſiquidem nõ poteſt hyems eſſe humida ſine pluuijs: Nos pridem hanc obiectionẽ ſoluere anticipauimus, ubi diximus, autore Galeno, aliquem auſtrũ eſſe ſiccum, ſicuti & frigidum. Venio nunc ad Patauinos, è quorum gymnaſio Petrus Vernatius chirurgus & medicinæ doctor attulit ad me quaſdam circa meas aphoriſmorum Hippocratis & Galeni commentariorum tranſlationes, neſcio an dubitationes, an potius reprehenſiones debeam nominare: Nam ſi interrogandi modũ conſidero, uidentur eſſe dubitationes, quum præſertim ſub ſcholaſtici cuiuſdam nomine proponantur: ſi interrogantis irreuerentiam atque inſolentiam ſpecto, non

Nihil apud Hippocratẽ ocioſum.

D qui diſcere tanquam diſcipulus, ſed maxime docere tanquam præceptor meritò cenſeri poteſt: nam diſcipulorum officium eſt ea, de quibus dubitant, modeſtius interrogare: Quare cogor ſuſpicari, ne interrogator ſit unus è numero illorũ magiſtrorum, qui famam ſibi quærũt ex aliorũ æmulatione, & ſunt cauillandi, quàm ueritatis inquirendæ cupidiores. Quicunque tamen ſit ſiue diſcipulus ſiue magiſter, ſiue utrique ſimul qui petunt, parati ſumus ambobus reſpondere, & diſcipulum quidem edocere, præceptorem autem admonere, non eſſe illam, quam ipſi opinantur, in meis tranſlationibus confuſionem ac repugnantiam: modo uelint aut poſſint errores impreſſorum ab illis in quibus etiam interpretes aliquando falluntur dignoſcere. Hoc enim recto iudicio ſublato, patebit latiſſimus malignis hominibus calumniari cupientibus, campus: Neque enim fruſtra circa initia noſtræ apologiæ cõqueſtus ſum de chalcographis, qui ſua incuria bonas etiam traductiones aliquando corrumpunt atque deprauant, & dant criticis, quorum plena ſunt omnia, calumniandi occaſionẽ. Quod mihi in meis tranſlationibus contigit experiri, quæ primũ in Bononienſi, deinde Ferrarienſi, demum in Patauino gymnaſio calumniatores inuenerunt, quod propter famam urbis & profitentium celebritatem non parũ meo nomini poſſit officere. Illud tamen me ſolatur, quod plures habeo in eadem ciuitate Patauina fautores ꝙ detractores, quorũ ſemper odio habui maledicentiã, quã nec imitari ſi uelim poſſim, neq; ſi poſſim uelim. Quare ad aliorum iudicia mea ſcripta reſeruaui, ut ſi à bonis quidem illis uiris & doctis mihi fauentibus probabũtur, pro ueris retineãtur: Sin minus probabũtur, tanquam falſa repudientẽ, & à meipſo, ſicuti philoſophũ decet, retractentẽ. Sed iam ad rem ipſam ueniamus, & quidnam mihi obijciant quidam Patauini, qui doctrinarũ proceres haberi uolũt, diligentius examinemus. Et ut maior mihi fides adhibeatẽ, illorũ uerba ad literã recitemus, quæ in ſcedula ad me miſſa ita ſe habent: In quarta particula

principium

A principium aphoriſmi uigeſimiprimi,principium cõmenti eſt cõfuſum alienumq́
tum ab alijs tranſlationibus,tum à textu grçco,tum in ſermone includit repugnan
tiam uel confuſionẽ. Videtur uelle quod tales deiectiones quæ ſunt nigræ exquiſi
te, non ſunt bilis:ſed hoc uidetur falſum, ſcilicet quod tales deiectiones ſint exqui
ſite nigræ,ut apparet ex proceſſu cõmenti . Item non apparet ex qua materia fiant
iſtæ deiectiones,an ex cholera naturali,an ex præternaturali genita per aduſtionẽ
ex illa naturali:Item nec qualiter in principio morbi ſint indigeſtæ & in ſucceſſu,ut
in ſtatu poſſint eſſe digeſtæ, quum tales exquiſite nigrę ſint genitæ per aduſtionẽ,
ex cõſequenti non ſunt digeſtæ : Item non apparet qualiter deiectiones nigræ ef-
fuſa in terram non bulliunt. Hæc dictio,effuſa,non bene iungitur cum hac,deie-
ctiones nigræ:Item nec illud pronomẽ,eius : omnia enim deprauata uident̃. Item
in fine cõmenti uigeſimitertij uidetur dicere, quod deiectiones nigræ ſunt magis
fuſæ,& minus cõcretæ quàm ſanguis ille:quod eſt falſum.Et breuiter iſta quatuor
commenta, ſcilicet uigeſimumprimum, & uigeſimumſecũdum,& uigeſimumter
tium,& uigeſimumquartum,quæ ad eandem materiam ſpectant,ſunt confuſa mi-
nusq́ clara,quàm in tranſlatione antiqua,ac Laurentiani:quæ duæ ſunt cõformes
inter ſe & textui græco. Hæ ſunt Patauinæ obiectiones,quibus ſe Antonius Cola
ſcholaris ſubſcripſit:Quas equidem poſſum in homine ſcholaſtico non niſi collau
dare,eſt enim ſtudioſi diſcipuli officium, de ſingulis dubitare, & ſuarum dubitatio
num ab illis qui longiſſimũ uitæ tempus in ſtudijs contriuerunt, petere ſolutionẽ,
cum quadam modeſtia tamen , ne uideatur uoluiſſe docere potius quàm diſcere.
Quæ ſanè modeſtia quũ his deſit Patauini ſcholaſtici obiectionibus, nõ temere mi
hi eſt iniecta ſuſpicio, ne maximam earum partem præceptor, ut eſt ingenio ad li-
B tigandum prono,fabricauerit. Quanquam huiuſmodi lis, à qua abſunt conuicia,
quũ pro ueritate tuenda ſuſcipitur,autore Heſiodo nõ ſit improbanda. Ob quam
etiam ueritatis defenſionem nos hanc ſcripſimus apologiã, & tanto libentius con
tra Patauinas obiectiones,quãto ſunt de rebus maioris ad uitam momenti,in qui-
bus ſcilicet ſalus humana uertitur, quàm ſuperiores de membrana abdominis inte
riore,& de ſerenitate uel tranquillitate in aphoriſmo tertiæ particulæ,uel abraden
da,uel retinenda. Quædã tamen & in his,quæ cõtra me ſunt factæ nouiſſimæ obie
ctiones,grammaticã potius ſapiunt,quàm medicinam:& quæ magis fuerint incu-
riæ impreſſorum quàm meo errori tribuendæ. Atque ideo nunc à me breuiter &
quodam ueluti in tranſcurſu diluentur: Vbi legitur, bilis uero nigræ non ſunt,ſcri
bendum fuit nigra, & non nigræ : & pro effuſa,effuſæ, & loco,eius, earum : aliter
non concordaret adiectiuum cum ſubſtantiuo , & multis modis caput, ut in pro-
uerbio uulgari dici ſolet, Priſciano frangeretur . Erit igitur totus uerborum con-
textus caſtigatus, ſi ita legatur : De deiectionibus nunc ipſi eſt ſermo, quæ à pri-
ſcis quidem nigræ uocantur, bilis uero nigra exquiſite non ſunt : nam acre & cor-
rodens & acidum non habent, multo uero magis neque in terram effuſæ bulliũt:
uerum ſicuti quis earum deſcribens imaginem diceret manifeſte, ueluti ſanguinis
limus, & reliq. Cur autem non fuerint huiuſcemodi caſtigationes hactenus man-
datæ literis, cauſa à nobis ſuperius eſt reddita . Sed omiſſis illis quæ ſunt curæ mi-
nutioris,ueniamus ad illa, quæ magis medicorum interſunt, & in quibus clariſſi-
mi aphoriſmorum Hippocratis & Galeni commentationum expoſitores (quod
bona illorum uenia dixerimus) non parum ſunt hallucinati : Quæ tamen eorum
hallucinationes maximam habuerunt ex mala traductione Arabica occaſionem:
Qualem etiam poſteris nouiſſima Laurẽtiani eſt præbitura, quam uideo unà cum
uetere, noſtræ, ab his qui mihi obijciunt confuſionem atque obſcuritatem , cæco

C iudicio præferri. Adeò nonnulli tanquam ueſpertiliones melius in tenebris quàm in clara luce intuentur: uel potius caligantibus oculis putant ſe uidere quæ non ſunt uiſibilia, aut intelligere quæ non ſunt intelligibilia. Sed ne uideamur quempiã indicta cauſa damnare, primum aliarum translationũ errores aperiamus: Quibus in lucem patefactis, facilis erit omnium obiectionũ, quæ contra meas factæ fuere, ſolutio. Et prima ad examen rationis adducatur translatio Laurentiani. Primus error eſt in aphoriſmo, qui in eadem translatione in hunc modũ ſcribitur: Deiectiones nigræ, modo ſanguinis atri, & reliq. Hoc uerbum Atri, eſt ſuperuacuũ: alioquin uerba Galeni in ſua commentatione erunt ſuperflua: in quibus ratio aſſignatur, quare idem uerbum quamuis non fuerit in aphoriſmo ab Hippocrate poſitũ, tamen ſit neceſſariò ſubaudiendum. Quæ uerba ſecundum meam translationem nouiſſime caſtigatam ita ſe habent: Adiecit autem ſuo ſermoni, qualis ſanguis, tale quid oſtendens, qualis ſit ſanguis denigratus dum per inteſtina deferẽ, tales ſunt nigræ deiectiones. Nam extremæ dementiæ fuerit exiſtimare, ſanguini ſecũdum naturam ſe habenti tales deiectiones aſſimilari: fient enim hæ & rubræ & nigræ: Atqui impoſſibile, idem & rubrum & nigrũ eſſe ſimul. In cuius rationis redditione etiam translatio Laurentiani non parum delinquit, quum in ea rurſus ita ſcribatur: Cæterũ diſputationi adiecit, modo ſanguinis atri, id oſtendens, ut qualis redditur ſanguis nigrorem trahens, dum per inteſtina deuoluitur, tales nigræ deiectiones exiſtant. Nam ſummæ dementiæ eſt exiſtimare, ut ſanguini per naturã habenti, deiectiones atræ ſimiles habeãtur: forent enim tum rubræ tum etiã atræ. In græco autẽ Galeni codice non legitur facta adiectio, modo ſanguinis atri, ſed tantummodo, qualis ſanguis ſimpliciter. Neq; dicitur quod nigræ deiectiones forent tum rubræ, tum etiam atræ, id eſt, partim rubræ partim atræ. Hoc enim non eſt impoſſi

Error Laurentianæ translationis.

D bile ſecundũ partes diuerſas, ſed ut ſimul atræ ſint & rubræ ſecundum omnes partes, hoc fieri non poteſt: quod impoſſibile accideret, ſi in aphoriſmo ſcriberẽ: Deiectiones nigrę qualis eſt ſanguis, & ater uel niger nõ ſubaudiretur: Nam propter ſimilitudinẽ quam haberent cum ſanguine, qui ſuapte natura ruber eſt, rubræ forent & ſimul nigræ, quia nigro colore infectæ, unde illis eſt nomẽ impoſitũ. Idem autem uerbũ niger ſubaudiri oportere in aphoriſmo uigeſimoprimo, luce clarius Galenus oſtendit in commentatione aphoriſmi uigeſimitertij, ubi ſcribit hæc uerba: Oſtendit tamen in hoc aphoriſmo manifeſte, quod & in priore quum dicebat, deiectiones nigrę qualis ſanguis, ſubaudire oporteat, niger, ut tale ſit plenum, Deiectiones nigræ, uel qualis ſanguis niger. Vellẽ ut Laurentianus uiueret, ut hominem interrogarẽ, quomodo hæc quæ in duabus cõmentationibus de tali ſubauditione à Galeno ſcribũtur, cum aphoriſmo uigeſimoprimo cõueniant, in quo ſcribitur, qualis ſanguis niger: Nam ſi actu in eo uerbum Niger continetur, fruſtra rurſus ſubaudiretur. Verum hic error fortaſſis nihili faciẽdus eſſet, niſi principẽ medicorum uaniloquũ faceret atq; mendacem. Quia autem hic idem error in prima meæ translationis impreſſione incaſtigata inueniebaẽ, teſtes habeo meos quamplures diſcipulos, mandaſſe me eis, quũ uigeſimumprimũ quartæ particulæ aphoriſmum exponerem, ut illud uerbum Niger in eodem aphoriſmo delerẽt: ſicuti & multos alios in eiſdem aphoriſmis, incuria impreſſorũ admiſſos, corrigi atq; emendari uiua uoce præcepi. Quod præceptũ, uel potius admonitio, ut eſſet nõ ſolum his qui me audiuerũt, uerum & alijs mearum translationum lectoribus cõmunis, earum fieri nouam impreſſionem ſumma cum diligentia curaui. Sed præter hunc, qui in translatione Laurentiani ſuperfluæ unius uerbi adiectionis inuenitur errorem, eſt alter multo maioris momenti, qui in prima ſtatim Galeni cõmentatione à

Laurentiano

A Laurentiano committitur, uerum uerborum ſenſum peruertente. Nam quum Galenus intendat oſtendere, quænam ſit inter deiectiones melancholicas, quas antiqui nigra ſimpliciter nominabant, alui excrementa tali colore affecta intelligentes, quænam ſit, inquam, inter huiuſcemodi deiectiones, & alias quæ ſunt nigra bilis exquiſita, differentia, ne quempiam nominis ſimilitudo decipiat, ideo uerbis in græca lingua utitur, quæ nos in latinam ita uertimus: De deiectionibus nunc ipſi ſermo eſt, quæ à priſcis quidem nigra uocantur, bilis uero nigra exquiſita nō ſunt. Laurentianus autē poſtrema uerba ad alium tranſtulit ſenſum, longe à Galeni intentione diuerſum, in hunc modū ſcribens: Bilis uero exquiſite non eſt. Quaſi Galenus uelit nobis qualis ſit color bilis, id eſt, choleræ, ut cōmunius dicit̄, inſinuare, quod uidelicet nō ſit exquiſite niger. Sed nihil hoc ad propoſitū, ut uerba ſequētia indicant, quæ ſecundū translationem etiam Laurentiani in hunc modum ſcribuntur: Nō enim acris aut acida eſt, neq; erodit, neq; in humum effuſa ferueſcit, ſed ut quiſpiam aſſimilans planius dicat, tanquam ſanguinis cœnum habetur, & reliq. In quibus uerbis non redditur ratio, quare bilis non ſit exquiſite nigra, ſed potius ex ipſis ſignificatur magnā eſſe inter deiectiones melancholicas, quæ ſunt ueluti fex ſanguinis, & nigræ bilis ex aluo fluentis excrementa, differentiam. Hæc ſiquidem acre, & corrodens, atq; acidum in ſe habent, quæ nigræ deiectiones feci ſanguinis aſſimilatæ non habent. Quam differentiam Galenus in pluribus locis ſuorum tractatuū, ſed pręcipue in eo qui De atra bile inſcribitur, & lib. tertio de locis affectis, qui De interioribus apud Latinos pręitulat̄, latiſſime explicat. Verū ego breuitatis cauſa cōtentus ero, illa tantū quæ libro tertio de locis affectis à Galeno ſcribuntur, in medium adducere, quæ ita ſe habent: Similiter autem & melancholicus hu-

B mor manifeſtas habet in ſui ſubſtātia differentias: hic quidem ueluti fex ſanguinis apparēs manifeſte, ſufficiēter craſſus, ueluti fex uini: alter uero iſto multo tenuior ſecundum ſubſtantiam, uerum qui acidus, illis qui eum euomunt & odorant, ſentiatur, hic idem & terrā abradit, eam attollens atq; fermentans, & ueſicas excitans, quales feruentibus iuſculis inſiſtunt. Ille uero, quem dixi craſſæ feci aſſimilari, ſupra terram fuſus nullam efficit fermentationem, niſi ex febre aliquādo incendente uehementer fuerit aſſatus: Minime etiam acidam participat qualitatem, quo tempore ſolemus ipſum melancholicū humorē uel melancholicū ſanguinem appellare. Nondū enim talem humorē nigram bilem licet nominare. In multis autem talis gignit̄ humor, uel propter eam, quam contraxerunt ab initio temperaturā, uel ex eſu ciborū, qui in talem humorem, dum coquuntur, in uenis mutari conſueuerunt. Hæc quidē Galenus libro ſuperius allegato. Quare ſi uolebat Laurentianus Galeni ſentētiæ cōſona ſcribere, oportuit ipſum in ſua translatione in hunc modū loqui: Deiectiones hoc in loco in tractatū uocat, quæ inquam à medicis nigræ uocantur, at uero bilis exquiſita ratione nigra nō ſunt. Quum uero uerbo ſingularis numeri uſus fuerit, dicendo non eſt, illam quam dixi, fecit ambiguitatem, qua uiſus eſt bilis colorem extra omne propoſitū uoluiſſe inſinuare. Eſt & alter error in uerbis ſtatim ſupraſcriptis translationis Laurentiani, nō tamen multifaciēdus, ſi alijs maioribus cōparetur: Vbi enim ait, quæ à medicis nigræ uocantur, melius fuerat dicere, quæ à medicis nigra uocantur: Licet fortaſſis ab illis, qui antiquorum græcorum conſuetudinem in loquendo ignorant, falſa grammatica reputabitur. Nam (ſicuti apparet in hac cōmentatione Galeni, & ex libro qui De nigra bile inſcribitur) Graij ueteres, deiectiones nigras uno uocabulo neutri generis, & numeri pluralis nigra nominabant. Sed hunc errorem quia nō eſt magni in medicina momenti, licet multoties in Laurentiani translationibus committatur, omittamus, atq; ad *Melancholiæ ſpecies.*

C alios ueniamus,qui in antiqua tranſlatione deprehenduntur, qui ſunt multo ma-
gis ponderādi:tum quia maius eſt in eorum mendacijs uitæ humanæ periculum,
tum quia coëgerunt latinos aphoriſmorum expoſitores, & præ cæteris Vgonem
Senenſem,qui etiam Galeni commentationes cōmentandi curam ſuſcepit,fruſtra
laborare,dum ſtuduerūt falſa interpretamēta aliquo ueritatis colore uelare.Qua-
le illud eſt de quo etiam antè memini in examine tranſlationis Laurentiani,in qua
male ea uerba ſcribi contendebā,Forent enim tum rubrę,tum etiam artrę:uerum
hic ſcilicet in uetere tranſlatione grauius erratur: quoniā Galenus ipſe ſeipſum in
in ſua cōmentatione,ſi bona ſit traductio antiqua,redargueret,in qua traductione
hæc uerba ſcribuntur:Qui enim hanc egeſtionē arbitrati ſunt eſſe nigram, & non
alia de cauſa nigreſcere,niſi quia in inteſtinis diu ſit immorata, male autumauerūt:
Impoſſibile enim eſt modo egeſtionem eſſe nigram, modo rubrā. Nulli enim alij
fuerunt,qui dicerent egeſtiones ſanguinolentas denigrari, dum per inteſtina defe-
runtur,præter Galenū, ut ex mea atq; etiam Laurentiani tranſlatione liquere po-
teſt:Sed quænam fuerit in eodē loco Galeni ſententia, ſatis ſuperq; ſuprà declara-
uimus. Vgo autem,ut dixi,falſam traductionem,& quę Galenū magis quàm alios
accuſat, ita in ſua expoſitione tuetur: Dicit primo,quod Hippocrates dixit qualis
ſanguis,ad declarandum quod *iſtæ egeſtiones* ſunt quaſi ſanguis nigreſcens,atten-
dens quod *illi,qui dicunt* hunc ſanguinem fieri nigrum propter moram in inteſti-
nis,male cogitant: Nam quia ſanguis pauco tempore in inteſtino moratur,ideo in
tam pauco tempore non denigratur ex rubedine uera ſanguinis permutatus:quia
in phlebotomia nō tam cito mutatur:Et hoc uoluit dicere,quum dixit,Impoſſibile
enim eſt egeſtionē modo eſſe nigram,& modo,id eſt,ſtatim, eſſe rubeam,quia iſta
egeſtio non ſic permutaт̄ in notabili tēpore, quanto magis in paruo,quo eſt in in-
D teſtinis. Iam legentes æſtiment ad quam neceſſitatē rediguntur illi qui uolunt pro
ueris falſa defendere: cogūtur enim uerbis latinis aliam dare ſignificantiam,quàm
lingua latina patiatur,nuſquā enim uerbū iſtud,modò,ſtatim ſignificat.Coguntur
etiam illa cōminiſci,quę autor ipſe,ſicuti hoc in loco Galenus,nunq; ſomniauit ne-
dicam excogitauit, & quæ ſunt ab eius dogmatibus longe aliena. Quid enim ue-
tat ſanguinē,ubi extra propria cōceptacula exierit,uenas ſcilicet atq; arterias,ſicu-
ti breui tempore denſatur atq; cōcreſcit,& ita cōcretus thrombus à Græcis nomi-
natur,ita ubi ad alienum locum,ſcilicet ad inteſtina defluxerit, à ſua rubedine non
multo poſt in nigredinē tranſmutari:Sed neq; Galenus hanc ſubitam coloris per-
mutationem eſſe impoſſibilem ſtuduit probare,ſed hoc tantum, fieri non poſſe ut
idem ſanguis uel alius humor ſimul eſſet ſecundū totū & ruber & niger, ut ſuprà
etiam à nobis fuit declaratū.Tales autem tam ſecundū colorem,quàm etiam ſecun-
dum ſubſtantiā in ſanguine poſſe cōtingere mutationes,oſtendit Galenus in libro
qui inſcribiт̄ De bile nigra, his uerbis:Exuperat igitur magna ex parte in hoc hu-
more,uidelicet ſanguine(de eo enim inibi loquiт̄)ruber color,& optimus ſanguis
eundem colorem habet exquiſitum:Apparet autem aliquando flauior ac nigrior,
ſicuti & ſecūdum ſubſtantiam craſſior atq; tenuior. Inuenitur autem nonnunq; &
ſanguis,qui uena mittitur ſecta,tenuem in ſe habens humiditatē,quæ,ubi ſanguis
denſatur atq; concreſcit,ſecernitur & locū occupat ſuperiorē: Siquidem rationa-
bile eſt,ut ex potu pars aliqua ſimul cum ſanguine,qui in hepate eſt genitus,defe-
ratur,& mox excretionē ſuſcipiat, non modo per urinas,ſed etiam per ſudores,ac
præterea per eam quæ occulta atq; inſenſibilis, tranſpirationē. Nonnūquam uero
uidetur & pituitoſus humor in ſanguine contineri, quemadmodum & totus ali-
quando ſanguis craſſior ac nigrior apparet,ut uideaт̄ plerūq; nigræ pici aſſimilari.
Qu

A Qui igitur ex uenis atq; arterijs effunditur ſanguis, qualiſcunq; fuerit, unicam ſanguinis obtinet appellationem, quũ nulla ex differentijs eius antedictis proprium nomẽ ſortiatur. Et totus ſtatim ſanguis denſatur atq; cõcreſcit, etiamſi in carnoſam partem uſq; ad profundũ diuiſus effundatur: Et humor niger alter plerunq; excerni uidetur, uel per uomitum, uel per deiectionẽ, non tamen denſari, ſeu cõcretionem ſuſcipere, quãuis longo tempore aëri extrinſeco adhæſerit: Et hic ipſe humor aliquando à uomentibus ſentitur acidus ſimul & acerbus, aliquando uero nullam præ ſe fert manifeſtam qualitatẽ: Neq; igitur eam quam ſanguis habet, dulcedinẽ, neq; ſicuti flaua bilis, amaritudinem, neq; ſalſedinem, quemadmodũ aliquãdo ſanguis ac pituita. Patet autem morboſum eſſe ſanguinem ſalſum ac pituitam. Verũ maiori ex parte ſanguis quidem dulcis apparet, pituita uero æqualis, ueluti aqua: Vbi autẽ à naturali qualitate receſſerit, non ſalſa tantum, ſed etiam acida fit: Participat autem nonnunq; & dulcem qualitatẽ. Verũ huiuſcemodi humorẽ, qualiſcunque fuerit, pituitam appellant, modo ſit albus, & ſeruet cõmune omnium humorum indiciũ, quod eſt non cõcreſcere. Liquet autẽ quod nihil differt quencũq; humorem ſalſuginis, uel ſalſedinis participem dicere, utrunq; enim nomen idem habet ſignificatũ. Preter hos autem eſt & alius humor, qui ſemper amarus ab illis qui eum euomũt, ſentitur: Non ſemper autem flauus apparet, ſed quandoq; pallidus: Semper uero qui flauus eſt, craſſior eſt pallido: Vnde ex hoc fit coniectura cõueniens, ab his qui de tali humore rectum faciunt iudiciũ, quod ex tenuis & aquoſæ ſecundum ſubſtantiam humiditatis commiſtione, flaua bilis pallidum colorem repræſentet. Vocant autem huiuſcemodi humiditatem nonnulli aquoſam, nonnulli ſeroſam, quæ ex eodem genere eſt ex quo ſudor & urina. Sicuti uero flaua bilis tenui

B nui commiſta humiditati fit ſecundum colorem pallidior, & ſecundũ ſubſtantiam humidior: ſic ubi plurimum humiditas ipſa reſoluitur, crudorum ouorum uitellis aſſimilatur, atq; ideo uitellina uocatur. Hæc igitur bilis ſiue pallida, ſiue flaua, ſiue uitellis ſimilis appareat, ſuam in uaſis habet generationẽ. In uentriculo autem altera bilis generatur, quæ à colore porri praſoides à Græcis nominatᷓ, ſic enim ipſam denominant, quemadmodum & æruginoſam ab æris erugine. Eſt uero & quædam bilis iſatodes ab eiſdem Græcis nũcupata, à colore iſatidis herbæ glaucæ, Latini glaſtum, uulgus guadum appellat. His omnibus cõmune eſt permanere. Ita uero & rubram bilem quidã nominarunt, quæ prope accedit ad ſubſtantiã ſanguinis tenuioris: uerum quia non eſt obnoxia cõcretioni, propterea ipſam bilem malunt nũcupare. Hæc igitur longius fortaſſis dicta ſunt, q̃ præſens tractatus exigebat: dicta ſunt inquam hortãte ad hoc & ſermonis cõmunione, & doctrinæ utilitate. Sed redeamus ad inſtitutũ de nigra bile ſermonẽ. Quia igitur hæc non cõcreſcit, idcirco à ſanguine nigro diſtinguiᷓ, non tamen ab his quæ proprie nigra nominantur. Hæc ſiquidem talia ſæpius deijciuntur atq; euomũtur multũ à nigra bile differentia, non potentia ſolum, uerũetiam qualitatibus manifeſtis: Neq; enim hæc acerbũ aut acidũ ſaporem manifeſte participãt, quũ tamen nigra bilis talem ſe guſtui atq; odoratui repræſentet non eorũ tantũmodo qui illam euomunt, ſed etiam alijs: Sed neq; terram fermentant, ſicuti iſta: quæ etſi acerrimũ in hoc imitetur acetũ, ſuarum tamen partiũ craſſitie illi eſt cõtraria maxime: Et ob hanc cauſam quandoq; ad partes corporis pura atq; impermixta adhæreſcit, omnino ipſas exhulcerat corrodendo. Acetũ etenim quod tenui conſtat ſubſtantia permeat, at bilis nigræ craſſitudo, quæ ei ſtabilem exhibet ſedem, cauſa eſt corroſionis. Sicut autem ex dictis indicijs nigra bilis ab his quę nigra uocantur, ſiue quiſpiã uelit humores ſiue deiectiones, ſiue edulia nominare, manifeſte diſtinguitur: ſic & ob id, quod neq; muſcæ neq; ali

Bilis ruffæ ſpecies.

C quod aliud animal eam uult deguſtare, ueluti neq; ſaturatā ſalſuginem: neq; enim & in hac animal uiuit, quemadmodū mare mortuum teſtificatur. Et propterea guſtus eiuſdem nigræ bilis pernicioſus apparet, ut qui ex nigro humore ſuperaſſato contingat. Multo uero magis quàm hæc, altera, quæ ex flaua bile ſuperaſſata ortū habet, nigra bilis pernicioſior eſt exiſtimanda, quanto ſcilicet humor humore, flaua uidelicet bilis altero, qui eſt ueluti ſanguinis ſedimentum, quem eodem modo quo fex & amurca habere generationē dixerunt hi qui in operibus artis ſunt exercitati. Verum quemadmodum in pluribus alijs rebus, quæ idem nomen habent, ſed naturas contrarias, communio appellationis nonnullos decepit, ita & in dictis duobus humoribus quidam aberrantes putarunt ad bonum plerunq; nigram bilem deijci & euomi. Ego uero quū adhuc iuuenis à meo præceptore Pelope utriuſq; humoris ſigna didiciſſem, & per meipſum mea uita tota uſq; ad hoc tempus obſeruaſſem, nigræ quidem bilis humorē uidi ſemper ad perniciem excerni: eorum uero quæ nigra uocantur non pauca ad bonum euacuari. Sufficit itaque hæc tantum nouiſſe quantum ad artis opera pertinet, præcipue ſi quis unà cum diſtinctione temporum, in quibus fit ſecretio, etiam didicerit rationē, quam ego in ſequentibus enarrabo. Verum illi qui nondū longa experientia cognouerit id quod in utraq; fit euacuatione, fortè ut par eſt, ſubibit admiratio: aut nolet credere quod peſſimo humore euacuato corpus humanum lædatur: Econtra rationabilius uidetur, his quæ lædunt euacuatis, talem euacuationē eſſe ſaluberrimā, ſecundū eandem igitur rationem & nigrorū euacuationē. Verū qui ex longa experientia fuerit perſuaſus, ſicuti à me factū paulò ante dixi, facile inueniet illius, quod dixi, quænam ſit cauſa: & tunc præſertim quando uoluerit ea, quæ nigram bilem generant, inuenire, cuius inuentionis principiū iam à me dictū fuit. Melius eſt autem & totū

Pelops Leoniceni præceptor

D ſermonē abſoluere: Eius enim, qui ex uentriculo atq; inteſtinis ad hepar transfertur, humoris pars una quidē tenuior exiſtit, altera uero craſſior: quemadmodū & ipſorum eduliorū ſubſtantiæ diuerſificantur. Quū uero non lateat nos, illam, quæ corpus gubernat, naturā omnia agere ad ſalutē animalis, & uideamus meatus excretorios inutiliorū alimenti ac potionis partiū, nihil mirum uideri debet, ſi eadem natura etiam ſedimenti ſanguinis euacuationē fabricauerit. Qualis uero hæc ſit, & per quas fiat partes, poſtea cōſiderabimus: Nunc autē prius illa, quæ per experientiam cognouimus, principiū facientes eius, quæ per rationē facienda erit, cōſiderationis, quæcūq; longo tempore examinantes nobis perſuaſimus inueniſſe, iſta dicemus. Videtur à nobis is qui ex uenis mittitur ſanguis, craſſior ac nigrior in eorum corporum, quæ ſunt calida & ſicca, temperaturis: ſicuti & ubi ſunt cauſæ anni tempora, & regiones, & conſtitutiones, exercitiaq;: & uictus in cibis craſſis & aridis, qualis eſt lens & cocleæ, & carnes taurinæ ac hircinæ, & maxime ſale conditæ. Ex eadem materia eſt & uinum craſſum & auſterū. Eodem autē modo quæcunq; ægritudines fiunt ſecundū calidam ac ſiccam temperaturam, quales ſunt febres ardentes (Græci cauſones uocant) craſſum ac nigrum ſanguinem efficientes. Talem uero ſanguinē reddidit hæc longa, quę in longa æſtate facta eſt, peſtilentia. In qua non pauci qui ſaluati ſunt, per aluum inferiorem deiecere ea, quę nigra uocantur ut plurimū in nona die uel ſeptima uel undecima. Quorū & ipſorum plurimæ apparuerunt differentiæ: quum nōnulla ad nigræ bilis naturā proxime accederent: nōnulla uero neq; in deiectionibus mordacia ſentirentur, neq; male olerent: plurima uero eorū media inter hæc eſſent cōſtituta. Quicūq; uero ægroti per aluum inferiorem talem nō habuere excretionē, his in corpore puſtulis, quas Græci exanthemata uocāt, quædā ſimilia apparuerūt: Nonnunq; uero quædā ueluti ſquama

illis

A illis exiccatis atq; diſcuſſis decidebat, ſed paulatim & in pluribus diebus poſt excretionem. Quicũq; uero exquiſitã nigram bilem deiecerũt, mortui ſunt omnes. Hæc enim indiciũ eſt ſanguinis ſuperaſſati. Apparent aũt & abſq; febre multis puſtulæ aliæ, quas Græci exanthemata nominãt, in cute: expellente natura ad exteriora humorem melancholicũ ſuperabũdantem, craſſiorẽ ſicciorem q; factũ. Ex quo genere eſt & ille morbus, qui Elephas nominatur. Vbi uero tale aliquid cum febre acciderit, alter, qui Carbo nũcupatur, generatur, humore melancholico ad cutem decumbente: Si uero citra febrẽ decubuerit, quando cum ſanguine cõmixtus fuerit, natura aptus eſt gignere elephantẽ: Vbi uero ſolus, ab initio quidẽ nigrum tumorem efficit, in tẽpore autẽ ad illum, qui cancer appellatur, terminatur. Quum uero acrior atque malignior hic humor extiterit, cute corroſa: ubi uero mitior, illum qui abſq; hulcere cancer abſconditus appellatur, efficiet. Nam extra omnem cõtrouerſiam huiuſcemodi affectus, & præcipue cancer à melancholico humore generatᷣ, quũ manifeſte in eo appareant uenæ craſſum ac nigrũ humorem cõtinentes ad locum patientẽ peruenire. Semper enim natura tentat ſanguinẽ expurgare, quodcunq; ex eo noxiũ eſt ac prauũ, à principalibus corporis partibus expellendo, aliquando ad aluũ & inteſtina, aliquando uero ad exteriorem ſuperficiem. Sed quæcunq; talia tenui cõſtant ſubſtantia cutem pertranſeũt, aliquãdo per occultam ſenſui tranſpirationẽ: aliquando ſenſibiliter ueluti ſudores: At quæcũq; ſunt craſſiora, non poſſunt cutis denſitatẽ permeare: quare intercepta, ſiquidẽ calida fuerint, carbones efficiunt: quæ uero non ſunt talia, cancros. Vbi uero niger humor mitiores habet qualitates & ſanguini commiſcetur, ſubrubros elephantas operatᷣ, qui proceſſu tẽporis fiunt nigriores. Sæpius autẽ natura aperiens ora uenarũ quæ in ſede
B ſunt, talem excernit humorẽ ſanguini cõmixtum: unde & nomen huic caſui impoſuerũt hæmorrhoida. Et diſcere oportet, qualis ſit is, qui ex ea excernitur ſanguis: nũquid talis qualem habẽt hi qui gymnaſtici & athletæ nominãtur: & ex uulgaribus hominibus illi, qui integra ſanitate fruũtur, & bonis humoribus cõſtant: an uero nigrior exiſtat & craſſior. Et quidẽ natura cõſueuit talem ſanguinem ſæpius ad eas quæ ſunt in cruribus, uenas reponere: à quo diſtentæ ac dilatatæ fiunt uaricoſæ: Et proceſſu tẽporis cutis, quæ has integit uenas, nigrorẽ cõtrahit. Illæ uero uenæ ad quas multitudo ſanguinis influit, abſq; hoc quod melãcholicus exiſtat, quia natura ſunt debiliores, ex tali influxu dilatantᷣ: nullo alio tali cõtingente quale accidit ubi melancholicus uarices operatur: In quibus periculũ imminet, ſi quis uenas patientes diſſecuerit, corripi à morbo qui melancholia nominatur. Etenim ſæpius hoc uiſum eſt fieri, nõ ſolũ in uaricibus, ſed etiam in hæmorrhoidibus à tali humore generatis, & reliq. Hanc longã ſatis uerborũ Galeni ſeriem ex lib. eius De cholera nigra apud Latinos inſcripto à nobis traductam, libuit adducere: quoniã antiquæ traductioni, quæ in fine libri Petro Paduanenſi uel Aponenſi adſcribitur, nõ ſatis fidebã, quũ in ea craſſiſſimũ errorẽ interpretis deprehendiſſem. Quẽ quidem interpretem uidetur uocabulorũ grecorum ſimilitudo decepiſſe: Iſotis enim apud Græcos æqualitatẽ ſignificat: Iſatis uero eſt nomen herbæ, quam Latini glaſtũ nominant, uulgus guadum, in uſu tinctorũ frequentiſſimæ: ut mirandũ ſit eam Petro Aponenſi non minori medico, q̃ etiam philoſopho fuiſſe ignotam, qui præſertim græcam literaturã in ſuis ſcriptis profitetur, & multa opera græca ex græca lingua in latinũ ſermonem uertiſſe gloriatᷣ. Ad quem etiam Aponenſem gloſſemata, quæ in margine Dioſcoridis ſecundũ antiquam tranſlationẽ ſcripta inueniuntᷣ, referuntur autorem. Verba Galeni in libro De cholera nigra ſcripta ſunt hæc: *ὠνόμασται δὲ καὶ ἰσατώδης τὶς χολὴ παρὰ τὴν τῆς ἰσάτιδος χροιὰν ἢ γλαυκῆς*. Quæ Aponenſis ita tradu-

C xit:Nominatur uero æqualiter quædam ab æqualitate coloris glauci. Nos uero ita uertimus: Eſt autē & quædā bilis Iſatodes ab eiſdem Græcis nũcupata, à colore iſa tidis herbæ glaucæ. Iam hic in traductione Aponenſis error, quē dixi, liquidò ap= paret, qui ex nominũ propinquitate habuit originē. In hac aũt tota noſtra uerborũ Galeni translatione multa legũtur, quæ in pluribus alijs eius libris ab eodem auto re ſcriptitanť: & his præſertim quæ in lib. tertio De membris paſſis, ſiue ut Latini De interioribus inſcribũt, tradita habenť, mire conueniunt: Et quod ad rem maxi me pertinet, plurimũ faciunt ad eas dubitationes ſoluendas, quas mearũ translatio num calumniatores neſciẽtes ſoluere, me in illis cõfuſionis atq; obſcuritatis inſimu larunt. Quorũ calumniantiũ accuſatio ut appareat eſſe falſa, & ab animo ad detra= hendũ magis ſpectante q̃ ueritatē perquirendā, profecta, reliquos ambarũ tranſ= lationũ, quas meis detractores præferũt, errores paucis quoad fieri poterit percur remus. Alius eſt in uetere translatione error nõ minimus, ſed qui poſſit medicos illam ſequentes in prędicẽda uel ægri ſalute uel morte, nõ modice fallere. Eſt autē hic error in Galeni cõmentatione in xxi. aphoriſmũ, ſecundũ ordinē quem in græ co codice habemus, ubi hæc uerba ſcribunť: Nos aũt in quadā peſtilẽtia uidimus multos hanc egeſtionē habuiſſe, & nõ tamen plures obijſſe q̃ euaſiſſe. Sed tamē ſi hæ nõ apparuerint ab *initio morbi, neq; in augmento ſui euaſerũt infirmi*. Quę au tem in ſalubribus *morbis ab initijs* uel *augmentis*, & cauſa diſſolutorũ à corpori= bus fuerũt, *colorem rubicundũ uel citrinũ* & non alium habuerũt. Quæ uerba ue= *teris translationis* inuicem pugnant, atq; etiam ab his quæ in ſequenti aphoriſmo ab Hippocrate & à Galeno in ſua cõmentatione traduntur, longe diſſentiũt. Quo modo enim inuicē duo iſta cõſentiunt, humores noxios non niſi in ſtatu, facta iam

D coctione, iuuare euacuatos, & eſſe indicium ſanitatis ſubſecuturæ; eoſdemq; circa principia nondũ apparente coctione in morbis ſalubribus deijci? Neq; enim dici poteſt de ſolis nigris uerũ eſſe, quod circa principia uel in augmento deiecta, ſint exitialia: citrino autē uel rubicũdo colore infecta excrementa in eiſdem tēporibus euacuata, ſint ſalutaria & ſignum futurę ſanitatis, quia ſolam ſignificent hepatis cali ditatem: quemadmodũ Vgo Senenſis in ſua expoſitione uidetur uoluiſſe ueteris translationis defendere falſitatem: *Sed quando in ſtatu iſta egrediũtur, ſignificant putrefactionē & nimiam incenſionē: Sed quia eſt cum uictoria uirtutis, liberantur. Sed iſtæ à principio apparentes ſunt mortales & malæ, quũ ſignificent magnā he= patis paſſionē. Quũ autem apparent poſt ſtatum, aliquãdo ſunt bonæ, quia ſignifi cant naturā poſſe humoribus prævalere, & eos poſſe à corpore pellere*. Hæc qui= dem Vgo, ut dixi, ſtudens quacũq; uia potuit malam tueri traductionē. Verum ſi uerba ſuprà notata ueteris translationis debeant ſortiri ueritatē, nihil aliud ſignifi= cabunt niſi colliquamenta flauæ bilis aut rubræ tempore illo peſtilenti, de quo Ga lenus in ſua cõmentatione meminit, apparuiſſe, quæ tamē mortē potius q̃ ſalutem portendebãt: & ideo nõ in ſalutaribus, ſed mortalibus potius morbis apparuerũt. Talia ſiquidē humorũ dictorũ colliquamenta cauſam habuerũt, uehemens febriũ peſtilentium incendiũ, quemadmodũ Galenus libro De bile nigra nobis inſinua uit, ubi de eadē peſtilentia, de qua etiā in cõmentatione aphoriſmi, fecit mentionē. Tale quid etiā de talibus colliquamẽtis exitialibus nobis ſignificauit libro octauo De decē tractatibus, qui Memiri apud barbaros atq; Latinos inſcribitur. In quo lo co & febres peſtilentes nominat in hunc modũ ſcribens: Calida igitur intẽperie in uiſcere ſcilicet hepate exiſtente, fiunt colliquationes, primũ quidem humorũ, dein de carnis ipſius hepatis: & per aluum deijcitur bilis admodũ fœtida, craſſa & colo rę ſaturata, qualis in febribus peſtilentibus apparet. Tales ergo colliquationes, ut

ex mea

A ex mea & Laurentiani translatione unuſquiſq; facile poteſt intelligere, non ſunt ſalubriũ morborũ indicia, ut habet antiqua translatio, ſed potius exitialiũ. Mea tamẽ trãslatio clarior eſt, ꝙ altera Laurẽtiani, in qua deficit una dictio monoſyllaba, tũc, ex qua monſtratur tempus in quo tales deiectiones ruffæ ac flauæ apparuerũt. Et ne uidear aliquẽ indicta cauſa damnare, utranq; translationẽ, meam ſcilicet & alteram Laurentiani, hoc in loco ſubijcere nõ grauabor. Mea quidẽ ita ſe habet: Plurimas uero huiuſcemodi deiectiones in peſtilenti hoc morbo longo cõſpeximus, quæ nõ magis in his, qui exitio proximi erant, ꝙ in alijs ſaluandis, apparebant: Nõ tamen uel in principio uel incremento cõſpiciebantur: tunc enim ſcilicet uel in incremento uel in principio quæ euacuabant̃ erant & flaua & ruffa colore colliquamenta: Quæ uero mox apparebant, & reliq. Translatio uero Laurentiani eandem ferè habet ſentẽtiam, niſi quod deficit, ut dixi, in ea aduerbiũ tẽporis, tunc: ita enim ſcribitur: At uero multas eiuſmodi deiectiones per morbũ hunc peſtilentem diutinum uidimus, prodeuntes nihilo magis in his quibus moriendum eſſet, ꝙ quibus conualeſcendũ: nõ tamẽ incipientibus morbis aut creſcẽtibus extiterũt. Sed liquamenta diſcuſſa ſunt tum flaua, tum ruffa. Mox tempore procedente deiectiones ibant atræ ueluti ſanguinis cœnũ, & quæ ſequũtur. Alius error eſt in uetere tranſlatione, quia ſecundum eam in uerbo, ſponte, ſolutio conſiſtit dubitationis, quam cõtra Hippocratẽ Galenus in ſua cõmentatione tetigit, quæ fuit hæc: Cur Hippocrates cõſuetus in pluribus ſuis tractatibus cauſam aſſignare, ob quã ſigna critica, id eſt iudicatoria circa principia apparentia nõ ſunt laudabilia, hoc tamẽ in loco huiuſcemodi cauſam ſilentio prætermiſerit. Quã quidẽ dubitationẽ idem Galen. hoc modo ſoluit: Nõ fuiſſe hanc cauſam omnino ab Hippocrate prętermiſſam, quia in

B uerbo, uenientia, quod morã tẽporis ſignificat, dedit nobis intelligi quod tales deiectiones etiam in principio & augmento morbi apparuerũt, anteꝗ aliqua coctio facta eſſet: & ideo fuerũt, ut inquit Hippocrates, peſſimæ. Illud autẽ uerbũ, ſponte, in aphoriſmo nõ ſignificat aliquã temporis diuturnitatẽ, ut uult antiqua translatio, ſed illud tantũ nobis inſinuat, quod tales deiectiones nigrę nõ ab arte, ſeu à medicina purgãte factę ſint, ſed à cauſa corpori intrinſeca, à natura per modũ ſymptomatis ante humorũ coctionẽ operante. Peccat aũt & antiqua translatio in hoc, quoniã reticet cauſam ob quam deiectiones uerſicolores cum pharmaco factæ, ſint minus malæ ꝙ quæ ſponte fiunt. Quã cauſam tamẽ Galenus aſſignat in ſua cõmentatione, inquiẽs, ideo in talibus deiectionibus uarios uideri colores, quoniã cauſam habuerũt pharmacũ talem habẽs facultatẽ plures natura differẽtes humores euacuandi. Quia uero noſtrarũ translationũ calũniatores, obſcuritatẽ ac cõfuſionem in eis non parũ reprehenderũt, hæc duo uitia longe eſſe maiora in uetere translatione & noua Laurentiani conabimur demonſtrare. Tacebimus tamen nominis fellis nigri ambiguitatẽ, quæ in duobus aphoriſmis ſe deinceps ſequẽtibus xxij. uidelicet, & xxiij. ſecundũ ordinẽ antiquæ translationis inuenit̃: quia nolumus cũ barbaris de proprijs nominũ ſignificatis litigare: loquantur ut uelint, modo à uera autoris ſententia nõ plurimũ deuient. Si per fel nigrũ intelligũt bilem nigrã, quę ex humore melãcholico uel flaua bile per aſſationẽ generat̃, quãuis ſit minus propria locutio, nõ aduerſabimur. Vnũ illud tacere nolumus, Vgonẽ Senenſem partim bene, partim male in ſua expoſitione notauiſſe, quod hoc nomẽ, fel nigrũ, dicitur tantum de melancholia aduſta genita per aduſtionẽ cholerę rubeæ, aut melancholiæ groſſæ. Hucuſq; bene, modò per melancholiam groſſam intelligat humorẽ melancholicum. Sed quod poſtea addit: Aut melancholiæ ſubtilis, error eſt: Nam fel nigrum ſiue bilis nigra nõ fit per aduſtionem melancholiæ ſubtilis: Imò fel nigrum & me-

C lancholia ſubtilis idem ſunt, ſecundum diuiſionem humoris melancholici factam à Galeno libro tertio De membris affectis, ubi aſſignat illas quas habet idem humor melancholicus à nigra bile differentias manifeſtas, quod ſcilicet hic quidē ueluti fex ſanguinis apparet manifeſte ſufficienter craſſus, ueluti fex uini: Alter uero iſto multo tenuior ſecundū ſubſtantiam: uerum qui acidus illis, qui eum euomunt & odorant, ſentiatur, qui idem & terrā abradit, & reliq. Quem etiam locum ſuperius citauimus, ubi quo modo deiectiones nigræ, de quibus Hippocrates in aphoriſmo uigeſimoprimo, uel uigeſimoſecūdo, ſecundū diuerſos tranſlationum ordines loquitur, à bile nigra differant, declarauimus. Quam etiam differentiam notat idem Galenus expreſſius ac manifeſtius libro allegato De membris paſſis, humorem melancholicū diuidens in bilem nigram & eiuſdem nominis humorē melancholicum. Quod autē ſpecies generis nomen aliquādo ſortiatur, teſtatur Boetius ſuper Topicis Ciceronis, & ex pluribus patet philoſophorū autoritatibus. Prima eſt Ariſtotelis in primo lib. poſteriorū Reſolutoriorū, ubi diuidit poſitionē in ſuppoſitionē, & eodem nomine dictam poſitionē, ueluti declarat Themiſtius Ariſtotelis paraphraſtes. Et in libro Prędicamentorū, ubi ſecundū expoſitionem Siriani, diſpoſitio diuiditur in habitū & diſpoſitionē. Et in quinto libro Nicomachiorum Moralium, ubi ſecundū *Euſtratium*, & *Michaelem* Epheſiū eiuſdem libri expoſitores, *iuſtitia diuidit̄ in* iuſtitiā generalem omnes uirtutes cōplectentem, & iuſtitiam ſpecialem, quę alijs uirtutibus ex aduerſo diſtinguitur. Ita quod nomen iuſtitiæ tanꝗ genus quoddā prædicatur de fortitudine, & de temperantia, & liberalitate, ac reliquis uirtutibus, & de iuſtitia ſpeciali. Si uero quærat̄, an hoc nomen iuſtitia ſit æquiuocū uel uniuocum, reſpondet uterꝗ expoſitor, idem nomen & uniuo

D cum & æquiuocū dici poſſe. Quatenus enim omnis ſpecies, generis, ſub quo continetur, rationē participat, eatenus uniuocū dici poteſt. Vt autē eodem nomine iuſtitiæ, aliud quatenus genus, aliud quatenus ſpecies ſignificatur, æquiuocū nomē eſt. Idem de humore melācholico poſſumus dicere. Quare recte Galen. inquit in lib. De bile nigra, diſtinguendā eſſe humoris melācholici æquiuocationē: Ex qua plures ait medicos uetuſtiores fuiſſe deceptos, putātes cuiuslibet humoris melancholici, tam eius qui bilis nigra nominatur, ꝗ illius qui proprio nomine humor melancholicus nūcupatur, euacuationē poſſe eſſe ſalutarem. Cui rei ſe inueniſſe contrarium idem Galenus longa experientia teſtificatur. Nunꝗ enim bilem nigram uel per uomitū, uel per aluum inferiorem euacuatam, bonum exitum habuiſſe, audet aſſeuerare. In qua tamen aſſeueratione uidetur eſſe quædā inter ipſum Galenū & Hippocratē in aphoriſmo, de quo ſermo habet̄, diſcordia. In eo ſiquidē Hippocrates ſentit nigrā bilem ſolū in morbis incipientibus exeuntē ante coctionē eſſe pernicioſam: in ſtatu tamen poſt coctionē aliquando fieri ſalutarē. Poſſunt tamen magnæ uterꝗ medicus autoritatis in unam reuocari concordiā, ſi dixerimus, Galenū de bile exquiſite nigra, Hippocratem autē de bile quidem nigra, nō tamen exquiſita intellexiſſe: Vel, quia in hac re ueritas ratione nō poteſt indagari, ſed ſola experiētia cognoſci, fieri potuit ut aliud Galeno, aliud Hippocrati in medicinę operibus cōtigerit experiri. Eſt aūt bilis exquiſite nigra, quæ omnibus differētijs, quibus à deiectionibus nigris ſiue ab humore melācholico differat, ſpecificat̄. Eſt uero prima differentia à ſubſtantia ſumpta: ſecūda à facultate: tertia à colore. Si enim craſſus fuerit, adeò ꝗd fecem ſua craſſitudine imitet̄, tūc humor melancholicus appellat̄: Si uero aquoſus & humidior, tūc bilis nigra uocat̄. Differentia aūt à colore talis eſt: Si niger humor extiterit cū ſplendore quodā, tunc bilis nigra appellat̄: Si uero niger abſꝗ ſplendore aliquo, melancholicus humor huiuſcemodi nuncupatur.

A tur. Differentia uero à facultate hæc eſt: Si humor acidus fuerit, & ad terram fuſus ipſam fermentauerit, nigra bilis appellatur: Si uero nihil horũ fecerit, melancholicus humor exiſtit, & minime nigra bilis. Nigra ſiquidem bilis duas habet qualitates, quia acida eſt & acuta, & acore quidem terrã incidit & ebullit, acutie uero fermentat: Quæ omnes differentiæ inter humorẽ melancholicũ & nigram bilem colligi poſſunt, partim ex libro Galeni, qui inſcribitur De bile nigra, partim ex altero De membris paſſis inſcripto, atq; etiam ex cõmentatione Galeni quartæ particulę numero uigeſimotertio ſecundũ ordinẽ antiquæ translationis. Quæ quidẽ cõmentatio in translatione antiqua & noua Laurentiani inſigniter peccat: Quia in ambabus cõtraria ſententia continetur ei, quæ in libris duobus ſuprà allegatis, altero de cholera nigra inſcripto, & altera cõmentatione Galeni numero uigeſimatertia, ſecundum græcam Galeni ſcripturã habetur. In quibus locis ſolum ſanguinem in thrombos denſari, ſiue ut recentiores loquunt̃, coagulari ipſe Galenus teſtatur: Nigram autem, id eſt, humorem melancholicũ eſſe huius coagulationis, ſicuti et alios humani corporis humores, expertem. Quod luce clarius apparet ex uerbis eiuſdem libri De cholera nigra, quæ nos è græca lingua in latinã traduximus hoc modo: Sed redeamus ad inſtitutũ de nigra bile ſermonẽ: Quia igitur hic non cõcreſcit ſeu nõ coagulat̃, idcirco à ſanguine nigro diſtinguitur: nõ tamen ab his, quæ proprie nigra nominant̃. Vbi Galenus per uerbũ Nigra intelligit humorẽ melancholicum: ſicuti & in cõmentatione ſuprà memorata numero uigeſimoprimo, ſecundum ordinẽ græci codicis. Qui humor melancholicus in hoc cum bile nigra cõuenit, quoniam nõ coagulat̃, ſicuti neq; illa. Et hoc eſt quod Galenus inquit, nigram bilem à ſanguine nigro differre in eo, quod iſte coagulat̃, ipſa uero nequaq̃: qua-

B lem nõ habet ab humore melancholico differentiã. Hoc idem liquet ex alia traductione noſtra dictæ cõmentationis Galeni quartæ particulæ numero uigeſimoſecundo, de cuius ueritate ultimo loco diſputabimus. Interim ut rectus ſeruet̃ ordo aphoriſmorũ, errores quos habẽt ambæ translationes in uigeſimiſecundi aphoriſmi cõmentatione, in lucẽ patefaciemus. Antiqua tranſlatio huius cõmentationis ſtatim circa initia ita ſcribit̃: Ex ſuperiori aphoriſmo monſtratur quantũ humores choleræ nigræ uicini, differant à cholera quam hic nigram uocat. In quibus uerbis quiſpiam non temere dubitauerit, qui ſint illi humores choleræ nigræ uicini differentes à cholera, quam hic nigrã uocat. Deiectiones enim nigræ, quas in ſuperiori aphoriſmo numero uigeſimoprimo à cholera nigra ſeparauimus, magno interuallo diſtant ab ea quæ cholera nigra uocat̃: quemadmodũ ſuprà per plures differentias, quibus unus humor diſtat ab altero, demonſtrauimus. Nec multo clarior eſt uetere, noua Laurentiani translatio, quæ per hæc uerba proponitur: Diductus ſecretuſq; eſt à nobis prima ſententia atrabilarius ſuccus ab atra bile, de qua nunc Hippocrates. Nam ſi ſpectemus nomina, atrabilarius ſuccus & atra bilis nõ admodum differũt. Noſtra aũt translatio humorẽ ſpeciatim nominat, quem Galenus in præcedẽti aphoriſmo à bile nigra diſtinxit his uerbis: Facta eſt à nobis hæc in antecedenti aphoriſmo inter humorem melancholicũ & bilem nigram diſtinctio. Ex quibus uerbis elicitur, ea quæ nigra ab antiquis uocabantur, nomine neutri generis & numeri pluralis, nihil aliud ſignificare ſecundũ ipſos, q̃ humorẽ melancholicum, qui reuera à nigra bile ſuapte natura plurimũ diſtat. Et de humore quidẽ melancholico, uigeſimoprimo aphoriſmo Hippocrates primaria agit intentione, ſicuti in xxij. de nigra bile principaliter tractat: De qua tamen etiam in prima loquitur, ſed ſecundaria intentione, ut oſtendatur quî cõueniant, quiue differant ambo humores inter ſe: Cõueniunt enim in hoc, q̃d ambo circa initia morbi in deiectio-

C nibus apparentes, peſſimi ſunt. Differunt aũt pluribus differentijs, quas Galenus & in cõmentatione aphoriſmi uigeſimiprimi, & in multis alijs locis enumerat. Vnde alius error colligitur translationis Laurentiani circa initia uigeſimætertiæ commentationis, in qua ita ſcribitur: Tractatus per ſententiam talis eſt: ſeu bilis nigra, de qua prælata docuit ſententia, ſeu nigræ deiectiones ſanguini ſubſimiles atro, de quibus præſens agit. Falſum enim eſt, quod in præſenti aphoriſmo, cuius eſt hæc cõmentatio, numero uigeſimotertio agatur de deiectionibus nigris, ſicuti in pręcedenti numero uigeſimoſecũdo, de nigra bile. Nam quemadmodũ in uigeſimoſecundo aphoriſmo de nigra bile principaliter Hippocrates tractat, ita in uigeſimoprimo de deiectionibus nigris primaria agit intentione, ut etiam ſuprà declarauimus. Quare nos greci codicis fidem ſecuti, eandem cõmentationem ita uertimus: Siue atra bilis, de qua antecedens aphoriſmus, ſeu nigra, de quibus prior. Per nigra autem intelligimus, more antiquorũ, deiectiones nigras. Per antecedentẽ autem aphoriſmũ innuimus uigeſimũſecundũ, in quo proculdubio agitur de bile nigra: & per priorẽ illo uigeſimumprimũ, in quo agitur de nigris, id eſt, de deiectionibus nigris. Mirũ aũt uideri poteſt, quomodo in traductione Laurentiani, aphoriſmus aliter proponatur, ꝙ in ſua cõmentatione declarať: Quia in aphoriſmo hoc ſolum ſignificať, quod quicũq; atram bilem ſanguini atro ſimilẽ emiſerint, ex morbis acutis, aut diuturnis, aut uulneribus, aut aliquo quouis morbo extenuati, poſtridie moriũtur: In cõmentatione autem nõ ſolum qui ex talibus cauſis extenuati atram bilem ſanguini atro ſimilem emiſerint, poſtridie mori dicuntur, ſed etiam hi qui humorẽ melancholicũ, de quo uere dicitur, quod ſit ſanguini atro ſimilis: ſicuti falſò hæc ſimilitudo omnimoda nigræ bili tribuitur, eſt enim quadantenus colore diſſimilis, ſicut in fine cõmentationis ſuę Galenus oſtendit, ut paulò poſt magis

D declarabimus. Qualiter in Laurentiani traductione aphoriſmus proponať, ſtatim antea notauimus. In cõmentatione aũt idem Laurentianus à ſeipſo diſcordat, quũ ita ſcribat: Seu bilis nigra, de qua prælata docuit ſentẽtia, ſeu nigrę deiectiones ſanguini atro ſubſimiles. Eſt aũt duplex error Laurentiani: Primus quia atram bilem ſanguini atro ſimilẽ facit, quod falſum eſſe diximus: Secũdus error, quia in aphoriſmo de atra bile tantũmodo mentionẽ facit, quã extenuati emittentes poſtridie moriunť. In cõmentatione autẽ tam deiectiones nigras, id eſt, melancholicas, emiſſas, ꝙ etiam atram bilem, ſignũ eſſe mortis poſtridianæ uoluit oſtendere. Præterea ſuppoſita aphoriſmi ita à Laurentiano traducti ueritate uel fidelitate, tota ferè Galeni cõmentatio in Hippocratis aphoriſmũ deſtruitur, ſecundũ quancũq; traductionẽ. Nos uero incõueniens quod ſequitur, ſi ſit bona traductio, ex eiuſdẽ Laurentiani cõmentatione demonſtrabimus. Falſum enim erit quod per hanc ſententiã, id eſt, uigeſimũtertium aphoriſmum, Hippocrates perſpicue nobis indicauerit, quod ſuperiore aphoriſmo ſcilicet uigeſimoprimo, in quo deiectiões nigras ſanguini ſimiles nominat, ſubaudire oporteat, nigro: Nam per deiectiones nigras in illo aphoriſmo priore nõ intellexit atram bilem ſanguini atro ſimilẽ: quũ nõ ſit hæc atra bilis atro ſanguini omnino ſimilis, ut etiã ſuprà tetigimus: ſed, ut circa finem cõmentationis Galeni in aphoriſmũ xxiij. ſuo loco declarabiť, deiectiones nigræ ſunt illæ quę proprie talem habent colorẽ, qualẽ ſanguis denigratus: Et ideo proprie nigra ab antiquis uocabanť, ut libro de cholera nigra Galenus teſtatur. Falſa itidem erit altera pars cõmentationis in traductione Luarentiani, in qua dicitur, quod in hoc aphoriſmo xxiij. Hippocrates indicauerit recte fuiſſe à Galeno atrabilariũ ſuccũ ab atra bile diſtinctũ. Quomodo enim iſta diſtinctio fiat inter atrabilariũ ſuccũ, id eſt, humorem melancholicum & atram bilem, ex iſto aphoriſmo ita à Laurentiano traducto

A traductio nõ apparet. Quod autem per atrabilariũ ſuccum in traductione Laurentiani neceſſariũ ſit intelligere humorem melancholicũ, uerborum græcorũ contextus, quorũ fidem in noſtra traductione ſecuti ſumus, teſtificatur. In qua noſtra traductione omnia, quæ dicũtur in uigeſimatertia Galeni commentatione, clariſſima ſunt, & nullam habent ambiguitatẽ. Nam quũ aphoriſmus à nobis traductus per diſiunctionẽ legatur hoc modo: Quibuſcunq; ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſiue uti ſanguis niger deſubter exierit, poſtridie moriũtur: id eſt, ſiue bilis nigra, ſiue deiectio nigra, quæ eſt talis, qualis eſt ſanguis niger: de hac enim diſiunctione intelligimus & reliqua quæ ſequũtur. Nemini dubium eſſe poteſt, ex hoc ſermone ita cum diſiunctione prolato perſpicue indicari id quod Galenus in cõmentatione uigeſimiprimi aphoriſmi nobis inſinuauit, aliud eſſe bilem nigram, aliud deiectiones nigras, quæ ſanguinem nigrũ colore imitãtur. Diſiunctiua enim particula, ſiue, duabus rebus inuicem differentibus ſolet interponi, ut quũ dicimus, hoc ſiue illud. Nemini autem mirum uideri debet, ſi in libro, in quo Hippocrates aphoriſticam breuitatẽ profitetur, breuis eſſe conſueuit, & hoc in loco per hæc uerba, uti ſanguis niger, intelligi uoluit deiectiones nigro ſanguini ſimiles: Sicut etiam propter eandem aphoriſticã breuitatem ſermonẽ protulit decurtatũ in uigeſimoprimo aphoriſmo, quum dixit: Deiectiones nigræ qualis eſt ſanguis. Quo in loco etiam ſubaudire oportet niger. Huius autem aphoriſticæ doctrinæ obſcuritatem, quæ ex breuitate habet occaſionem, Galenus expoſitor locupletiſſimus ſatis ſuperq; ſuis commentationibus illuſtrauit, quas mali interpretes male transferentes pariter obſcurarũt. Quod obſcuritatis uitium ubiq; ferè habet translatio Laurentiani, ſed præcipue in hac cõmen- *Obſcuritas translationis Laurentiani.*
B tatione trigeſimatertia, in qua conatur aſſignare rationẽ ob quam quicunq; ex cauſis in aphoriſmo tactis extenuati, atram bilem ſanguini atro ſimilem emiſerint, poſtridie moriũtur. Sic enim in ſua translatione idem Laurentianus ratiocinatᷣ: In his enim natura debilis eſt, ita ut concoquere aut ſecernere aut excernere tam prauos ſuccos non queat: Igitur ob uehementiam morbi, materia, quæ nõ quit condi, deijcitur: qua de re difficiliorem abolitionem poſtero die nequaquã tolerabit, quemadmodum in cæteris morbis ob uiriũ debilitatem. Dicat Apollo, uel illi qui alteri in medicina Apollines haberi uolunt, & ſe bonarum ac malarũ translationũ iudices faciũt, quænam ſit illa difficilior abolitio, quam illi, qui ſunt ſupra modum extenuati ex cauſis in aphoriſmo dictis, poſtero die nequaq; tolerabunt, quemadmodũ in cæteris morbis ob uiriũ debilitatem. Licet autẽ antiqua translatio in aſſignanda cauſa poſtridianæ mortis in talibus extenuatis quales ſupponit aphoriſmus, nõ habeat tantam quantam Laurentiani traductio obſcuritatem, tamẽ neq; ipſa uerum Galeni explicat ſenſum, qui, ut ex noſtra translatione conijci poteſt, facilis eſt, & paucis quit expediri: quod uidelicet idcirco mors differri non poteſt in taliter extenuatis, quoniã uires habent imbecilles, & nõ poſſunt propter eandem uiriũ imbecillitatẽ, ſicuti in alijs morbis, in longũ tempus uitam protrahere. Sed ueniamus ad alium ambabus etiam translationibus cõmunem errorẽ, & quidẽ permaximũ. Si enim utraq; translatio antiqua ſcilicet & noua Laurentiani uera ſit atq; fidelis, Galenus in uarijs locis ſibijpſi repugnabit. Nam in libro De cholera nigra inſcripto, ut etiã ſuprà memorauimus, ſolũ ſanguinẽ inter humores in thrombos, id eſt, grummos denſari, ſiue ut medici recentiores loquunᷣ, coagulari, teſtatur: nigra autem, id eſt, deiectiones nigras, ſiue humorem melancholicum, minime. Sicuti neq; alium quempiã humorẽ, etiamſi à naturali habitu receſſerit. In cõmentatione autẽ uigeſimatertia ſecundũ translationem Laurentiani, duorũ humorũ natura peruer

C titur: quia in hoc differre ſanguis à nigris deiectionibus, quibus aliâs ſimilis eſt, aſſeritur: quoniã hæ concretæ ſunt, ille ſcilicet ſanguis fuſior ac laxior. Hæc enim ſunt eiuſdẽ translationis uerba: Sanguis enim perinde quaſi deiectiones atræ perſpicitur, diſſidens ea ratione, quod fuſior & laxior ſit, haudquaꝗ̃ cõcretus, quemadmodum illæ uiſuntur. Translatio autem antiqua in eodem hæſitat luto, & tanto magis errat, quanto error in eadem translatione duplicatur. Non ſolũ enim in ipſa egeſtio nigra ponitur coagulata, ſanguis autẽ nõ coagulatus, qui fuit error in Laurentiani traductione præcipuus, ſed etiam egeſtio nigra à cholera nigra dicitur diuerſificari, quia egeſtio nigra eſt coagulata, cholera autem nigra non eſt coagulata. In noſtra autem translatione utraꝗ̃, ſcilicet & egeſtio nigra & cholera nigra, ſcribitur à ſanguine nigro ea ratione diſtare, quia neutra earũ coagulatur, ſanguis uero coagulatur. Quam etiam differentiam inter utrunque humorem Galenus aſſignat in libro De cholera nigra, per uerba illa quæ etiam ſuperius citauimus. Sunt autem hæc: Sed redeamus ad inſtitutum de nigra bile ſermonem. Quia igitur hæc non coagulatur, idcirco à ſanguine nigro diſtinguitur, non tamen ab ijs, quæ proprie nigra nominantur, id eſt, à deiectionibus nigris, quas antiqui proprio uocabulo nigra uocabant, ut quemadmodum natura, ita etiam appellatione à cholera nigra diſtinguerentur: Quæ etſi nigrum colorem habeat, nõ tamen ita proprium ſicuti deiectiones nigræ, quæ nigrũ colorem ſine aliquo fulgore præ ſe ferunt. Cholera autem nigra ita nigra eſt, ut tamen ſplendeſcat, quemadmodum Galenus in uigeſimitertij aphoriſmi commentatione teſtatur, quæ ſecundum traductionem noſtram talis habetur: Oſtendit autem quod nos bene bilem nigram à nigris ſeparauimus; hæc enim ſanguini denigrato ſimilia uidentur, differentia in eo quod fuſa ſunt & non concreta, ut ille ſcilicet ſanguis denigratus: Nigra autem bilis, & in eo D quod fuſa eſt & abſꝗ̃ concretione, & quia fulgentẽ habet nigredinem, & pręterea mordax eſt ſicuti acetũ, & terrã abradit atꝗ̃ fermentat, quorum nihil nigris adeſt. In quibus uerbis nihil aliud intendit Galenus oſtendere, niſi recte à ſe in cõmentatione uigeſimiprimi aphoriſmi aſſignatã fuiſſe inter deiectiones nigras & nigrã bilem differentiã, eaſdem proprietates repetendo, quas in illa priore cõmentatione cõmemorauit, quæ nigræ bili inſunt, non autem deiectionibus nigris: ac præterea hoc in loco aliam inſuper proprietatem nominando, ſplendentem uidelicet nigredinem. Quam inibi tacuit, in hac etiam cõmentatione tetigit inter deiectiones nigras & ſanguinem nigrũ in cõcreſcendo & nõ cõcreſcendo diuerſitatẽ, qua etiam nigra bilis ab eodem ſanguine diuerſificatur. Aliam præterea addidit bili nigri peculiarem, quæ ſcilicet deiectionibus nigris nõ ineſt, nam fulgenti nigrore carent, quo differt bilis nigra à ſanguine nigro: Ipſæ autem non differunt, quia purum habent ſine fulgore colorem. Vnde & ex hoc alia differentia inter bilem nigrã & deiectiones nigras notificatur, quæ in uigeſimaprima cõmentatione tacetur. Quæcunꝗ̃ enim duo uni tertio cõparata diuerſimode ab eodem tertio differunt, eadem etiam inter ſe diuerſificantur. Hunc ueteris translationis errorem, plurium humorum naturam peruertentem, & principem medicorum ad contradictionem perducentem, ſecutus eſt Iacobus de Partibus nouiſſimus expoſitor Auicẽnæ in expoſitione Fen primæ primi, doctrina quarta, capite de humoribus. Secuti ſunt & alij, & inter cæteros Vgo Senenſis, aphoriſmorum Hippocratis & commentationum Galeni in eoſdem expoſitor. Quorum errores, qui ex mala traductione, quę in uſu eſt, habuere occaſionem, ſi perſequi uelim, nullus huic operi terminus futurus ſit. Sed quanto plures magnæ autoritatis in medicina uiri in hac parte ſunt hallucinati, tanto maiori laude dignus eſt uir ſingulari ingenio ac doctrina præditus

Laurentius

A Laurentius cognomine Saxoferratus, qui falſitatem duarum translationũ, & noſtræ ueritatem ſolus inſpexit, eandemq́ traductionem noſtram contra eius detractores in Patauino gymnaſio acriter propugnauit. Quare poteram ſi uoluiſſem, quantum ad morſus Patauinos attinet, mearum translationum eſſe ſecurus: quos uir ille eruditiſſimus primũ in gymnaſio Patauino obtinens locum multo ante repulerat. Verum præter mearum translationũ defenſionem, fuit etiam aliud in tam longa diſputatione propoſitũ: ſtud, uidelicet quãtis in tenebris noſtræ ætatis medicina uerſetur, demonſtrare: quũ duorũ eiuſdem artis antiſtitũ Hippocratis ſcilicet atq; Galeni libri, quos illi in ſua lingua clariſſimos atq; accuratiſſimos ædiderũt, in noſtra obſcuriſſimi ac multis ſcatentes erroribus habeantur: Ex quo fit, ut à noſtri temporis medicis raro legantur, uel ſi leguntur, non intelligantur, quemadmodũ ſuperiori diſputatione patefecimus: Cui nihil aliud deeſſe uidetur ad totius operis complemẽtum, niſi ut uerba ipſa ſubijciamus, quibus ſiue ſcholaris, ſiue magiſter, trãslationes noſtras labefactare tentarũt, & illis quãbreuiſſime fieri poterit reſpondeamus, ut etiam indoctis ſatisfaciamus: docti enim ex his quæ antea diſſeruimus, quàm leues ſint & nihili faciendæ eorum obiectiones, facilime poſſunt percipere. Primum quod ſcholaſticus uel magiſter obijcit, eſt hoc: In quarta particula principium aphoriſmi uigeſimiprimi ſcilicet, principium commenti eſt confuſum, alienumq́ tum ab alijs translationibus, tum à textu græco, tum in ſermone includit repugnantiam uel confuſionem: Videtur uelle quod deiectiones, quæ ſunt nigræ exquiſite, non ſunt bilis. Qui ſic arguit uel potius cauillatur, uitia aliarum translationum noſtris adſcribit, ut ex præterita diſputatione patuit: & uidetur nõ intellexiſſe, quomodo Galenus in commentatione aphoriſmi, & in libro tertio De mem- *Obiectiones Patauinæ.*

B bris affectis, atque etiam in libro De cholera nigra inſcripto, ac pluribus alijs in locis, deiectiones nigras, quas antiqui nigra uocabant, per ea humorem melancholicum intelligentes, à bile nigra diſtinxerit. Quare concedimus, autore Galeno, deiectiones nigras non eſſe bilem ſimpliciter, uel bilem nigram exquiſite: quod arguens uidetur falſum exiſtimare: quem puto in eodem fuiſſe errore, in quo Laurentianus, cuius translationem tanquam minus Galeni ſententiæ conſonam antea refutauimus. Alia obiectio Patauina: Item nõ apparet ex qua materia fiant iſtæ deiectiones, an ex cholera naturali, an ex præternaturali genita per aduſtionẽ ex illa naturali. In hoc quoque argumento uel cauillo uidetur cauillator non intelligere quid ſit deiectio nigra, imò uidetur eam cum nigra bili confundere: Qui tamen duo humores plurimis differentijs inuicem ſeparãtur, uti in ſuperiore diſputatione monſtrauimus. Ex cholera enim naturali uel præternaturali generatur ſecundum Galenum bilis nigra, ſiue atra bilis quæ eadem eſt: Deiectio autem nigra, id eſt, humor melancholicus alias habet cauſas uel efficientes, uel materiales, quàm atra bilis: quas cauſas tam atram bilem, quàm etiam humorem melancholicum generantes ſi uult arguens cognoſcere, legat Galenum libro tertio De membris affectis, & librum De cholera nigra: quos duos præcipue libros in antehabita diſputatione citauimus. Verum fortè ſcholaſticus hoc ſolum diſcere cupit, quomodo ex commentatione Galeni in uigeſimumprimum aphoriſmum particulæ quartæ ſecundum translationem noſtram ſciri poſſit, unde habeant originem deiectiones nigræ, de quibus in prædicto aphoriſmo Hippocrates facit mentionem. Cuius ſcholaſtici deſiderio uolentes ſatisfacere, admonemus hominẽ, totum iſtud haberi circa initia ſtatim commentationis Galeni ſecundum traductionem noſtram, ſi recte legatur, hoc eſt, ſine erroribus impreſſorũ, hoc modo: De deiectionibus nunc ipſi eſt ſermo, quæ à priſcis quidẽ nigra uocantur, bilis uero nigra exquiſite non ſunt.

C Nam acre, & corrodens, & acidum non habent: Multo uero magis neq; in terram effuſæ fermentant ipſam, uerũ ſicuti quis earum deſcribens imaginẽ, diceret manifeſte ueluti ſanguinis limus, qualis uinis craſſioribus iam conſiſtentibus ſolet ſubſidere, quẽ fecem nominant. Quæ ſi diutius moreť in corpore, & neq; per aliquem ſenſibilem effluxũ neq; occultũ excernatur, uerum tranſmutetur atq; putreſcat, fit bilis nigra exquiſite: Antequã uero hæc generetur, ſplen trahit eam quæ eſt ueluti ſanguinis fex, hepar expurgans: quemadmodũ in cõmentarijs De potentijs naturalibus eſt demonſtratũ. Et quidem abutitur hoc melancholico humore ad ſui nutritionem ſplen: & quantã ipſe fecerit ſuperfluitatẽ, hanc rurſus totam expellit ad uentrem, unà cum alijs ſuperfluitatibus excernendã. Si quando igitur neq; ſplen bene expurgauerit, & ille, qui in hepate cõtinetur, ſanguis, multũ huius limoſæ ſuperfluitatis habuerit, accreſcet debilitas uiſceri, ita quod non cõtinebit in ſeipſo ſuperfluitates: & tunc illæ, quæ nigræ uocãtur, fient deiectiones, de quibus nunc ſermo habetur ab ipſo. Ex hac Galeni cõmentatione ſecũdum tranſlationẽ noſtram uerbũ ferè ex uerbo ex græco codice in latinum ſermonẽ conuerſa, facile apparere potuit, tam diſcipulo, quàm etiã eius magiſtro, ex qua materia fiant deiectiones nigræ, de quibus Hippocrates loquitur in aphoriſmo quartę particulæ uigeſimoprimo: quarũ deiectionũ materia eſt humor melancholicus, quem antiqui medici nigra, uel humorẽ nigrum uocabãt, ut autor eſt Galenus libro De cholera nigra, & ſecũdo uolumine De pontentijs naturalibus. Quum enim ſecundum legem naturæ cõſuetus ſit ſplen ſanguinem in hepate genitũ ab humore melancholico expurgare, ſi forte cõtigerit hoc nõ poſſe fieri propter ſplenis debilitatẽ, tunc hepar

D eiuſdem humoris in ipſo retenti multitudine grauatũ, atq; ideo debilitatum, nõ ui potentiæ naturalis ſuperflua expellentis, ſed potius ſymptomatis, per aluũ deijcit inferiorem: quæ deiectio nigra nominatur, differens ab atra bile in hoc, quia atra bilis ex humore melancholico, putreſcente fit: deiectio autem nigra anteq̃; putreſcat. Eſt autem peſſima talis deiectio nigra, ut inquit Hippocrates, quia fit propter duorũ uiſcerum debilitatem, ſplenis quidem nõ potentis trahere humorẽ melancholicũ ab hepate, hepatis autẽ tali humore in ſe retento grauati, atq; ideo ui ſymptomatis, uti diximus, coacti ad inferiora tranſmittere. Nõ ſolum autẽ ex humore melancholico putrefacto uel cõbuſto atra bilis generať, ſed etiam ex cholera præternaturali, quæ à Galeno libro ſecũdo De potentijs naturalibus uitellina nominatur: quæ multo peior eſt altera genita ex humore melancholico. Sed de illa generatione non multũ Galenus loquiť in cõmentatione aphoriſmi uigeſimiprimi, cui fuit principale propoſitũ oſtendere inter deiectiones nigras, id eſt, humorem melancholicum, & atram bilem ſiue bilem exquiſite nigram, differentiã, quemadmodum ex uigeſimaſecũda cõmentatione liquere poteſt. Tertia obiectio. Item nec apparet qualiter in principio morbi ſint indigeſtæ, & in ſucceſſu, ut in ſtatu poſſint eſſe digeſtæ: Quum tales exquiſite nigræ ſint genitæ per aduſtionẽ: ex cõſequenti non ſunt digeſtæ. Hæc etiã obiectio ſupponit, deiectiones nigras, & atram bilem ex eadem materia generari per aduſtionem: quod tamen eſt à Galeno diſſonũ, in multis librorũ ſuorũ deiectiones nigras ab atra bile diſtinguente. Hoc etiam argumentum nõ minus cõtra aphoriſmũ uigeſimumſecundũ Hippocratis facit, quàm contra nos: Siquidẽ in eo aphoriſmo ita ſcribitur ſecundũ tranſlationẽ Theodori, quam imitatus eſt Laurentianus: In quocunq; morbo incipiente, ſi atra bilis uel ſuprà uel infrà exierit, lœtale eſt. Per quæ uerba aphoriſmi ſignificatur etiam atram bilem genitã ex cholera per aduſtionem poſſe ſuſcipere coctionẽ: quandoquidem incipiente morbo materia exiſtẽte cruda, exitus eius uel ſuprà uel infrà lœtalis eſt:

Deiectio nigra cur peſſima.

A In ſtatu uero quando iam cocta eſt, non eſt letalis. Quarta obiectio. Item non apparet qualiter deiectiones nigræ effuſæ in terram nõ bulliant. Hæc dictio, effuſa, non bene iungitur cum hac. deiectiones nigræ. Hunc in grãmatica errorem, quo effuſa, pro effuſæ ſcribitur, & eius, pro earum, debuit arguens chalcographis imputare, niſi uideri uolebat aucupari muſcas. Vltima obiectio ita ſe habet. Item in fine cõmenti uigeſimitertij uidetur dicere, quod deiectiones nigræ ſunt magis fuſa & minus concretæ, quàm ſanguis ille: quod eſt falſum. Circa finem commentationis uigeſimætertiæ ſecũdum tranſlationem noſtram nihil horum dicitur, quæ arguens nobis opponit: imò de hoc poſſumus gloriari, quod omnes aliæ tranſlationes, excepta noſtra, contrarium Galeni dogmati ſenſum retulerũt: Qui uult in libro De cholera nigra nullum alium humorẽ præter ſanguinẽ coagulari: Quam etiam ſententiam Galenus hoc in loco ſcilicet in commentatione uigeſimatertia repetijt. Nos uero ſatis ſuperq; de hac materia, aliarum tranſlationum falſitatem refellendo, & noſtrarũ ueritatem aſſeuerando, diſſeruimus: Quare tandem huic operi, quod longius excreuit quàm ſperabamus, finem faciemus.

APOLOGIAE FINIS.

AD LECTOREM.

Qui præceptoris legiſti plurima dudum,
Nunc lege diſcipuli, candide lector, opus:
B *Tale quidem ut meritò poſsis cenſere magiſtri,*
Quamuis diſcipulo contribuatur honor.

ROMANVS MEDICVS LVDOVICO BONACIOLO S.

FVIT moris antiqui, homines eruditos ſuarum opera uigiliarum regibus, aut uiris potentibus dedicare, putantes non minus ſibi fore glorioſum quàm illis, quorum nominis immortalitati conſecrarentur, ſi ea magnorum uirorum iudicio probarentur, atq; in eorũ clientelam reciperentur: quoniam ut ait Flaccus:

Principibus placuiſſe uiris non infima laus eſt.

Equidem hanc priſcæ ætatis conſuetudinem non poſſum niſi uehementer collaudare, in qua terrarum domini nõ minus doctrinas appetebant quàm regna. Extat adhuc epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem, in qua de præceptore conquerit, quoniam libros Auſcultatorios in uulgus ædidiſſet, atq; ita diſciplinã philoſophię, qua ab eo fuerat eruditus, omnibus communem feciſſet. Se uero rex ſapiens in eadem epiſtola ſcribit, maluiſſe alijs præſtare doctrina quàm opibus. Noſtris uero temporibus in quibus ſtudia literarũ à priuatis hominibus magis excolunt, & à pauciſſimis ſciendi gratia, à quãplurimis uero propter uitæ ſubſidia affectant, illos cõmendo magis, qui ſuas lucubrationes nõ ditioribus, ſed doctioribus inſcribunt: Nam, ut inquit Ariſtoteles, unuſquiſq; iudicat ea quæ cognoſcit, eorumq; bonus eſt iudex. Hac ratione ductus, & ſummi philoſophi autoritate, te Ludouice doctiſſime,

C potiſſimum elegi, quem noſtrarũ, mei ſcilicet Romani medici, ac cuiuſdam ſophiſtæ Patauini, de tribus doctrinis ordinatis diſputationum, iudicem facerem: quum non poſſit aduerſarius forum Ferrarienſe declinare: Iuſtiſſima enim res eſt, ut ubi quiſq; deliquerit, aut aliquid boni peregerit, ibidem preciũ quod meruit, aſſequatur. Ipſe autem ſophiſta fatetur ſe quæſtionem ſuam de doctrinis in uniuerſali Ferrariæ cõpoſuiſſe. Tu uero Ludouice plus ne laudis, an uituperij patriæ tuæ, in qua ſemper uiri omnium doctrinarum ſcientia præſtantes, & non ſophiſtæ garruli ſub principibus Eſtenſibus uiguerunt, ex eius quæſtionis acceſſerit cõpoſitione, pro tuo iudicio grauiſſimo ac maximo, ſi tantũ tibi ocij ſupererit, ut eam & noſtrã confutationem legere poſſis, optime iudicabis.

LVDOVICVS BONACIOLVS IN SEQVENtem medici Romani Librum, præfatio ad lectorem.

QVEM mihi nuper medicus Romanus nominatim dicauit, niſi me fal-
lit amor dicaturæ, liber totus eſt aureus, & auri menſura penſandus.
In eo ſiquidem ſophiſtarũ temeritas atq; arrogãtia retunditur. Quam-
plures Monachi male Galenũ exponentis, errores, quibus unus è nu
mero ſophiſtarum patrocinatur, tum rationibus, tum etiam ipſius Galeni autorita
tibus, refelluntur. Vera Galeni ſententia De tribus docendi ordinibus contra eun
dem ſophiſtam propugnatur. Ioannis Alexandrini falſas atq; adulterinas Hippo-
cratis Epidemias enarrantis, fides atq; autoritas eleuatur. Multa obiter Hippocra
D tis, Galeni, atq; Ariſtotelis loca à ſophiſta garrulo non intellecta, atq; ideo perpe-
ram allegata declarãt. Quare res ipſas Lector benigne diligentius perpende, ne
que proprium autoris nomen fruſtra perquire. Sat tibi fuerit ex titulo operis didi
ciſſe medicum Romanum Nicolai Leoniceni, uiri tum aliorum, tum ipſius aduer
ſarij iudicio docti, fuiſſe diſcipulum: unde fit ueriſimile, eorũ quæ à diſcipulo ſcri-
buntur maximam partem ex præceptoris officina prodijſſe.

MEDICI ROMANI
NICOLAI LEONICENI DISCIPVLI ANTISOPHISTA.

BARBAROS Græcis atq; Romanis ſemper fuiſſe inimicos, teſtantur ſcriptores qui res geſtas populi Romani, atque Athenienſium literarũ monumentis prodiderũt. Hinc ueluti quodam odiorum contagio fit, ut qui barbaros ſectantur autores, alios, qui recta ſtudia tam græca quàm latina barbaris præferunt, inimiciter perſequãtur. Huius odij atq; inimicitiæ teſtis eſt optimus Hermolaus in ea epiſtola in qua diſputat de genere dicendi philoſophorum cum Pico Mirandula, qui philoſophos barbaros cõtra eloquẽtes ſummis uiribus eloquentię defendit. Introducit enim Hermolaus quendam Simium Patauinũ palàm dictantẽ, ſe ac ſuos cõſectaneos ſemper his qui elegantiores literas profitentur, fuiſſe infenſiſſimos, & nullum unquã cum illis commercium habituros: Quocirca eiuſdem Pici tanquam uilis grãmatici renuit patrocinium.

A cinium. Hoc enim genus hominũ dum ſe ac ſuam barbariem uolunt extollere, cæteros qui diſertius quàm ipſi loquũtur, nolunt habere in numero philoſophorũ, uel medicorũ, ſed ad gregem reijciunt grammatiſtarum: non aduertentes ſe Platonem, atq; Ariſtotelem, & omnes antiquos philoſophos, qui eloquentiam cum ſapientia cõiunxerunt, atq; ipſum in primis Theophraſtum, qui à diuinitate loquendi nomen accepit, in eadem ſentina collocare. Neq; hanc apud eos nominis ignominiam Galenus effugeret, ſi modo eum in ſua lingua de medicina ſcribentem legerent, ac poſſent intelligere: Aut ſaltem ſcirent, quale ſit de hoc medico Athenæi iudicium, qui in quodam conuiuio ad quod multi uiri docti cõuenerant, ait inter cæteros adfuiſſe Galenũ Pergamenum medicum, qui neminem habuerat uſq; ad ſuæ ætatis tempora philoſophandi ſcientia, uel dicendi facultate ſuperiorem. Tale quidem fuit Athenæi De Galeno iudiciũ, multũ à ſophiſtarum, qui noſtro æuo in precio ſunt, mala exiſtimatione, diuerſum: qui putant nõ ſolum eloquentiã, ſed etiam ueram grammaticam, & omnem recte loquendi rationem philoſophiæ eſſe contrariam. Sed quod Pico Mirandulæ uiro incõparabili accidit, idem mihi ab altero Simio ex eodem ſtudio Patauino cõtigit, ſi modò non idem eſt Simius, qui & me nunc doctrinaliſtam nominat, & dudum Picũ Mirandulam grammatiſtam appellauit: nomine Simij propter paruitatem corporis ab Hermolao, uiro nõ minus faceto q̃ docto, inſignitus. Sed quiſquis is fuerit, ſiue idem, ſiue alius, qui me tam ignominioſa appellatione ſtuduit infamare, æquo animo feret, ſi à medico Romano, pœna talionis punietur: Hæc enim eſt ſtudiorum lex, ut qui maledixerit, male audiat. Præterea Romanum eſt, non more puerorum de illata iniuria flebiliter conqueri, ſed iniuriantem acriter uindicare, & colapho percutientem, uulnere repercutere. Volo tamen deinceps omiſſa Simij nuncupatione, qua in omnes tales

Athenæi de Galeno iudicium.

B latinitatis hoſtes philoſophaſtros uti libuit Hermolao, illum quem innuo medicũ, ſophiſtam honeſtiori uocabulo nominare, quando & ipſe me ſatis honorifico medici Romani nomine decorauit. Et ſanè hominem uel mihi contradicentem amarem, niſi ipſe dum nimium dicaculus atq; mordaculus haberi uult, ſe ad dicteria & morſus ſcurriles tam crebrò cõuerteret. Quanto melius pro graui philoſopho, ac medico, qualis nunc uult haberi, ſophiſta egiſſet, ſi totam ſuam de tribus doctrinis ordinatis quæſtionem, nõ cõtumeliis, atq; cõuiciis, ſed rationibus atq; argumentis tantũmodo tractauiſſet? Verum homo cõtentioſus aſſuetus in coronis non ad inquirendã ueritatem, ſed ad captandã gloriam popularem, uociferando potius q̃ diſputãdo rixari, nõ potuit ab ingenio, & cõſueta ſibi maledicentia recedere. Illud præterea erat ſtudio, quod nunc ſui quæſtus gratia profitetͬ, medicinæ ſcilicet quæ magis in opere, quàm in contemplatione uerſatur, conuenientius ſe, ac medicum Romanum in quæſtionibus phyſicis, ſeu medicinalibus potius quàm dialecticis, atq; ſophiſticis exercere. Nam (ſi uerũ fateri uelimus) quæſtio de tribus doctrinis ordinatis, eo modo quo à ſophiſta tractatͬ, tota eſt dialectica, imò magna eius pars, ut ita dixerim, grammaticalis, ut in proceſſu noſtræ diſputationis apparebit. Sed propriũ eſt ſophiſtarũ, ut multis in locis Galenus teſtatur, quos breuitati ſtudens, nolo barbara iactatione numerare: Eſt inquam ſophiſtis familiare, gaudere ſermonum ac rerum ipſarum obſcuritate, in quibus quid ſit uerius non poſſumus ueluti in medicina experiri: Ideo coguntur homines alij alia ſentire. Rem autem per ſe ſatis inuolutam atq; perplexã conatus eſt medicus ſophiſta magis inuoluere, & nodis implicare, quos neque ipſe ſcit ſoluere, ſed ad alia in aliis quæſtionibus dicenda differt ſolutionem, fallens expectatione lectorem: uel ab uno notabili tranſmittit ad aliud: quæ notabilia tot numero ſunt, ut crebra chartarum reuolutione lector defatigatus deſiſtat antè, quàm ultimam ſophiſtæ concluſionẽ poſſit attingere. De-

C niq; quicquid ſophiſta dicit, nil rationibus, pauciſſima aũt autoritatibus, ijſdẽq; male intellectis, aſſeuerat, adeò ut niſi medicus ſophiſta exigat, ſibi omnes eſſe diſcipulos, & tanq; alteri Pythagoræ dicenti credi, multa quidẽ dixiſſe, pauciſſima autem probaſſe, poſſit ab omnibus doctis iudicari. Ego uero hanc ſophiſtæ loquacitatem ſtatui potius faſtidiendo calcare, quàm curioſa diſputatione refellere. Non deerũt alij mei amantiſſimi iuuenes, quos nõ pudet fateri ſe Romani medici fuiſſe diſcipulos, qui captioſis ſophiſtæ argumentis pro præceptore reſpondebunt, & in quibus ille cõſequentijs pueriliter exultat, ſophiſtam infantiliter errare demonſtrabunt. Veluti quũ ait, cõſequentiam bonã ualere in omni materia, ideo non ſequi, Tres ſunt omnes doctrinæ quæ ordine habẽtur, igitur omnes ordines doctrinarum ſunt tres. Sicuti nõ ſequit̃, Omnes ſerui qui habentur cum pileo ſunt tres, igitur omnes pilei ſeruorũ qui habentur ſunt tres: quum illorũ ſeruorũ pileum habentium quilibet plures habere poſſit. O rudem ſophiſtæ ſubtilitatem, qui nõ aduertit, ſi ſupponat̃ quemlibet ſeruũ ex tribus, unum tantũ habère pileũ, ut ſupponitur in illa propoſitione Galeni: Tres ſunt omnes doctrinæ quæ ordine habẽtur, unicuiq; trium doctrinarũ unicum tantũ ineſſe ordinem. Quæ ſuppoſitio patet ex modo loquendi autoris: neq; enim dixit, quæ ordinibus habentur, numero plurali plures ordines ſignificante, ſed ſingulari ſingulum cuiq; ordinem tribuente. Si inquam utrobiq; uerus uerborũ ſenſus accipiatur, utraq; conſequentia bona erit, & qua colligitur numerus pileorũ in ſeruis eſſe ternarius, & pariter etiã in ordinibus doctrinarũ. Quotus autẽ ſit numerus doctrinarũ, nolumus hoc loco decernere. Tres autem eſſe tantummodo docendi ordines conſtanter aſſerimus. Quos tamen ſophiſta uſq; ad ſenariũ numerum in ſuo octauo Notabili adauxit. Cui miror

D ordinem literarũ, & alterum ſyllabarũ etiam non fuiſſe additum, ut pluribus ordinibus ſuas doctrinas ſophiſta cumularet. Tantam enim fidem in multis, quantam in paucis ſuum octauum Notabile habere poteſt: quãdoquidem plurima ab ipſo ſine probatione dicũtur, qui uult ſibi tanquã alteri Pythagoræ dicenti credi, ut antea quoq; inſinuaui. Fortè ſophiſta reſpondebit, Tot ordinũ doctrinarũ ſufficientẽ haberi probationẽ ex Ariſtotelis autoritate, ſtatim ante octauum Notabile ab eodem ſophiſta allegata: Ex qua patère ait, in quibus reperiũtur ordines in omnibus illis ſcilicet in quibus reperit̃ prioritas, et poſterioritas, & antecedẽtia, & cõſequentia: & breuiter, in quibus eſt dependentia ſecundũ prius & poſterius, ſecundũ modos prioritatis narratos ab Ariſtotele. Hæc ſophiſta ad literã: quẽ poſſum cum ſuo Pluſquã Cõmentatore, à quo accepit hanc ordinũ annotationẽ, ita refellere: Vbicunq; inuenit̃ prius & poſterius, ibi inuenitur ordo: ergo prioritas ordinis nõ eſt modus diſtinctus cõtra alios. Hoc autẽ eſt contra Ariſtotelem in Poſtpredicamentis, & quinto lib. De prima philoſophia, in quibus ambobus libris ponit modũ diſtinctum prioris & poſterioris ſecundũ ordinem ab alijs, quæ ſunt aliter priora ac poſteriora quàm ſecundũ ordinem. Aut igitur in ſua diuiſione modorũ prioris ac poſterioris errauit Ariſtoteles, in qua unus modus cõuenit cũ omnibus alijs: Aut ſi nefas principi philoſophorũ aliquid erroris tribuere, unus tantũ modus eſt eorum, quę uere dicũtur priora ac poſteriora ſecundũ ordinẽ: reliqui & ab hoc, & à ſe inuicẽ ſecundũ proprias naturas ab Ariſtotele aſſignatas, diſtinguũtur. Quare Simplicius in expoſitione Poſtprædicamentorũ Ariſtotelis conatus oſtendere, diuiſionem illam modorũ prioritatis ac poſterioritatis in eo lib. ab Ariſtotele traditã, eſſe rerum potius q̃ rationũ inuicem differentiũ, quum uideret duo exempla prioritatis, ac poſterioritatis ſecundũ ordinem, alterũ ab elemẽtis ac theorematibus in Geometria, alterũ à literis & ſyllabis in Grãmatica acceptũ, poſſe etiã alijs modis prioritatis & poſterioritatis, quos Ariſtoteles inibi ſcribit, conuenire: Tertiũ tantũ

A in Rhetorica exemplū, in quo dicitur proœmiū eſſe prius narratione, proprium
eſſe eorū quæ dicūtur eſſe priora ac poſteriora ſecundū ordinē, iudicauit: Quoniā,
ut inquit, quæ alijs exemplis proponūtur, poſteriora pendent à prioribus, tanquā
ex cauſis: Proœmiū autem non eſt cauſa narrationis, ſed tantum ordine præcedit.
Ioannes autē Grāmaticus poſt diligens examen iſtiuſmodi tertij quo aliqua dicun
tur priora, ac poſteriora ſecūdum ordinem, duo tantū exempla philoſophi, primū
in Geometria, ſecundū in Rhetorica cōprobauit, tertium in Grāmatica, quoniam
literæ ſyllabis ſunt natura priores, & ſyllabæ peremptis literis perimuntur, non au
tem contrà, atq; ideo uiſum eſt ei ſecundo modo magis accōmodari, & tertium re-
pudiauit. Sed tamen Pluſquam Cōmentator ex hoc tertio modo præcipue proba
re nititur ordinem ſuæ doctrinæ reſolutiuæ, quæ à natura prioribus ad poſteriora
procedit, & hoc quia uidit in alijs modis prioritatis, ac poſterioritatis nullam fieri
ab Ariſtotele de ordine mentionem. Simplicius quoq; exponens locū illum Ari-
ſtotelis libro quinto De phyſica auſcultatione, in quo agit de his quæ deinceps, &
conſequentia dicuntur, in quibus inuenitur prius & poſterius: quot modis iſtud
contingat manifeſtat, aut ſecundū ſitum uidelicet, ut ſi plures lineas ſcripſerimus,
aut plures domos, uel urbes, unam poſt alias accipiamus: aut ſecundū tempus, ue
luti primus dies menſis antecedit ſecundū, ſecundus tertiū, & ſic de reliquis: Et ſe-
cundum naturam, ut in numeris unitas prior eſt duitate: & ſecundū ordinem, quo
proœmiū eſt ante narrationem. Auerrois etiam in commentatione eiuſdem loci,
quam nō opus eſt ſophiſtæ numerare, cui etſi fortè alias mathematicæ partes detra
xeris, ex quarū ignorātia nō poteſt meritò, teſte Boetio, ſe philoſophū profiteri, in
hac tamen numerādi, cōmentandiq; facultate neminē habet parem, nedum ſupe-
B riorem. In dicta inquam cōmentatione Auerrois idem quod Simplicius teſtat̃, ali-
qua eſſe priora & poſteriora ſecūdum naturā, in quibus poteſt eſſe eſſentialis de-
pendētia poſterioris à priori, ſicuti duitatis ab unitate: aliqua ad placitū, ſicuti ſe ha
bet narratio ad proœmiū: ſecūda linea in abaco deſignata ad primam: urbs poſte-
riori loco ſita ad priorē, ut ſuis exemplis Simplicius manifeſtat. Verba Cōmenta-
toris Ariſtotelem exponentis, hæc ſunt: Et dicit̃ ſequi tam rem, quæ eſt poſt aliam,
quæ eſt quaſi principiū, aut in ſitu, ut quū dicimus, domū ſequi aliquam domū. aut
in forma ſpecifica, uerbi gratia, quod animal ambulans ſequit̃ hominē, & intendit
per aliam intentionē ſequens. ſecundū naturā, uerbi gratia, quod dualitas ſequitur
unitatem, & trinitas ſequit̃ dualitatem, & quū dicimus, quod in ſermonibus narra
tio ſequitur proœmiū, & exiſtimat̃ quod ſub hoc collocatur ſequēs ſecundū placi
tum. Audiat ſophiſta quē toties citat Auerroim affirmantē ſub exemplo proœmij
antecedentis narrationē cōtineri omnia illa, quæ nō habent eſſentialem dependen
tiam, ſed ad placitum ordinantis ſunt priora & poſteriora ſecūdum ordinem: Qui
modus eſt tertius apud Ariſtotelem, à quo modo accipit Pluſq; Cōmentator ordi
nem doctrinæ reſolutiuæ & compoſitiuæ, & tamen ille nō eſt ordo, neq; cauſæ ad
effectū, neq; effectus ad cauſam: Neq; enim proœmium eſt cauſa narrationis, neq;
narratio proœmij effectus. Audiat etiā Themiſtiū, raro aſſuetus bonos audire au
tores, idem cum Simplicio, Ioanne grāmatico, atq; Auerroi in Paraphraſi eiuſdem
loci aſſeuerantē his uerbis: Secundū eſt ab eo quod eſt primū: Primū uero aut poſi
tione ſituq;, ut in lineis & domibus cernit̃: aut natura, ut in unitate & duitate per-
ſpicitur: eſt enim unitati deinceps duitas & duitati ternio, quia alius numerus non
intercedit: dicitur primū & ab ordine, ut exordium ante narrationem. Sed uideo
me nihil græcorū expoſitorū proficere autoritatibus, quoniam ſophiſta omnium
Græcorum fidem habet ſuſpectam, & uix ipſi credit Ariſtoteli, tum quia lingua
græca ſcripſit, tum quia inter philoſophos eloquentes fuit eloquentiſſimus, cum

C quibus ſophiſta barbarus nullũ uult habere cõmercium. Citabo tamen ei rurſus Ariſtotelem & alio in loco, in quo exactiorẽ tradit diſciplinã, libro ſcilicet quinto De prima philoſophia, ubi enumerat omnes modos ſecũdum quos dicitur prius & poſterius, & plures etiã quàm in Poſtprædicamentis, & ſpecialem de priore ac poſteriore ſecundũ ordinem facit mentionẽ, ita ſcribens: Alia dicũtur ſecundum ordinem, ſupple tu priora ac poſteriora, ea quæ ad aliquod unum determinatũ diſtant ſecundũ rationem, ut Paraſtata, & Tricoſtata, & Paranete, Netes. Hic uideo medicũ ſophiſtã hæſitare, & ingenue fateri, ſe hæc uocabula græca ignorare: neq; in Logicula Pauli, neq; in quadratura unquam à ſe lecta forte in alia ſciẽtia, ueluti in Muſica uſitata. Si uero quiſpiã eum interroget quid ſit terminus Categorematicus, quid Syncategorematicus, quantũuis ſint græca nomina, ſtatim ad hæc Sophiſta Pauliſta arriget aures, & ſine ulla præmeditatione reſpondebit. & cur nõ promptiſſime hoc agat? qui pariter ſciat quid ſit terminus primæ intentionis, quid ſecundæ: Et cur in huius definitione Paulus addiderit, dato quod eſſet, circa quorũ triũ uerborũ intellectũ, non parum ætatis noſtrę ſophiſtarũ ingenia laborarũt. Primus ſophiſta noſter quũ logiculam Patauij profiteret̃, huius doctrinæ arcana reſerauit uel (ut eius utar uocabulis) medullam eſt ſpeculatus, ſeu nõ lambit, ſed maſticauit. Neq; enim eſt adeò ab elegantia ſermonis auerſus, quin metaphoris (licet ridiculis) frequẽter utatur: Et nõ minus ridiculoſe ſolũ ſe iactet noſſe inter Pleonaſmũ & Periſſologiã quid interſit, quã differentiã nõ uult etiam amicos docere. Sed de his poſtea. Nũc ad Logiculã Pauli reuertamur, cuius ſubtilitatibus ſophiſta cõtentus, muſicã à ſe omnino reijciet, tanq̃ à philoſophia et medicina penitus alienã. In quodam tamen ſuæ quæſtionis loco ex Galeni autoritate teſtatus, oportere medicũ in

D liberalibus artibus eſſe exercitatũ, quare neq; muſicæ expertem. Siquidẽ in homine pulſus arteriarũ, eodem Galeno autore, muſicas habẽt proportiones, & aliqui ſunt cõcinni, aliqui incõcinni: uel, ut me ſophiſta intelligat, aliqui ſunt boni ponderis, aliqui mali ponderis. Oportet enim cum homine barbaro diſputantẽ eſſe bilinguem, imò uero trilinguem, nõ ſolum uerba gręca, quæ apud bonos autores reperiuntur aliquãdo pronũciando, ſed ſæpius latina, ſæpiſſime autem barbara. Balbi enim balbos intelligũt. Quare nolo ſophiſtã muſico exemplo, quod græce in latina translatione ſcribitur, diutius uexare, ſed ad barbaram translationem, quam ex Auerrois expoſitione melius intelliget, ne me hominẽ bilinguẽ, ut ſępe facit, accuſet, ipſum remittam. Translatio ita ſe habet: Dicunt̃ autẽ ſecundũ ordinem illa quę adunantur in ſe ſecundũ relationem ad aliquid unum, & diuidũtur ſecundũ definitionem: Sicuti dicimus, quod ſtans ſecũdus eſt in propinquitate ante tertiũ. Quæ uerba Arabicæ translationis exponens Auerrois, ſcribit in hunc modũ: Et dicitur aut ſecundũ ordinẽ, id eſt quod illa quæ exiſtũt ſimul nõ poſſunt imaginari priora, ac poſteriora, niſi reſpectu alicuius poſiti in eis tanq̃ unũ et principiũ, ſcilicet cõſiderando ſuũ ordinẽ de illo, & ſuum ordinẽ adinuicẽ. Dicimus enim quod in acie hominũ ſecundus eſt ante tertiũ, in reſpectu primi qui eſt in capite. Et ſimiliter, quod tale neuma eſt ante tale, reſpectu alicuius primi in neumatibus. Hęc Auerrois, qui & ipſe in muſico exẽplo ſatis obſcure loquit̃. Sed nolumus, ut antea promiſimus, in muſica ſophiſtam fatigare: qui ad eam (ſicuti aſinus ad lyram) auriculas tantũ mouet. Illud tamẽ de altero exẽplo Auerrois eum puto percipere, q̃d in acie militũ aliquis eſt primus, aliquis ſecũdus, aliq̃s tertius ſecundũ ordinẽ. In quo ordine nulla eſt dependẽtia poſterioris à priore: Qui eñ ſecũdus eſt, potuit eſſe primus, & qui tertius ſecũdus, uel ita caſu ferente, uel ita duce exercitus ad placitũ (ut uerbo utar Auerrois) aciem inſtruẽte. Quę res etiã magis patet in ordine columnarũ porticus ſuſtentantium, in quo nulla eſt neceſſaria dependentia poſterioris ad prius, uel antecedentia

Medicũ nullius artis debere eſſe expertem.

A tecedentia prioris ad prius. Quare non temere Vgo Senenſis non minor philoſophus quàm medicus, ordinis definitionē à Monacho traditā, quam ſophiſta ſequitur, improbauit his uerbis: Quia ergo aliquid dicitur prius ſecūdum ſitum uel ſecundum quendam ordinem, à quo tamen nō dependet poſterius, ideo nō omnis ordo eſt dependētia debita: Cuius tamē oppoſitū uidetur dicere Monachus commento primo, & Conciliator differentia octaua, & plures ſequentes. In quorū numero eſt ſophiſta noſter, qui tamen hanc definitionē ſuam uideri uoluit, & nō Monachi: atq; ideo obligatur tanquam propriam defendere, uel ſi non uult furti eſſe reus, ſaltem tenetur duos magnos autores propugnare: alterū iure patrocinij erga illum, quē in ſuam clientelam recepit: alterū officio debito patriæ, quia ſuus ciuis eſt. Huic autē tanto facilius eſt ſatisfacere, quāto Cōciliator in ſua ordinis definitione non citat Ariſtotelem, ſicuti Pluſquā Cōmentator eo ipſo in loco, ſcilicet tertio modo prioritatis & poſterioritatis. In quo maxime Græci Ariſtotelis expoſitores, & Auerrois ad Græcorū imitationē, nullam uolunt eſſe dependentiam naturalem, ſeu quouis modo neceſſariam. Cōciliator tamē hoc habet incōmodi, quod non poteſt eum ſophiſta niſi cōtra ſeipſum defendere, qui uult in omnibus modis prioris ac poſterioris ab Ariſtotele dictis, eſſe talem dependentiam. Cuius opinionis falſitatē tam manifeſtā Vgo iudicauit, ut neq; exemplis, neq; autoritatibus, neq; ullis rationibus, ſicuti nos fecimus, cenſuerit deſtruendā. Hunc tamē tantæ doctrinæ uirum, quia alio in loco noſtræ fauet opinioni, ambas & Cōciliatoris, & Pluſq; Cōmentatoris opiniones tanq; à Galeni dogmatibus alienas refutādo, & ſua etiā ſcripta priora in quibus illas approbauerat, ut philoſophū decuit, retractādo, cani cōparat qui ſecutus umbram perdidit carnem. Verius ipſe nō cani animali dome-
B ſtico, & homini amico, ſed coruo aui ferali & inhoſpitali cōferendus, qui quum caſeum geſtaret ore, prouocatus à uulpe ut ſecū certaret de uoce, crocitare incipiēs, amiſit eſcam. Nonne mirum in modū hæc in ſophiſtam fabella quadrat? qui dum ſtuduit ſuis diſcipulis placere, contra medicū Romanū de tribus doctrinis ordinatis diſputando, tantū illis ſua garrulitate diſplicuit, ut magnam eorū fugauerit partem, & iam dicere nequeat ad illos qui inopia melioris doctoris reſtiterūt, Audite omnes, quum nō expleant numerū, cui hic terminus ſincategorematicus cōuenit. Iam enim uolo cū ſophiſta redire in gratiā, uerba greca ipſi nō ignota proferendo, quē ſcio me prius grauiter offendiſſe, Protoſtatē, & Tricocaſtem, Netem, & Paranetem, nomina eius auribus inſueta pronūciando. Sed fortè in re ſeria nimium iocando tēpus cōterimus. Etſi igitur hanc totā diſputationē cum homine ludicro ludere, potius q; curioſe agere ab initio ſtatueram, quia tamē medicū ſophiſtā etſi in pluribus deliret, in quibuſdā tamen aliquid ſani in tam longa quæſtione eum ſcribere eſt ſuſpicandū, ut qui habuit cum Lodouico Charenſi Patauino, cognomine Toſetto, uiro docto, diuturnā familiaritatē, à quo plurima bona diſcere potuit, uidere oportet ſi quid aliquādo ſapiat ex alieno capite potius quàm ſuo, uel more furentum, qui quandoq; uera prædicūt. Nam & ipſe ſophiſta, qui tot ordines doctrinarum ſuo octauo Notabili fruſtra numerauit, & ſuperuacuos, unum tamen inter tot alios nō temere notauit, qui eſt ordo explanationis partium definitionis ad ipſas partes, quem Pluſq; Cōmentator negat eſſe doctrinę ordinē: ſed male negat, ut mox ſumus oſtenſuri. Et ſanè in hoc ſophiſtæ debemus, qui nobis dedit nō paruum eiuſdē Pluſq; Cōmentatoris errorē in ſua expoſitione redarguēdi occaſionē, qui propter nominis autoritatē multos potuit decipere. Quē etiam errorē puto ſophiſtam, licet in ſuo octauo Notabili aliter ſentiat, aliâs fuiſſe ſecutū. Cauſam errandi prębuit Pluſq; Cōmentatoris malus intellectus illorū uerborū, quę poſt aſſigna

C tam medicinæ definitionem apud Galenum in hunc modum ſcripta inueniũtur: Et eſt ſecundum primam quidem rationem ſcientia ſanarũ cauſarum medicinalis: Poſt illas autem etiam & aliarũ: ſecundo quidem & ægrarũ, tertio uero neutrarum. Et poſt hæc corporũ primum, & hic ſanorũ, deinde ægrorum, deinde neutrorum. Et de ſignis uero ſecundũ rationem eandẽ. In actionibus uero prius quidẽ corporum cognitio ex ſignis manifeſta eſt: poſt hec uero & cauſarũ inuentio. Hæc Galenus noſter, qui in propoſita definitione medicinę, quę fuit: Medicina eſt ſcientia ſanorum, ęgrorũ, & neutrorũ: certus quidẽ fuit, quod facturus doctrinã definitiuam in qua ſequi debebat ordinẽ partiũ definitionis (hinc enim eidem doctrinæ nomẽ) de ſanis primũ deberet tractare, deinde de ægris, poſtremo de neutris: Sed quia ſanum, ægrũ, & neutrũ dicitur & de corpore, & de ſigno, & de cauſa, nõ paucam habuit dubitandi occaſionẽ, an à corporibus ſanis, ægris, & neutris, quæ ex ſignis dignoſcunt̃, an potius à cauſis itidem ſanis, ægris, & neutris initium ſuæ doctrinæ faceret. Cauſa dubitationis nõ fuit modica, quoniã ſciebat antiquam definitionẽ ab Herophilo traditam eſſe talem: Medicina eſt ſcientia cauſarũ ſalubriũ, ægrarũ, & neutrarũ, ut apertiſſime idem Galenus oſtẽdit circa initia libri De ſectis, ubi ſcribit hæc uerba: Intentio quidẽ artis medicinalis eſt ſanitas: Finis uero, eius adeptio. Ex quibus uero quiſpiam uel eam, quæ non adeſt efficeret ſanitatẽ, uel quæ adeſt conſeruaret, neceſſe medicos nõ ignorare. Vocantur autem illa quæ efficiunt ſanitatẽ quæ nõ adeſt, remedia & auxilia: quæ uero præſentẽ cõſeruant, ſalubria diætemara. Ob hoc igitur & ipſam medicinã antiqua ratio, id eſt, definitio dicit eſſe ſcientiã ſalubriũ, ægrorũ, & neutrorum: Salubria nominans quæ præſentem ſanitatẽ conſeruant, & quæ corruptam reſtituũt: Aegra uero iſtis contraria: utraq; enim cognitio eſt medico neceſſaria: ut iſta caueat, & eligat illa. Quibus Galeni uerbis conſonant illa, quæ in hoc loco, de cuius expoſitione diſputamus, ab eodem Galeno ſcribuntur hoc modo: Et eſt ſecundum rationem primam, definitiuã ſcilicet, ſcientia ſanarum cauſarũ medicinalis: uel ut habet translatio Nicolai Leoniceni, & ſecũdum primã quidem rationẽ atq; præcipuam, cauſarũ ſalubriũ eſt medicina ſcientia: poſt has autem & aliarũ, & reliq. In Introductorio etiam medicinę, qui liber ad Galenũ refertur autorem, ſola definitio Hippocratis & Herophili, quoniã in unam & eandem ſentẽtiam uidentur conuenire, cæteris medicinæ definitionibus improbatis, cõprobantur. Hippocrates enim medicinalem ſcientiam definit, quod eſt appoſitio, & detractio. Hoc idem inſinuat Herophilus, inquiens medicinã eſſe ſcientiam cauſarũ ſanarum, ægrarũ, & neutrarũ. Et Galenus hoc loco Artis paruæ, de quo nunc diſſerimus, ad Hippocratis & Herophili imitationẽ, ſcribens ſcientiã medicinalem ſecundũ primam rationẽ eſſe cauſarũ ſanarum primũ, deinde ægrarũ, deinde neutrarũ. Cauſas aũt ſanas apponit medicus corpori humano, ægras uero ſubtrahit & neutras. Rationẽ aũt multis modis dici, & pro ratione accipi quæ in definitionibus, uel deſcriptionibus reddit̃, oſtendit Boëtius in prædicamẽtis, declarans æquiuocorũ definitionẽ ab Ariſtotele ibidem traditã: Aequiuoca dicũtur, quorũ nomẽ eſt idem, Subſtantiæ uero ratio diuerſa. Ratio, inquit Boëtius, multis modis dicitur: Eſt enim ratio animæ, & eſt ratio cõputandi, eſt ratio naturæ: ipſa nimirum ſimilitudo naſcentiũ eſt ratio quæ in definitionibus & deſcriptionibus reddit̃. Sed quid opus eſt Boëtiũ philoſophũ Romanũ lingua patria, id eſt, latina loquentẽ, ſophiſtæ, qui latinitatẽ odio habet, allegare? Hoc enim eſt unguentũ ſupra lentem (ut in prouerbio gręco, quo etiã utitur Ariſtoteles) ponere: uel q̃d in uulgari ſophiſta melius intelligat, hoc eſt ſuibus ſpargere margaritas. Citabimus ei trãslationẽ barbaram, quã Auerrois barbarus autor exponit, cui magis ſophiſta credit, circa initia libri

D

Medicinæ definitio ſecundum Herophilum.

Ratio uarijs modis dicitur.

Aequiuoca.

A libri ſeptimi De prima philoſophia, ubi ita ſcribitur: Subſtantia eſt prima omniū rerum definitione & cognitione, & tempore. In græca autem translatione pro uerbo definitione ponitur ratione: Subſtantia omniū primum ratione, notitia, & tempore: Auerrois autem exponens, definitionē pro ratione poſuit. Mille alios locos apud Ariſtotelem & Auerroim commentantem ad huius ſignificationis cõfirmationem poſſem adducere, ſi more illorum, qui ſunt in Auerroica ſecta iactabundi, in qua iactatione præcipuus eſt ſophiſta noſter, uellem omnes textus, atq; cõmenta Auerrois enumerare. Propter hanc igitur primam & antiquā ſeu rationem ſeu definitionem medicinæ mauis appellare, ab hominibus Hippocraticæ diſciplinæ ſectatoribus, atq; ab ipſo Galeno non omnino improbatam, debuiſſet ipſe ut quiſpiam fortè iudicauerit, ſuam doctrinam definitiuam à cauſis ſanis, ægris & neutris, quæ prima in definitione ponuntur, incipere, & non à corporibus itidem ſanis, ægris, & neutris: Quare rationem reddendā putauit, cur hunc ordinem in docendo ſecutus ſit, & non alium, ita ſcribēs: In actionibus uero prius quidem cognitio corporum ex ſignis manifeſta eſt. Quaſi dicat: & ſi ratio definitiua exigebat, ut à cauſis inciperem, quia tamē in operibus ſcientiæ medicinalis cognitio corporū, quæ ex ſignis habetur, antecedit: prima enim atq; præcipua indicatio uel cõſeruatiua, uel curatiua, uel preſeruatiua eſt ex diſpoſitione corporis humani, uel ſani, uel ægri, uel neutri: Alioquin ingnorato ſubiecto circa quod medicus debet operari, finem ſuarū actionū nõ aſſequeretur. Idcirco in docenda arte operatiua cuius finis eſt opus, ordinem operi debitū ſeruare uoluit, à corporibus inchoando, deinceps tractando de ſignis, quorū cognitio corporū cognitioni ita eſt annexa, ut altera ab altera ſeparari nõ poſſit: Quædam enim eorū complent definitionem corporum,

B quatenus talia ſunt, uel ſana ſcilicet uel ægra, uel neutra: Veluti illa, quæ ſubſtantialiter inhærentia dicūtur, quædam effectus ſunt ipſorū corporū, ſicuti operationes. Si qua uero aliqua alia ſigna ſunt accidentalia, quæ ſymptomata, ſeu caſus, uel accidentia nominantur: & horū cognitio pariter poſterior eſt cognitione corporū ſi non tēpore, ſaltem natura. Vel dicere poſſumus, id quod etiā Iacobus Forliuienſis in ſua expoſitione notauit, notitia confuſa corpora ſignis eſſe notiora, ideo ordine doctrinæ debere præcedere. In hoc enim mihi uidetur Iacobus bene ſentire: in eo autem male, quod triplicem ordinem ponit, ordinem operationis, & ordinem doctrinæ, de quo Galenus intendit in libro Artis paruæ. Et tamē putat Galenum nullam de hoc ordine quem maxime intendebat, feciſſe mentionē. Qui ſanè fuiſſet error Galeni maximus, hoc ordine poſthabito, de quo erat principalis intentio in libro De doctrina definitiua, quæ ab eodem ordine denominat̄, de alijs duobus, qui nihil ad præſentē tractationem pertinerēt, loqui ſuperuacuò. Melius eſt ergo, ob hoc inconueniens euitandū, dicere, id quod ex noſtra expoſitione monſtratur, duplicem eſſe docendi ordinē: Alterū incipientem à cauſis, ſecundū definitionem Herophili, alterū à corporibus propter cauſam ſuperius aſſignatam, qui tamen & ipſe nõ diſcedit ab ordine doctrinæ definitiuæ: Quoniā, ut inquit Galenus, omniū eſt medicina ſcientia tam corporū ſcilicet atq; ſignorū, quàm etiam cauſarum. Talis autem uerborū Galeni intellectus, qualem noſtra expoſitio ſignificat, multas euitat obiectiones: quæ contra expoſitionem Pluſquam Cõmentatoris fieri poſſunt. Nam quum omnes artes, quæ uia quadam ordinata procedunt, ex finis notione ſuam habeant conſtitutionem: finis autē artis medicinalis ſit ſanitas, quorū utrunq; non uno in loco, ſed pluribus Galenus manifeſtat, ſed præcipue in libro De conſtitutione artis medicinalis: Sanitas eſt quam principaliter intendit medicus, & nõ cauſæ immediate efficientes ſanitatem: Imò & hæ, ſicuti omnia alia, quæ ad ſani-

C tatem faciendam requirũtur propter eundem finem expetuntur. Quare ſi per rationem primam Galenus primã intentionẽ intelligebat, & nõ primam, id eſt, antiquam Herophili definitionem, oportuit eum dicere, medicinã ſecundũ primam rationem eſſe ſanitatis ſcientiam, uel corporũ ſanorum, & non cauſarum, quę ſunt ultimæ ſecundũ intentionem, ſicuti ſunt primę ſecundũ operationem: cõtrà autem finis eſt primus ſecundum intentionem, ultimus autem ſecundũ operationem. Nihil autem differebat dicere medicinã eſſe ſanitatis ſcientiam, uel corporũ ſanorũ, Medicus enim nõ intendit facere ſanitatem abſtractam, ſed facere corpus ſanum, uel conſeruare. Fit autem hoc in loco cõparatio præcipue cauſarum ſanarũ, ægrarum, & neutrarum: ad corpora itidem ſana, ægra, & neutra: utra eorũ ordine doctrinæ præcedant. Et ideo Galenus quum ſciret cauſas in doctrina definitiua primum obtinere locum, ſecũdum Herophili definitionẽ, huic ſententiæ uolens aduerſari, ut dictio Vero aduerſatiua oſtendit, ſubiũxit: In actionibus uero primum quidem cognitio corporũ ex ſignis manifeſta eſt. Placere autem ſibi medicinalem ſcientiam principalius eſſe de corporibus, quàm de cauſis, oſtendit ſtatim poſt aſſignatam definitionem medicinæ, declarans quot modis dicatur ſanum, & ægrum, ac neutrum: *Primũ enim de corpore, deinde de cauſis*, poſtremo de ſignis unumquodq; *illorum dici* demonſtrat. Poſtmodũ quum alteram, quæ magis placet Herophilo, *ſubieciſſet*, medicinam eſſe ſcientiam cauſarũ, obiter quoq; docendũ exiſtimauit, quod primum eſſet cauſarum ſanarum, deinde ægrarum, deinde neutrarum. Qui ordo etiam in corporibus ſanis, ægris, & neutris, & ſignis eodem modo ſeruandus eſſet. Hunc autem ordinem cauſarum non ex intenſione uel affectione

D accipi, ut uult Pluſquam Cõmentator, & alij Pluſq; Cõmentatorem ſequentes, ſed potius ex tempore & dignitate cauſarũ declarat Galenus ſtatim in principio libri tertij, ſcribens in hunc modum: Quoniã uero & harum cauſarũ ſcilicet, ſunt quædam ſalubres, quædam ægræ, quædam neutrę, primum de ſanis cauſis ſermo erit. Quoniam uero & harum ipſarum hæ quidem ſeruãtes, hæ efficientes ſunt, & tempore & dignitate priores ſeruãtes facientibus, à ſeruantibus incipiendũ. Quæ uerba exponẽs Pluſq; Cõmentator cõmento primo eiuſdem libri, ſic ait: Sunt autem cauſæ ſeruantes ſanitatem priores efficientibus eam, tempore & dignitate, quũ ſeruantes ſanitatẽ pertinentes ad ſanitatem, efficientes autem eam ſint pertinentes ad ægritudinem: ſanitatem priorem eſſe ægritudine tempore dubium non eſt, quum ſanitas ſit diſpoſitio quæ ſuperuenit ad naturã. De dignitate autẽ eius ſuper ægritudinem nihil ambigitur, quum hæc perficiens illa officiens uitæ ſit corporis qualitas. Adapta hæc eadem uerba Pluſquã Cõmentatoris corporibus ſanis, ægris, & neutris, & intelliges quare prius tractandũ ſit de corporibus ſanis quàm de ęgris, uel de neutris, & rationẽ prioris ac poſterioris tractatus non adeò ex medici intentione uel affectione, quantum ex tempore & dignitate, pendere. Quam rationem Galenus breuitati ſtudens libro primo tacuit, & ad tertiũ in tractatione de cauſis tangendam reſeruauit. In primo ſat habuit aſſignare cauſam cur de corporibus primum, deinde de ſignis, deinde de cauſis in ſuis libris eſſet tracturus. Quæ omnia inibi uidentur ad ordinem doctrinæ definitiuæ pertinere. Licet hoc nolit Pluſquã Cõmentator, qui Cõmento decimo libri ſecundi quærit, Cur quum Galenus innuat duplicem uiam in medicina, quarũ una eſt ex cauſis ad corpora, & ad ſigna, reliqua uero à ſignis ad corpora & cauſas, non procedat infra in declaratione partium definitionis aliqua illarũ uiarum: ſed incipit à corporibus, deinde tranſit ad ſigna, ultimo ad cauſas. Reſpondet autem quod nulla duarũ uiarũ quæ hic innuuntur, eſt uia docendi medicinã. Nam uia intentionis quæ à cauſis ſanis incipit, nõ eſt

A uía docendi medicinam. Nam medicus non debet conſeruare, uel curare, priuſq̃ doceat rem cõſeruandam, uel curandã. Nam conſeruatio, uel curatio, quæ à cauſis cõſeruantibus & efficientibus ſanitatem cõpletur, pendet ab illa, & diuerſificatur ſecundum diuerſitatẽ illius. Practica uero cuius eſt docere de his cauſis ſanis, licet tractatus de materijs earum ſit theoricus, nunquam præordinatur theoricæ, cuius eſt tractare de re cõſeruanda, uel curanda. Nos uero & quæſtionem & reſponſionem Pluſquam Cõmentatoris interimentes, dicimus, nõ eſſe Galenum, qui uiam innuat in doctrina definitiua à cauſis ad corpora & ſigna, ſed Herophilum qui definit medicinam eſſe ſcientiam cauſarum ſanarum, ægrarum, & neutrarum, ut antea probauimus ex Galeni autoritate, libro De hæreſibus, & ex libro, qui inſcribitur Introductorium medicinæ. Neq; etiam Galenus innuit ſecundũ uiam à ſignis ad corpora, & ad cauſas, ſed à corporibus quorũ cognitio habetur ex ſignis ad cauſas, & hanc proſequitur. Cur autem ſigna corporibus annexuerit, ſatis ſuprà declarauimus, ne ſæpius eadem repetamus. Via igitur quæ à corporibus inchoat ac ſignis, deinde agit de cauſis, eſt uia docendi medicinã in doctrina definitiua, ſeu ordine doctrinæ definitiuæ. Et ratio per quam probat Pluſquam Cõmentator, quod uia quæ à cauſis ſanis incipit, non eſt uia docendi medicinam, pro Galeno facit, qui uult à corporibus eſſe inchoandũ, quoniam hac uia procedemus in opere. Ad id autem quod Pluſq̃ Cõmentator obijcit, hanc etiam uiam non eſſe docendi uiam, quia operatio ſit circa ſingularia. Oportet autem quod ea quæ in ſcientia docentur in uniuerſali inueniri in homine, cognoſcãtur in hoc homine ſingulari, qui modo ſenſui ſubiacet, ut per hanc cognitionem dirigantur in opere circa ipſum. Fiet autem illa cognita nobis non aliter quàm per ea quæ primo nobis de illo ſingulari ſe

B ſenſui oſtendunt: Hæc autẽ ſunt ſigna & accidentia illis rebus, quarum quæritur in eo cognitio. Sed ſciẽtia primo habet ſupponere eſſentiã rei circa quam quærit, deinde inquirere quæ ſibi accidunt, ut ex his diſcernat paſſiones, quas de ſubiecto quærit. Demũ uero quum ſcientia fuerit ex operatiuis inquiretur de amotione, & cõſeruatione paſſionũ de ſubiecto. Adhuc autẽ medicina nõ eſt de cauſis & ſignis niſi propter corpora: Sicuti enim diximus, ipſa dicunt̃ ſana & ægra cũ quadam relatione ad corpus: ſed quod dicitur cum quadã relatione ad aliquid, non poteſt cognoſci, niſi cognoſcat̃ ad quod refertur. Ideoq; oportet quod ſcientia medicinæ ſecundũ quod eſt ſcientia doctrinalis, incipiat à corporibus tantũ. Hęc omnia Pluſq̃ Cõmentator ad literam: qui quatenus putat ſecũdum rectum doctrinę definitiuæ ordinem incipiendum eſſe à corporibus ſanis, & non à cauſis: Sanis rectè, & cum Galeno ſentit, qui in eo cum Herophilo conuenit, quod medicina ſit ſcientia ſanorum, ægrorum, & neutrorum. Differt autem ab eo, quoniam Herophilus uolebat principalius eſſe cauſarũ quàm corporum: Galenus cõtrà, corporum prius quàm cauſarum: Quoniam medicina ſit ſcientia operatiua: in opere autẽ cognitio corporum antecedit: Ideo ſecundum Galenum ordine ab opere accepto, incipiendum eſt à corporibus. Decipitur autem Pluſquam Cõmentator, exiſtimans ſecundum eundem Galenũ ordine ab opere accepto incipiendum eſſe à ſignis: & ideo negat uiam qua procedimus in opere, poſſe eſſe uiam doctrinæ. Cauſam deceptionis habuit ex uerbis illis Galeni: In actionibus uero prius quidem corporũ cognitio ex ſignis manifeſta eſt. Credidit enim quod illa dictio, ex, ſignificet ordinẽ procedendi, quod ſcilicet prius agendum ſit de ſignis, poſtea de corporibus, deinde de cauſis. Nos uero ſuperius rationem aſſignauimus, quare ordine doctrinæ à corporibus, tanq̃ nobis cognitione confuſa notioribus, uoluerit Galenus inchoare. Quia uero facta eſt mentio de ſignis corporum, quæ ſunt uel ſubſtantialiter inhærentia,

C

C uel neceſſariò cõſequentia,quæ ſunt effectus & caſus,quæ & accidentia uocamus proprie,ut Galenus inquit, circa initia ſecũdi libri. Libet hoc loco declarare quoſdam errores Pluſq; Cõmentatoris male uerba Galeni Cõmento ſecundo eiuſdem libri interpretantis. Neq; enim meum fuit ab initio propoſitum adeò cum medico ſophiſta certare,quem ſicuti paruus labor ſit uincere,ita exiguam laudem ex ea uictoria poſſem reportare,quàm cum illo,quem idem ſophiſta aduerſus me propugnare ſtuduit autore,ut amplam habeat ſophiſta materiam,ita in rebus medicinalibus,ſicuti in ſophiſticis,in quibus libentius uerſatur,ſuum ingeniũ exercendi. Exponens Pluſquam Cõmentator uerba illa Galeni, & ab his quæ hæc ſcilicet, ſubſtantialiter inhærentia, conſequuntur effectibus,& caſibus,quæ & accidentia uocamus proprie, per effectus uult intelligi operationes, & recte quidem,nam & in græco codice energion, id eſt, operationibus legit̃. Reliquũ uero ſuæ expoſitionis ridiculum eſt, & à uero Galeni ſenſu deerrans: qui tamẽ error habuit originẽ partim ex mala translatione, partim ex pauca aliorum librorum Galeni lectione, ut mox oſtendemus, Galenus ſiquidẽ ex Galeno eſt intelligẽdus. Cætera omnia ſunt nugæ,& falſæ latinorũ expoſitorum, qui Arabes in pleriſq; ſunt imitati, imaginationes. Reſiduum expoſitionis Pluſquam Cõmentatoris eſt iſtud: Sunt quoque & caſus ab illis definientibus coaccidẽdo cadentes,quę proprie uocamus eorum accidentia. Illa uero quæ proprie uocantur accidentia non accidunt definientibus,ſed corporibus ſemper ſanis,quorum ſigna ſcribit hoc loco Galenus. Neq; accidentia dicuntur à cadendo, ſed nolumus de Grammatica barbara cum Pluſquam Cõmentatore litigare, ne me barbarus ſophiſta accuſet, tanquam argumenta grãmaticalia in quæſtione medicinali fruſtra introducentem: quãuis ipſe Pluſq;

D Commentator in ſua expoſitione,huiuſcemodi rationibus ex regulis grammaticę acceptis,crebrius utatur: Veluti hoc in loco exponens illa uerba, quæ proprie uocamus accidentia,ait: Et uidetur quod relatiuũ, Quæ,non ſolum referat caſus,ſed caſus & effectus: ſi enim referri uellet caſus tantum,dixiſſet,Quos,propter quod ambo uocauit accidentia eorum. Ego uero puto,Quæ,referre caſus tantũ, & non operationes: quãuis clarior fuiſſet oratio ſi translator ſcripſiſſet, quos,& non quæ: Nam in græco codice legitur ſymptomata,quod nomẽ eſt neutri generis,loco cuius interpres poſuit caſus: Et ideo in lingua noſtra dicere debuit, Quos,ne dicendo,Quæ,in neutro genere ſuſpicari faceret, ut credidit Pluſquã Cõmentator,poſſe utrunq; referri,& ſymptomata ſiue caſus, & operationes. Nam quod Galenus alterum tantum,& nõ ambo uelit referri,declarat libro primo Artis curatiuæ, ubi ita ſcribit: Sicuti autem antea dicebatur, corporis cõſtitutio ad operationem cauſæ habet rationẽ: Quæ aũt ex neceſſitate cõſequuntur ad cõſtitutiones per quas operamur,ſanis quidẽ nobis exiſtentibus accidentia, ægrotãtibus uero ſymptomata, id eſt,caſus, appellantur. Et quatuor ſunt hæc genera omniũ quæ corpori inſunt, ſiue ſecundũ naturam, ſiue præter naturã nos ſimus affecti, operationes corporũ, conſtitutiones,antecedentia, & conſequentia. Ex his paucis Galeni uerbis multa poſſumus intelligere,de quibus Pluſquam Cõmentator in ſua expoſitione dubitauit, & non animaduertens uerum Galeni ſenſum, male eius uerba exponendo deprauauit. Neq; enim uerba illa quæ & accidẽtia uocamus,proprie talem habent intellectum,qualem eis tribuit Pluſquam Commentator. Quaſi uoluerit Galenus dicere,ſignorũ quædam eſſe ſubſtantialia,quędã accidentalia. Imò ſi illud relatiuũ, Quæ,referret tam operationes quàm caſus,ut uult Pluſquã Cõmentator, non ſolum Galenus rationi, ſed etiam ſibi contradiceret, qui libro allegato primo ſcilicet Artis curatiuæ, ſymptomata ab accidentibus diſtinguit, ac ſeparat ea ratione, qua

accidentia

A accidentia inſunt corporibus ſanis: ſymptomata uero ſiue caſus, ægrotātibus. Ter
tio uero libro De differentijs ſymptomatū idem Galenus ait, paſſionem à ſympto
mate differre in hoc, quia paſſio aliquando eſt ſecūdum naturam, ſymptomata au-
tem ſemper cōtra naturam. Quare quū hoc loco, ſecundo ſcilicet Artis paruæ, ubi
de ſignis corporū optime ſanorū uerba faciebat, quibus omnia inſunt ſecundū na-
turam, quum dixiſſet eorū cognitiones fieri ab operationibus & ſymptomatibus,
quaſi corrigens ſeipſum, qui minus proprie locutus eſſet, ſtatim ſubiecit: Quæ ſci
licet ſymptomata proprie uocamus accidētia, quum de corporibus perfecte ſanis
ſermo habeatur, quibus proprie accidentia competunt, & non ſymptomata, quæ
ſunt ægrorū propria. Operationes uero in eiſdem corporibus ſanis, neq; proprie
accidentia nominantur: imò magis attinent ad illa, quæ inſunt eis ſecundū ſubſtan
tiæ rationē: quoniā corpus perfecte ſanū aliquando definientes, dicimus eſſe illud
quod habet operationes perfecte ſanas, ſicuti & ægrū quod habet operationes læ
ſas. Quocirca Pluſquam Commentator lib. tertio, Cōmento trigeſimotertio, in-
quiens, ex Galeni autoritate tertia particula De morbis, quod definitio ægritudi-
nis eſt cōpoſitio, uel diſpoſitio prẹter naturā principaliter lẹdens operationes, fate
ri cogit̄ etiam definitionē ſanitatis eſſe cōpoſitionem, uel diſpoſitionē ſanas æden-
tem operationes: & ſi altera eſt uera definitio, hanc quoq; eſſe ueram definitionē.
Hoc aūt ideo addidi, quia ipſemet Pluſq; Cōmentator ueluti animaduertens ſua-
rum expoſitionū cōtrarietatem, qui ait operationes corporū ſanorū proprie acci-
dentia nominari, quæ tamen faciūt ad definitionē ſanitatis, & cōſequenter corpo-
ris ſani, uidetur innuere lib. ſecundo, Cōmento ſecūdo, quod talis definitio ſanita-
tis, uel corporum ſanorū quam complent operationes, eſſe accidentalem potius q̄
B ſubſtantialem. Atqui Galenus lib. tertio ſuprà allegato, & pariter Pluſquā Com-
mentator cōcorditer aſſerunt, hanc quoq; eſſe ſubſtantialem: Galenus quidem ma
nifeſte ſecundū translationem Nicolai Leoniceni, qui corrigit alias translationes,
tanquā Galeni dogmatibus, uel recte loquendi rationi repugnātes, ut in eius prẹ-
fatione ad librū Artis medicinalis uidere licet. Translatio quam dixi, ita ſe habet:
Facta uero ægritudo remouebit̄, diſpoſitione ſoluta quæ principaliter lædit ope-
rationes, quam & ipſam dicimus eſſe ſubſtantiā ægritudinis. Auicenna quoq; pri-
mo Canonis idem nobis inſinuat, ita definiens ægritudinem: Aegritudo eſt diſpo-
ſitio ex qua prouenit nocumentū in operatione prouentu primo. Quare & defini
tio ſanitatis oppoſita, quam ſuprà diximus, uera erit & ſubſtantialis definitio. Pluſ-
quam Cōmentator etiam nō ſolum libro tertio, atq; Cōmento ſecundo hoc ipſum
uidetur aſſeuerare, adducens uerba Galeni, ex libro Galeni De accidente ac mor
bo, ita definientis ſanitatē: Sanitas eſt cōpoſitio ſecundū naturam perficiens actio-
nes. Ex qua uult haberi, quod pariter corpus ſanum ita ſit definiendū, quod ſit tem
peratum in cōſimilibus & organicis temperamento perficiente operationes. Sed
nō cōtentus autoritate, iſtud idem conatur ratione cōfirmare, ita ſcribens: Adhuc
autē temperamentū relatiue dicetur ad aliquid, & non eſt niſi in relatione: ad opus
igitur opus debet cadere in definitione temperati: ſicuti unum relatiuorum in defi
nitione alterius. Hanc tamē rationem uolens infringere, ut ſuam ſeruet expoſitio
nem, qua uult uerba Galeni, quæ & accidentia uocamus proprie, etiam operatio-
nibus adaptari: & eſſe ſigna accidentalia, & non ſubſtantialia, & cōſequenter defi-
nitionem corporis temperati ex operationibus aſſignatam nō eſſe ſubſtantialem,
ſed accidentalem: Vt inquam propriam infringat rationem Pluſquam Commen-
tator, ſubiūgit hæc uerba: Niſi eſſet quod opus nullo modo eſt de eſſe ſanitatis, uel
ſani: non enim eſt de conditione ſani, quod ſemper & continuò quando eſt ſanum

Accidentia ſanis, ſymptomata ægris propria.

Sanitas.

C ſit operans,ſed aptum operari.Stomachũ(ut inquit)contingit eſſe ſanum quando non digerit:& inteſtina quando non expellunt:& oculum quando non uidet. Eſt enim ſanitas habitus quo membrum agere poteſt; Opus ergo non eſt de eſſentia ſani corporis in quantũ ſanum,neq; de eſſentia ſanitatis. Vnde Ariſtoteles quum definit ſanitatẽ non dixit,niſi quod eſt temperamentũ calidorũ,humidorũ & frigidorum.Sicq; ſi dicatur, quod ſanitas eſt compoſitio ſecundũ naturã faciens actiones,oportet intelligere apta nata facere.Ex his poſtremis uerbis uidetͬ mihi Pluſq̃ Commentator ſoluere argumentũ,quo probat definitionẽ ſanitatis per operationes aſſignatam non eſſe ſubſtantialem. Siquidem & Galenus ipſe circa initia libri primi de differentijs morborũ, qui inſcribitur de Accidenti & morbo apud Latinos,huic eidem obiectioni,quæ fieri poſſet cõtra definitionem inibi à ſe traditam, quæ dicit ſanitatẽ eſſe diſpoſitionem per quã inculpabiliter operamur ea quę ſunt in uita neceſſaria, quia nõ ſemper operamur, reſpondet, quod eſſe ſanum non eſt operari,ſed poſſe operari.Neq; aliter Ariſtotelis expoſitores definitionem animæ libro ſecundo à Philoſopho datam,quæ talis eſt:Anima eſt actus primus corporis phyſici,organici: probant eſſe bonam & ſubſtantialem, licet nõ ſemper ſit in actu ſecundo. Vnde *Themiſtius redarguit illos qui nitebantur* probare animã non eſſe actum,*quoniam ſi eſſet actus*,animalia nunquã dormirent,neſcientes diſtinguere *inter actum primũ* & ſecundũ. Verba Themiſtij ſunt hæc in paraphraſi libri ſecundi *cap.* quarto:Forma dupliciter ſolet intelligi:nam aut ita ut ſcientiæ agitatio,commentatioq;,ſcientia habitus eſt,agitatio & cõſideratio actus.Eadem diſtributio in anima inueniri poteſt: ſomnus uti habitus animæ eſt,uigilia uti actus. Neque hoc dico, ut ex eo accipi uelim uniuerſam animæ uim, functioneſq; eius omnes in ſo-

D mno feriari,aut ceſſare,atq; ita habitũ ſolũ relinqui, quũ ſaltem apertũ ſit,quũ quis dormit,uim illam altricẽ nõ eſſe cõſopitam.Illud dico,ut intelligamus multas animæ uires,quæ dormientibus nobis tanq; oſcitent, ocienturq;,nihil agant aut exerceant,qualis eſt ſenſibilis,& ea quę delegata inceſſui eſt.Erit igitur anima corporis uiui partim prima partim ſecunda perfectio. Sanè in homine prior ſcientia conſideratione meditationeq; eſt, quia recipit ſcientiam Socrates antequ meditetur aut conſideret.Quamobrem mirari non ſatis poſſum eorũ prudentiã,qui dicunt periculum eſſe animãtibus ne dormiant,ſi anima actus ſit:quaſi hallucinentur,nec intelligant quæ ab Ariſtotele hoc loco perſpicue & dilucide dicantur. Ex eo inquit quod anima ineſt nobis,uigilia ſomnuſq; accidit.Illud quæſtiõe dignius eſt,quod definitio hæc uim nutricem non uidetur agnoſcere, ſi primũ actũ perfectionemq; animam dicas, ſed ſoluitur habitus ab actu & miniſterio,in ui nutriente non ſoluitur:nam ibi habitũ eſſe neceſſe eſt ubi ſit actus, idq; in Phyſicis, quæ natura duce, nulla ratione extrinſecus adhibita,nulla doctrina,proueniunt.Non ſic econtrario ubi ſit habitus,ibi quoq; ſit actus. Quo fit,ut qui animam prima perfectione deſcribit,omnes animæ poteſtates uideatur eſſe amplexus.Ita in ſomno cęteris uiribus, ſolus permanet & relinquitͬ habitus: At eius qua alimur cũ habitu agitatio quoq; & exercitium iungitur. Hæc uerba Themiſtij dupliciter deſtruunt obiectionem Pluſquã Cõmentatoris:Et quia probant definitiões in quibus aſſumitur actus ueras eſſe,non ſolum pro actu ſecundo,ſed etiam pro primo, qui dicitur habitus uel potentia: Et quia declarant in anima nutritiua habitũ ab actu etiam ſecundo non diſtingui,quoniam ſit in cõtinuo exercitio. Sed quoniam uerba Themiſtij nimiũ aſſurgentia fortè Sophiſta non intelligit, adducã alias ſub alijs uerbis, quæ aures Sophiſtæ non reſpuunt,idem quod Themiſtius de anima nutritiua, aſſerentes autoritates. Ariſtoteles libro De morte & uita: Anima nutritiua ſemper eſt operãs,

& ideo

A & ideo eius ceſſatio ab actione mors eſt. Auerrois libro Deſtructionis deſtructio num: Nullus eſt auſus negare quod in animaliũ corporibus ſunt naturales uirtutes cõuertentes cibaria ad ſimilem ſubſtantiã nutrito, et ex regimine uocatᷣ animal uiuum, & ceſſante iſta uirtute, de eo dicitur mortuum, ut notum eſt ſenſui. Tritum eſt illud dictũ, nos tandiu uiuere quandiu nutrimur. Si uero Sophiſta pro Pluſq; Cõmentatore reſpõdeat: Et ſi ſtomachus & inteſtina ſemper agant aliquod opus uirtutis nutritiuæ, non tamen hæc ſemper expellunt: ille digerit, hoc nõ ſatisfacit. Sufficit enim quod membrũ naturale ſecundũ aliquam potentiã uirtutis nutritiuę ſemper operetᷣ. Præterea quãdo uirtus digeſtiua ceſſat in ſtomacho, tunc in hepate operatur. Et rurſus quũ in hoc deſiſtit ab opere, in membris alijs ſuum munus exequitur illorũ ſeruiens nutritioni, adeò quod hęc uis digeſtiua nullo tempore in corpore animalis ociatᷣ, ut bene Galenus noſter declarat lib. ſecũdo De uirtutibus naturalibus. Et hoc etiam uoluit Themiſtius inſinuare in dicta paraphraſi inquiẽs, nullam uim altricẽ in ſomno eſſe cõſopitam. Idcirco Alexãder in problemate quo quærit: Quare uirtutes naturales ſunt innatæ mẽbris, animales aũt aliũde influentes. Reſpondet, quia hæ in ſomno feriantur, illæ nunq; deſiſtunt ab opere. Laudat autem Pluſquã Cõmentator definitionẽ ſanitatis, quam dicit eſſe Ariſtotelis, quæ talis eſt: Sanitas eſt temperamentũ calidi, frigidi, humidi, & ſicci. Verũ ex hac ipſa definitione incidit in id, quod maxime cupit euitare, nolens opus ſanũ eſſe de eſſentia ſani corporis in quantũ ſanũ, nec de eſſentia ſanitatis. Sanitas enim ſi eſt temperies calidi & frigidi, nihil aliud eſt niſi calor & frigus temperati. Omne autẽ temperatum per relationẽ ad aliquod aliud dicitur temperatũ: ſanitas ergo relatiue ſe habebit, ſed nõ niſi ad operationes, igitur in definitione ſanitatis eſſentialis eſt operatio, ſicuti unum relatiuũ eſt in definitione eſſentiali alterius. Quod autem de ſanitate probatur, etiam de corpore ſano probari eſt intelligendũ: & uiciſſim quod de corpore ſano, pariter de ſanitate. Galenus ſiquidem in primo De differentijs morborum ex definitione corporis ſani, cõcludit definitionem ſanitatis. Eſt autem definitio corporis ſani ibi tradita, hominẽ tunc eſſe ſanum, quando exercet, uel poteſt exercere inculpabiliter operationes neceſſarias ad uitam. Licet translatio arabica aliter habeat. Dico igitur, unuſquiſq; dicit ſe eſſe ſanum, dum ſolitas præter ullum impedimentũ faciat actiones. Cuius translationis errorẽ ſecutus Pluſquã Cõmentator libro primo Commentationis duodecimo capite, de ægro ſimpliciter ſcribere non dubitauit, rem à Galeni ſententia penitus alienã, nõ poſſe naſci quempiam ægrum ut nunc, id eſt, habentẽ operationes ſenſibiliter læſas, propter quarum læſionem nõ poteſt quiſpiã agere ea, quæ ſunt in uita humana neceſſaria: hæc enim eſt uera definitio corporis ægri nunc à Galeno in pluribus locis aſſignata, quæ nõ expedit in mediũ afferre, ne in re ſatis manifeſta multis allegationibus cõprobanda diſpendiũ tẽporis faciamus. Quod ſi à medico Sophiſta Pluſq; Cõmentatoris patrono, quæratur de corpore nato leproſo, uel cæco, uel claudo, ſeu quouis modo deformato, an ſit æger nunc, an ſanus nunc: Si uult ſui doctoris placitis inhærere, cogetur reſpondere, eſſe ſanum nunc, uel ſanum ut nunc, ut more aliorũ loquamur. Eſt enim tale corpus uel ægrum ſimpliciter, uel neutrum ſecũdũ ſignificati, ut uult Pluſquam Cõmentator: Aegrum autem ſimpliciter & neutrũ ſimpliciter ſecundum eundem Pluſquam Cõmentatorem eſt ſanum ut nunc. Hanc autem eſſe Pluſquam Cõmentatoris opinionem, patet ex his quæ ab ipſo ſcribũtur libro primo, & Cõmento decimoſexto, ſuprà allegatis in hunc modũ: Quoniam uero nos iudicamus ægritudinẽ ut nunc, ægritudinem præter naturam: nam ægritudo quæ eſt à generatione ſiue natura, in plus eſt q; ut nunc, quum inſit ut habitus ſemper

C comitans: ſequitur ex hoc quod nullum corpus poſſit eſſe ægrum ut nunc, à generatione, ſiue natura: corpus aūt cæci, aut claudi orti, uel eius cōſimile non diceretur ægrum ut nunc, ſed potius neutrū ſimpliciter in ſecūdo ſignificato, reliqua habendo ſana: Imò habendo multum diſtemperata, uel multū inæqualia non ſolum oculum uel pedem, ſed etiam omnia membra, aut pleraq;, aut maxime dominantia, dicetur ſemper ægrū, ut in ſequentibus patebit, & nullo modo ægrum ut nunc. Nec equidem dicitur habere ſenſibilem læſionē in operationibus ille qui natus eſt cæcus, aut claudus, aut in quibuſcunq; alijs membris deficiens, quū operationes illorum membrorū non habuerit aliter à natura, quādo ſcilicet cōparatur ſibijpſi, ſed quando comparatur optime ſano. Videat ergo medicus Sophiſta quid oporteat ipſum concedere, ſi non uult à ſuo autore deficere: hoc ſcilicet, quod & ſenſus ipſe redarguit, & omniū hominū opinio refutat: hominem ab ortu naturæ cæcum, aut claudum eſſe ſanum ut nunc, & non habere operationes ſenſibiliter læſas. Cui errori, & quidem maximo, occaſionem tribuit, ut antea dixi, mala translatio libri De accidenti & morbo. Ex ea enim accipit Pluſquam Cōmentator ſuæ poſitionis argumentū: Poſitionem autem hoc loco capio in eo ſignificato, in quo Ariſtoteles capit in Topicis, quum eam *definit, eſſe alicuius nomine celebris uiri in philoſophia opinionem à communi aliorum ſapientum ſententia* abhorrentem. Et in primo libro *Moraliū, ubi ait,* quod nemo diceret niſi poſitionē cuſtodiens. De hoc poſitionis *ſignificato* Sophiſtam cenſui admonendū, ut ſciat ſe poſitionem tueri, ſi uo*luerit* hanc Pluſquam Cōmentatoris opinionē defendere, quæ falſæ innititur defi*nitioni* ſanitatis, uel corporis ſani, quæ habetur in libro dicto De accidenti & morbo per hæc uerba: Dico ergo quod unuſquiſq; dicit ſe eſſe ſanū dum ſolitas præter

D ullum impedimentum faciat actiones. Ex hac enim definitione, ut dixi, ſuam probat Pluſquā Cōmentator poſitionem, Cōmento paulò ante dicto, inquiens, illum qui natus eſt cæcus aut claudus non habere operationes ſenſibiliter læſas, quum eas nō habuerit aliter à natura. At ſi ueram ſequamur Galeni in eodem loco definitionem, cæcus & claudus à natiuitate erit æger ut nunc, & non ſanus, quia non poterit agere ea quæ ſunt ad uitam humanā tuendam neceſſaria. Natus etiam leproſus continuò ægrotat, & eſt æger ut nunc, & ideo habet operationes ſenſibiliter læſas: quod nō ſolum ex uera Galeni definitione probatur, ſed etiam ex uerbis Pluſquam Cōmentatoris exponētis uerba Galeni, in quibus diſtinguit corpora ægra ut nunc, à corporibus ſanis per ſenſibiles læſiones operationum. In eo autem loco, ſcilicet libro ſecūdo, Cōmento ſeptimo, ait Pluſquam Commentator Galenū uelle per operationes conuerſationes humanas, quales ſunt militare & uenari, & ſecundum quæcunq; artium. Tales autem homines cum lepra natos, leges humanæ ab aliorum hominum conuerſationibus arcent: Quare neq; ſimul uenari, neq; militare, neq; alias artes unà cum alijs exercere, neq; etiam per ſeipſos à tam graui morbo peſſime habiti, poſſunt. Quia tamē medicus Sophiſta in ſua quæſtione fingit ſæpius amicitiam erga me more canis, qui blanditur lepori intempeſtiua beneuolentia, & dicit uelle docere me fortius, quàm ex doctrinale, ex Galeni uidelicet autoritate, contra Pluſquā Cōmentatorem argumentari: Volo ego uiciſſim ipſum pari munere remunerare ex eodem Galeno, docens quomodo poſſit pro Pluſq; Cōmentatore reſpondere ad id quod obiecimus, eum ductū falſæ errore translationis in alterū errorem incidiſſe, ut diceret, neminem poſſe naſci ægrum ut nunc, quia qualiſcunq; natus, ſiue claudus, ſiue cæcus, ſiue leproſus ſolitas poteſt exercere operationes: qui autem hoc poteſt, nondū ægrotus eſt, ſed uel neuter, uel ſanus ut nunc: hoc ipſum Galeno teſtante, lib. ſecūdo, textu Cōmenti nonageſimiſexti,

ubi

A ubi ita ſcribit: Torſio uero in uentre, aut ſecundum ſtomachum, aut ſecundum aliquod inteſtinorum, aut in egeſtionibus, aut in his quæ euomuntur, aut mingũtur, aut aliquis mediocris dolor, de genere eſt eorũ quæ præter naturam, nondũ uero ægrotare ita habentes, dicuntur: Quemadmodũ neq; grauati caput, aut dolentes, aut uigilantes, quando nondum propter hæc ad cõſuetas operationes impediuntur: & terminus ægritudinis eſt iſte in talibus diſcretiuus. Ex his Galeni uerbis colligitur hominẽ eſſe ſanũ, qui ad cõſuetas operationes non impeditur: & eſſe ægrotum illum, qui ad cõſuetas operationes impeditur. Quæ uerba non diſcrepant ab illis quæ dicũt, quemlibet eſſe ſanum dum ſolitas præter ullum impedimentũ facit actiones: Et illum ægrotum, qui ſolitas impeditus non facit: quem nos dicebamus eſſe arabicæ translationis errorem, quem ſecutus Pluſquam Cõmentator in multo maiores errores incidiſſet. Vereor tamen ne iſta reſponſio non ſit ſophiſtæ ſufficiens ad ſuum Pluſq; Cõmentatorem protegendũ. Poteſt enim quiſpiam rurſus obijcere, aliter Galenũ de ſano & ægro lib. primo De accidenti loqui, aliter in hoc loco libri ſecũdi Artis paruæ, ubi docet ſigna futuræ ægritudinis, ibi enim de ſanitate & ægritudine indifferẽter agit, tam de illis quæ cõgenitæ ſunt, quàm de alijs, quæ poſt natiuitatẽ adueniũt. Quare ægritudo cõgenita non habet neutralitatem antecedentẽ, neq; futura eſt ut ea de qua hic loquitur, ſed ſemper adeſt, & cõtinuò corpus ægrotũ denominat, ſicuti lepra & cæcitas ab ortu naturæ cõtractæ. Quare nõ eſt mirũ ſi definitiones uariãt, & illa, quã Galenus ponit lib. primo De differentijs morborũ, qui De accidenti apud nos inſcribiẽ, & altera quam lib. ſecũdo Artis paruæ, quale ſit corpus ægrotũ notificantes. Ego tamen quo potui munere Sophiſtam remuneraui, cui ſi mea reſponſio propter obiectionẽ ſubiectã uideẽ inualida,
B ſtudeat ipſe pro ſui ingenij acumine ipſam alijs rationibus corroborare. Quod & ego in argumẽtis, quæ me Sophiſta docuit, mala tamẽ mẽte & malo animo, qui poſtea eadẽ ſtuduit infirmare, facturus ſum. Nam nõnulla ex eis quæ uoluit ſoluere, & nõ potuit, ego eſſe inſolubilia ſuo loco ſum demõſtraturus, ut tandẽ eum pœniteat ſe ſuo mucrone iugulaſſe. Sed redeo ad Pluſq; Cõmentatorem, quẽ probare intendebam ob malum intellectũ illorũ uerborũ Galeni, quæ accidentia uocamus proprie, in plures alios errores incidiſſe. Nam in quo libro ſe Galeni expoſitorem profitetẽ, à uera huius autoris ſententia nõ parũ aberrat: Vt quum ait, Accidens in medicina cõmuniter dici quicquid comitatur ſanitatẽ & ægritudinẽ, quod in effectus & caſus hic generaliter diuiditur. Proprie autẽ hic dicimus accidens quicquid præter naturam accidit corpori: hoc autẽ diſtinguitur in cauſam & morbũ, & comitans morbũ. Magis autẽ proprie dicimus accidẽs, quod cõſequitur morbũ, ſicuti umbra corpus: Hoc aut eſt operatio læſa, quæ dicitur effectus ægritudinis, ſicuti operatio perfecta ſanitatis: aut eſt exiens à corpore mutatũ, uel qualitas corporis immutata, quæ dicũtur caſus, quaſi cadentes ab ægritudine mediante læſione operationis, ſicuti ſecundũ naturam ſe habentia cadũt à ſanitate mediante perfectione operationũ. Hæc omnia ad literam Pluſq; Cõmentator libro ſecundo, textu Commenti ſecũdi: Quæ tamen, ut dixi, à ſenſu Galeni hoc in loco ſunt longe aliena: neque enim intentio fuit huius autoris quum dixit, cognitiones ſignorum corporũ perfecte ſanorum fieri ab inhærentibus ſecundum ſubſtantiæ rationem, & ab his qui ex neceſſitate hæc conſequuntur effectibus, & caſibus, quæ accidentia uocamus, proprie diuidere quicquid de neceſſitate comitatur ſanitatem & ægritudinẽ, cõmuniter accidens nominatũ in operationes & caſus: ſed quicquid ſequitur optimam ſanitatẽ, uel ei ſubſtantialiter inhęrentia in duo partiri, ſcilicet in operationes inculpabiliter ſanas, et in ea, quę nõ ſymptomata ſiue caſus, ſed proprie accidentia

C nominanť. Nam,ut inquit Galenus libro primo Artis curatiuæ, quem etiam ante
citaui,ea quæ ex neceſſitate cōſequunturad corporū conſtitutiones,per quas ope
ramur,ſanis quidē nobis exiſtentibus accidentia,ęgrotantibus uero ſymptomata,
id eſt,caſus appellanť:Ita quod in corporibus ſanis differūt ſanė operationes ab ac
cidentibus:in ægrotātibus uero operationes læſæ & ipſæ inter ſymptomata nume
rantur. Quare Galen.in ſex libris, quibus titulus eſt De accidenti & morbo, me=
lius'autē inſcriberenť de ſymptomatibus ſeu caſibus, & morbis, omnia quæ præ=
ter naturā exiſtentia in corpore humano cōſiderantur,reduxit ad tripartitam diui
ſionem cauſarū,morborū et ſymptomatū,ſiue caſuū:quare falſa eſt expoſitio Pluſ=
quam Cōmentatoris, Iacobi,& aliorū qui eandem barbariem ſequuntur,dicentes
ideo caſus appellari,quia ab operationibus cadūt. Siquidē in corporibus ægris ca
ſus proprie dicūtur,& ipſæmet operationes læſæ ſunt caſus,quæ non cadunt à ſe=
ipſis.In corporibus autē ſanis apud Galenū rerum ſecundū naturā, quæ principa
liter à medico conſiderantur,diuiſio eſt quadripartita,in cauſas ſanas, in conſtitu=
tiones corporū ſanas,operationes ſanas,& his accidentia:ideo autē operationes di
ſtinguūtur ab accidentibus, ſicuti etiam antea tetigi, quia accidentia non faciūt ad
definitionē ſanitatis,ſicuti neq; mediocritas qualitatū tactiliū, ueluti mollitiei & du
ritiei,neq; bonitas coloris, & alia ſimilia. Vel ſi adhibentur ad definitionē,eſt defi=
nitio accidentalis. Secus eſt de operationibus perfectis,quæ à ſanitate proueniūt.
Nam quū ſanitas,ſiue bona cōſtitutio corporis expetatur propter bonas operatio
nes, finis autē ſit cauſa cauſarum:uidetur quod definitio ſanitatis aſſumpta ab ope
rationibus ſit maxime eſſentialis & nō accidentalis, ut uideť uelle probare Pluſq;
Cōmentator, Cōmento ſecūdo,ſecundi libri. Ait autē Pluſq; Cōmentator in eo=
D dem Cōmento, uolens declarare quomodo ſe habeat ſignū ad accidens in medici
na,ait inquam,quod nō omne ſignū eſt accidens, quia uno modo nō ſanū ſubſtan
tiale,neq; ægrum ſubſtantiale,quę quidē ingrediūtur in definitionem rei,quorum
ſunt ſignum, licet dici poſſint accidentia primo modo quo ad logicum: alio modo
non, quum medicus proprie uocet accidens morbum, cauſam,& comitans mor=
bum.Hæc Pluſq; Cōmentator:qui ſi uelit ſeruare proprietatē uocandi res præter
naturam,& ſecundū naturam,quam innuit hoc in loco Galenus,quum dicit:Quæ
proprie accidentia nominantur:Et quam manifeſte declarat libro primo Artis cu
ratiuæ,rem præter naturam, quæ diuiditur in morbum, cauſam,& comitans mor
bum:non uocabit accidens, ſed ſymptoma,ſiue caſum:& rem ſecūdum naturam,
quæ comitatur ſanitatem,uocabit accidens. Cuius appellationis contrariū ex Ga=
leni ſententia aſſerit Pluſquam Commētator. Nam quum medicū dicit ita uocare
per antonomaſiam, debemus intelligere Galenum,cui etiam Auicenna ceſſit me
dicinæ principatū: Licet noſtræ ætatis medici, neſcio quo iudicij errore perducti,
illum Auicennę tribuerint.Hæc autē de caſu & accidente,& operationibus diſpu
tatio contra Pluſquā Cōmentatorem, etſi uideatur eſſe de nominibus, ut fortè So
phiſta obijciet,tamen in ea de re ipſa cōtentio eſt,an definitio ſanitatis & ægritudi
nis quam complent operationes, ſit eſſentialis, uel accidentalis: An ſignum ſum=
ptum ex operationibus ſit ex his quæ accidentaliter inhærent, an alio modo eſſen
tiali,ſcilicet medio inter eſſentialē & accidentalē. Nam ſi relatiuū,quæ, in illis Ga=
leni uerbis,quæ accidentia uocamus,proprie referat operatiōes ſimul cū caſibus,
ut uult expoſitio Pluſquam Cōmentatoris,licet hoc non ſit ex lege grāmaticæ ne=
ceſſarium,definitio ex operationibus aſſignata erit accidentalis, cuius oppoſitū ex
Galeni ſententia nos conati fuimus demonſtrare.Quia tamen Sophiſta non ſemel
ſed ſæpius in ſua quæſtione ea uſus eſt in me liberalitate, ut uoluerit etiam docere
rationes

A rationes,quibus poſſem Pluſquam Cõmentatoris opinionem redarguere. Volo cum ipſo ſimili munificẽtia certare, & uiciſſim aperire uiã, qua ualeat etiam in hac expoſitione Pluſquam Cõmentatorem propugnare.Ita dicendo: Illa nõ eſt definitio bona & perfecta cui oportet aliquid addi,ſi debeat ſortiri ueritatẽ: Sed talis eſt definitio ægritudinis, quæ ex operationibus accipitur, ut illa primo Canonis Auicennæ:Aegritudo eſt diſpoſitio,ex qua prouenit nocumentum in operationibus prouentu primo. Huic enim oportet adiungi ſecundum Iacobum Forliuienſem, & alios Auicennæ expoſitores,niſi pendeat à cauſa primitiua in eſſe & cõſeruari. Quod autem de ægritudinis definitione obijcitur,poteſt etiam de definitione ſanitatis opponi,ut diligentius conſideranti patet.Poteſt enim ſtomachus facere opus ſanum, ſcilicet bonam cibi coctionẽ, cauſa extrinſeca ei appoſita calorẽ naturalem adiuuante,uel cerato ſtomachico,uel aliquo alio adiutorio,& tamen nõ erit ſanus: Sicut uinctus cõpedibus non poteſt ambulare,quãuis nõ ſit æger. Verũ hæc obiectio nõ magis damnat Auicennã, qui imperfectã tradidit ægritudinis definitionẽ, ꝙ etiam Galenũ multis in locis,& præcipue libro tertio Artis paruæ,quem etiã ſuprà allegauimus,nõ aliter ægritudinẽ definientem: eſt enim & ſecundũ eum inibi ægritudo,diſpoſitio quæ principaliter lædit operationes. Sed pro Galeno poſſumus,& Auicẽna eius interprete,faciliter reſpondere,fruſtra tali ęgritudinis definitioni ad ſuplementũ adiũgi à Iacobo & alijs uerba illa,niſi pẽdeat à cauſa primitiua, hęc enim in uocabulo,diſpoſitio,includunt.Nam ſi malum aliquod à cauſa primitiua pẽderet,& haberet eſſe in fieri,nõ in facto eſſe,tũc nõ eſſet diſpoſitio,ſed paſſio, qualis eſt hominis,qui in uinculis detinetꝰ,q ſtatim amotis uinculis poteſt & ambulare, & alia opera ſani hominis exercere. Et ideo non debet ægritudo uocari,quia

B neq; diſpoſitio eſt. Hanc aũt differentiã inter diſpoſitionẽ & paſſionẽ, quarũ altera ſit,altera facta eſt,pluribus in locis Galenus inſinuat, ſed præcipue lib. primo Artis curatiuę,& tertio De accidẽti & morbo,& in libro De cauſis contentiuis,id eſt, cõiunctis,in quo probat nõ eſſe cauſas cõiunctas ægritudinũ,quia ſunt diſpoſitiones,ſeu res permanentes,cum ablatione cauſarũ non auferũtur.Cauſæ autẽ cõiunctæ ita definiuntur, quod illis poſitis,ponitur ægritudo,& illis remotis,remouetur ægritudo:quare recte Galenus & ſuo dogmati conſentanee libro tertio Artis paruæ,ubi docet curare febrem putridã, ſcripſit hæc uerba: Secundũ eundem modũ in tribus alijs dyſcraſijs hoc cõmune habentes præceptũ,cauſam efficientẽ unamquanq; earũ abſcindere,deinde uenire ad illam,quę facta eſt ab ipſa,ægritudinem: Si uero febris putrida haberet cauſam coniunctam,ea abſciſſa, abſcinderetur ægritudo,& non eſſet neceſſarium ad iam factæ ægritudinis uenire curationem. Hoc eſſe Galeni dogma, quod uidelicet febris putrida,& aliæ ægritudines nõ habeant cauſam coniunctam, ſed ipſæmet ſunt cauſæ coniunctæ læſarum operationũ, ſi ſciuiſſet Pluſquã Commentator, nõ adeò laboraſſet Cõmento quadrageſimoprimo eiuſdem libri tertij, ubi ſcribũtur uerba ſupradicta,in declarando quomodo ablatio cauſæ efficientis aliquando per accidens eſt cura partis factæ in febre putrida, eo quod corpus per ſeipſum impedimento ſubtracto, redit ad naturã ſuam, ſicuti aqua calida quum remotus fuerit ab ea ignis calefaciens,refrigeſcit paulatim. Aliquando autẽ nõ ſufficit,maxime quando manſiua facta fuerit.Hæc Pluſꝙ Cõmentator ad literam.Putat autem Galenus poſt abſciſſionẽ cauſæ efficientis febrem putridam,remanere calorẽ febrilẽ accẽſum in humoribus cordis,& toti corpori communicatũ:atq; ideo ſecurius eſſe eum ꝙ primũ per infrigidantia extinguere.Tale enim præceptũ pariter Galenus tradit libro xi. Artis curatiuæ, ubi docet eũdem ſeruari ordinem in curanda febre putrida, quem etiam in Arte parua,in hunc mo

C dum inibi ſcribens: Tentandum uero in hoc tempore uirtutem roborare, ut digerat humores, uincens putredinem: quod autem febris iam factum eſt, infrigidandum. Vltima uero auxiliorũ ordine intentio, quæ ab hac nimirum ſecũdum alium modum exiſtens, prima ex ea denique incepit, & auxiliorũ inuentiua methodus. Ecce quomodo hoc loco Galenus ait, quod ultima intentio in ordine auxiliorum eſt, remouere febrem per infrigidantia poſt remotionem putredinis ſcilicet cauſæ febris, factam ex calore naturali alterãte, & digerente humores putridos: Et quod quamuis prima intentio medici fuerit remouere febrem per infrigidantia, tamẽ in opere eſt ultimũ quod ab eo fit regulariter operãdo. Si autem putredo eſſet cauſa cõiuncta febris putridæ (ut uidetur ſentire Auicenna aliter ſcilicet quàm Galenus, cuius tamẽ ſe fatetur interpretem, tunc ultima operatio medici ſcilicet infrigidatio eſſet ſuperuacua: Nam ut ex definitione cauſæ coniunctæ manifeſtũ eſt, quã etiam Commento trigeſimotertio libri tertij ex Ioannitij autoritate cõprobat Pluſquam Commentator, ſola remotio cauſæ cõiunctæ ſufficit ad remotionem ægritudinis. Galeno autem placere putredinem cauſam antecedentẽ potius quàm cõiunctam febris putridæ nominari, *diſcere licet ex eodem loco libri undecimi Artis curatiuæ*, quem ſuprà *citauimus, in quo ſcribit ordinem* febris putridę curationis: ſed & ex lib. *tertio Artis paruæ*, textu Cõmenti trigeſimitertij, in quo ſimilem febris putridæ *docet* curationem, ſanando quidem illam eius partem, quę facta eſt, futuram uero prohibendo fieri. Prohibetur autem (ut ait) ne fiat, ſi diſpoſitio à qua fieri nata eſt, auferatur. Huiuſmodi autem diſpoſitio, ut Galenus inquit, cauſa antecedens nominatur, quæ proculdubio non eſt alia quàm putredo, ut ſuprà probauimus ex libro undecimo Artis curatiuæ. Ignarus autem Pluſquam Commentator eius Ga-

D leni dogmatis, de quo paulò ante diſſerui, de medio tollentis cauſas coniunctas, in grandem incidit in huius loci Commento trigeſimoquarto dubitationem, quam neſciuit explicare. Verba hominis non parũ dubitantis, & in ſolutione dubitationis nõ minus hæſitãtis, hæc ſunt: Sed dubitabit aliquis, quod talem cauſam abſcindendam uocat cauſam præcedentem, quam alio nomine dicimus antecedentem: Cauſa enim antecedens niſi fiat cõiuncta, nunquam facit ægritudinem quæ adhuc inchoauerit, ſed ſub neutralitate corpus reddit. Quare uideť quod intellexerit de futura fieri ſecũdum primum modum tantum: Primus autem modus ægritudinis futuræ fieri ſecundum Pluſquam Cõmentatorem eſt, quum nihil ægritudinis inchoauit. Hanc autem primam expoſitionem improbat Pluſquam Cõmentator, & probat alteram, quod ſcilicet Galenus intellexerit de ægritudine futura fieri, quæ eſt pars fientis, & eſt ſecundus modus ægritudinis futuræ fieri, ita ſubſcribens: Sed hoc diſſonaret ei quod immediate præceſſit: quũ enim dixiſſet: Eius uero quæ adhuc fit, quod quidem factum eſt ſanum fieri, futurũ uero prohibere fieri, oportet. ſubiunxit continuò, prohibetur: ergo quaſi reſpondere uiſus ei, quod de fiente futurum eſt, & factum eſt. Hic autem ſecundus intellectus uerus eſt, & Galeni ſententiæ cõueniens, qui ubique uult partem febris putridæ futuram prohiberi fieri per remotionẽ cauſæ quæ eſt putredo: factam uero mox remanentem poſt remotionem cauſæ per alia remedia: Et hanc quidem partis iam factæ ſanationẽ paulò ante dixerat pertinere ad artem curatiuam: partis uero futuræ prohibitionem, ad artem præſeruatiuam. Potuit ergo Pluſquam Commentator in tacta dubitatione, quæ fuit: Cur talem cauſam abſcindendam uocet præcedentem, uel antecedentem, quum cauſa antecedens niſi fiat coniuncta nunquam faciat ægritudines: Potuit inquam paucis ſe expedire, & dicere, nõ placere Galeno putredinem, quæ eſt cauſa antecedens febris putridæ, & eſt illa diſpoſitio in qua ait natam eſſe fieri, &

ideo

A ideo eſſe ſoluendam, ut fieri prohibeatur. Non placere dico cõiunctam nominari, quia non cõpetit ei definitio cauſæ cõiunctæ. Etſi enim poſita putredine ponatur ægritudo, ea tamen remota, non remouetur illa, ſcilicet quæ iam facta eſt, ut ſuprà monſtrauimus. Sed quia latuit Pluſquam Cõmentatorem iſta de cauſis coniunctis opinio, in qua Galenus aduerſatur Stoicis, qui primi tales cauſas introduxerũt, ut idem Galenus libro ſuo, qui de cauſis cõtentiuis, id eſt, cõiunctis inſcribitur, teſtandum duxit, ideo nõ potuit dubitationẽ à ſe propoſitam recte explicare, atq; diſſoluere, ſed magis quàm antea reliquit implicitam, atq; inſolutã. Nam poſtremo loco non cõtentus prima, neq; ſecunda ſolutione, ſeorſum ſcribit hæc uerba: Niſi eſſet, quod uerum eſt de utraq;, ſicuti diximus, nec diſtat in alio, niſi quod dyſcraſia futura fieri, ſecundũ primum modum nõ habet cauſam cõiunctam, quia illa cauſa ponit ægritudinem, & corpus efficit ut nunc ægrum, ſed habet antecedentem tantũ, quæ reddit corpus neutrũ ut nunc. Dyſcraſia uero fiens habet aliquod antecedentis iam poſitum ſub cõiuncta, à parte cuius cõiunctæ dicitur fiens, cuius aliquid eſt factum, aliquid futurum fieri: Et nihilominus adhuc remanet futura fieri ſecũdum primum modum, quandiu aliquid cauſæ antecedentis eſt non ſub coniuncta: ſed quando tota cauſa antecedens eſt ſub cõiuncta, tunc dyſcraſia dicitur futura fieri, iuxta ſecundũ modum, quo dicitur fiens. Et quoniam maxime uidebatur intendere de futura fieri, quæ eſt pars fientis, eo quod de cauſis ſalubribus eius dyſcraſiæ, quæ abſolute dicitur futura, circa finem libri locuturus eſt: Ideo dicimus quod per cauſam præcedentẽ intelligimus etiam cõiunctam: Ipſa enim etiã præcedit ægritudinem, ſi nõ tempore (ſicuti ea quæ proprie dicitur antecedens, eo quod poſita ponit ægritudinem) ſaltem natura. Hæc Pluſquam Cõmentator, ultimã ponens ſuæ
B dubitationis ſolutionẽ, ſi ſolutio dici debet, plurimam & ipſa habens ambiguitatẽ, dum conatur Galeni uerba futuræ ægritudini ſecundũ duplex ſignificatũ adaptare. Reuera autem uni tantũ conuenit modo, quo dicitur ægritudo futura, quæ eſt pars fientis, cuius pars aliqua iam facta eſt. Quod & ipſe Pluſq; Cõmentator uidetur innuere per illa uerba, in quibus damnat primũ intellectũ de ægritudine futura ſecundũ primũ modũ, quando ait: Sed hoc diſſonaret, & reliq. Hoc ipſum etiã in uerbis poſtremis inſinuat, quũ de Galeno inquit: quod maxime uidebatur intendere de futura ægritudine, quæ eſt pars fientis, eo quod de cauſis ſalubribus eius dyſcraſiæ, quæ abſolute dicitũ futura fieri, circa finem libri tractaturus erat. Ex quibus omnibus uerbis Pluſq; Cõmentatoris colligere poſſumus, Galenũ neq; ſibiipſi diſſonãtia uoluiſſe ſcribere: Neq; eum in ea doctrina, definitiua ſcilicet, in qua præcipue breuitatẽ affectauit, eũdem ſermonẽ de eiſdem ſalubribus cauſis fruſtra uoluiſſe repetere. Atq; ideo de uno tantũ modo ægritudinis futuræ fieri, hoc in loco, de cuius intellectu diſputamus, fuiſſe locutũ: quum præſertim nõ ſit neceſſariũ alium introducere, ut de cauſa coniuncta unà cum antecedente faceret mentionẽ, quam nuſq; in alijs libris ſuis nominauit, & ſicubi nominat, per cauſam cõiunctam ægritudinẽ intelligit, quæ eſt cauſa cõiuncta operationis læſæ, quæ operatio habet eſſe in fieri: Et ideo ſicuti poſita ęgritudine ponitũ operatio lęſa, ita ea remota. Quare ægritudo cauſa cõiuncta operationis læſæ uocatũ. Nam ſicuti antea diximus, q̃d crebro ſophiſtæ repetere eſt neceſſariũ, qui licet magnus Galeni ſectator uideri uelit, hoc tamẽ Galeno placitũ omnino ignorat, quia in Galeni libris nuſq; legit, uel ſi legit, nõ intellexit: Rerum permanentium non eſt cauſa coniuncta, ſed quarum eſſe eſt in fieri. Et ideo Galenus pulſus habere cauſas cõtentiuas, id eſt, cõiunctas, non ueretur dicere: Quoniam quum ſint motus quidam cordis, & arteriarũ, non habent eſſe permanens, ſed ſucceſſiuum, inſtar aquæ fluentis, ut inquit Galenus

C libro De cauſis cõtentiuis ſuperius allegato: ubi reddit cauſam ob quam in ſuis libris De pulſibus, cauſas quaſdam eorum dixerit eſſe, quas nõ male quiſpiam cauſas cõtentiuas generationis Pulſuum nominauerit. Quare ſi Pluſquam Commentator uolebat uerborũ Galeni conuenientem facere expoſitionem, & ab huius autoris placitis minime diſcrepantẽ, dicere oportuit: Dyſcraſiam futuram fieri ſecundum primum modum: quatenus eſt motus quidam à ſanitate ad ægritudinem, habere cauſam coniunctam: & ſi illa non ponat ægritudinem, & corpus nondum ſit ægrum ut nunc: Imò eo tẽpore quo ægritudo poſita eſt, & corpus iam eſt corpus ægrum ut nunc. Vt ſic non habet cauſam coniunctam: quia ægritudo eſt res permanens. Tranſitus autem à ſanitate ad ægritudinẽ eſt res ſucceſſiua. Et ob eandem rationem ęgritudo fiens, cuius aliquid iam factum eſt aliquod futurũ fieri, eius partis quæ facta eſt non habet cauſas cõiunctas, neq; quatenus facta eſt, ſed quatenus habet eſſe in fieri, non eſt ægritudo, ſed paſſio. Vt uero iam aliqua diſpoſitio facta eſt, quæ lædit operationes, hæc eſt uere ægritudo, adeò ut poſſimus ſecundũ Galeni doctrinam indubitãter dicere, febrem putridam, ut eſt fiens, & de genere paſſionis, quæ habet eſſe *in fieri, iſtius fieri habere cauſam coniunctam*, quæ dum efficit, illud fieri, *ſiue illa* paſſio perſeuerat: Et ea ceſſante efficere, etiam paſſio ceſſat. Quod cõmuniter per alia uerba dicitur, cauſa & effectus in fieri mutuò ſe ponunt, & mutuò ſe perimũt: Vt domificans, domificationẽ, & domifactio domificantem, ut habetur ex doctrina Ariſtotelis ſecũdo libro De phyſica auſcultatione. Febrem autem fientem, ſiue dyſcraſiam eſſe de genere paſſionis, teſtatur & ipſe Pluſquam Commentator Commẽto trigeſimoprimo libri tertij his uerbis: Dyſcraſia autem fiens eſt, cuius efficiens adhuc actum efficit, in actu exiſtens, propter quod hæc dy

D ſcraſia proprie paſſio nominatur, ſicut innuit Galenus in principio tertiæ particulæ de morbis & accidẽtibus. Dum enim aliquid mouetur, patitur, & motus paſſio nominatur. Quũ autem ſubiectũ iam cõuerſum fuerit, & ceſſauerit inducens, ſeu mouens, non dicĩ patiens, ſed quale: Et diſpoſitio eius non motus, ſed qualitas. Et huiuſmodi dyſcraſiæ quædã pars eſt facta, quædã futura fieri, eò quod ſicuti probatũ eſt in phyſicis, ſemper eius quod fit, aliquid factũ eſt. Hæc omnia recte Pluſq; Cõmentator de dyſcraſia fiente, quod ſit paſſio quatenus habet eſſe in fieri. Sed ne ſophiſta unà cum ſuo Pluſquã Cõmentatore decipiaĩ, illum uelim meminiſſe, huiuſmodi dyſcraſiam quæ habet eſſe in motu, non eſſe febrẽ ſimpliciter, ſed febrem fientem: neq; ægritudinẽ, ſed ęgritudinẽ fientem: Neq; enim ſequitur, eſt ęgritudo fiens, ergo eſt ægritudo: Quoniã, ut ſæpe diximus, omnis ægritudo eſt res permanens, quia diſpoſitio, ſecundum Galenum. Illud quoq; nolo ſophiſtam latêre, non quodcũq; factũ de ægritudine fiente eſſe ægritudinem, ut uidentur innuere uerba Pluſquã Cõmentatoris dicentis, probatũ eſſe in phyſicis eius quod fit ſemper aliquid eſſe factũ. Poteſt enim tam minimũ eſſe factũ, ut non ſit ſufficiens lædere ſenſibiliter operationes: Et tunc erit neutralitas, non pars ægritudinis fientis diſtincta à futura fieri, quæ & ipſa eſt altera pars fientis. Puto enim ſophiſtam non ignorare, uel ſuo Pluſquam Commentatore docente in duobus Cõmentis & trigeſimoprimo, & trigeſimotertio, duos eſſe ęgritudinis futurę fieri modos: Vnius cuius nulla pars adhuc inchoauit alterius, quæ eſt pars fientis. Hęc enim ſunt eius uerba Commento trigeſimoquarto. In Cõmento autem trigeſimiprimi, dyſcraſiam futuram fieri, ita deſcribit: Dyſcraſia futura fieri, eſt illa cuius efficiens corporale paratũ eſt ut efficiat, ſed nondum inchoauit, inchoatione ualde apparente. Eſt ergo in cauſa ſua, ut in ſemine cõcepto futurus homo: ſicuti contingit in his, qui habent cauſam antecedentem ſuæ ægritudinis. Hic autem eſt primus modus ægritudinis futuræ

fieri

A fieri de quo loquit̃ Cõmento trigeſimoquarto. Sed hęc quidẽ ſophiſta potuit à ſuo
Pluſquam Cõmentatore diſcere. Nũc uero aliud à me medico Romano diſcat, de
quo memini ipſum in collegio medicorũ Ferrarienſiũ, cum quodã meo diſcipulo
magnam habuiſſe contentionem. Hic enim affirmabat, iuxta Galeni doctrinã eſſe
aliquam febrem fientem, cuius nulla pars facta eſſet. Et afferebat eiuſdem Galeni
ex lib. octauo Artis curatiuæ autoritatẽ, ſophiſta pernegabat. Et ſi qua talis eſſet di
ſpoſitio febrilis, cuius nulla pars adhuc facta eſſet, ſed in fieri tantum haberet eſſe,
non febrẽ fientem, ſed neutralitatẽ à Galeno nominari contendebat. Solam enim
febrẽ, cuius aliqua pars ad actum perducta foret, reliqua futura eſſet, febrem fien-
tem ab eodem autore nuncupari ſophiſta uolebat. Ad quod probandũ citabat Ga
lenum libro tertio Artis paruæ textu Cõmenti trigeſimitertij, docentem talem fe-
brem fientem curare his uerbis: Eius uero quæ adhuc fit, quod iam factũ eſt ſana-
re, quod quidem futurum eſt, prohibere fieri. Non aduertebat autem ſophiſta ru-
dis neq; Galenũ, neq; ſuum Pluſquam Commentatorem intelligẽs, eandem dyſ-
craſiam, quam Galenus uocat libro tertio Artis paruæ dyſcraſiã futuram fieri: Cu-
ius cauſæ ſalubres in præſeruante tantũ parte artis continent̃, ab eodem Galeno li
bro octauo Artis curatiuæ febrem fientem appellari. Cuius uerba ſubiungam ſe-
cundum græcam tranſlationem, ut magis error ſophiſtæ appareat, qui de Galeni
placitis tanquam cæcus de coloribus diſputat. Verba Galeni libro octauo allega-
to ſunt hæc: Si igitur febres iam factæ ſunt, cauſa uero quæ eas effecit, receſſerit, ſo
la hæc utique foret curationis intentio, refrigeratio: quare quærendæ ſunt à nobis
materiæ, quæ frigiditatem habent æqualem ſuperabũdanti caliditati. Quum uero
febres adhuc fiunt, cauſam illas efficientẽ abſcindere oportet. Si uero aliquid qui-
B dem earũ factũ eſt, aliquid uero adhuc fit, utraq; intentio eſt neceſſaria: prius qui-
dem illam, quæ eas accẽdit, cauſam auferre: mox id quod iam accendi anticipauit,
extinguere. Quam febrem hic Galenus dicit ſanari refrigeratione, eſt illa quam fa
ctam uocat libro tertio Artis paruæ: Et quam adhuc fieri ait, & curari per ablatio-
nem cauſæ, eſt tertia & ultima dyſcraſia, quam Galenus nominat futuram, & ait in
præſeruante Artis paruæ cõtineri. Tertia uero in hoc loco dyſcraſia, quæ duas exi
git intentiones, alteram cauſæ efficientis, alteram eius quod iam factũ eſt, eſt ſecun
da apud Galenũ in Arte parua, quam dicit ad præſeruantem & curantem artis par
tem pertinere. Modus autem loquendi uarius, & ordo diuerſus in partiũ diuiſio-
ne, decepit ſophiſtam rudem. Atqui potuit etiam in hoc à ſuo Pluſquam Cõmen-
tatore erudiri, hæc duo Galeni loca, quamuis oratione diſſimili, ſententiam tamen
habere ſimilem oſtendente: ſic enim ſcribit textu Cõmenti libri tertij, trigeſimiter
tij, loca prædicta duorum librorũ, ſcilicet octaui ſecundum Arabicam tranſlatio-
nem, tertij ſecundum græcam inuicem conferendo, & in unam cõcordiam reuo-
cando. Quod & ego facere ſtudui, nihil à Pluſquam Cõmentatore diſſentiens, niſi
quod ipſe in libro octauo Artis curatiuæ arabicam retulit tranſlationem, ego græ
cam, quæ mihi fidelior uidebatur, citaui. Cui ſi ſophiſta nõ adhibet fidem, & à me
ſibi ueretur imponi, bilingues conſulat, quos homo elinguis, & barbarus ſolet ali-
quando deridere, ipſe ſupra omnes homines deridendus, qui audet de græcis au-
toribus quicquam pronũciare, quorum ſenſus ita poteſt percipere, ſicuti olim Scy
thæ Athenienſium, aut nunc Turcæ Romanorum patria lingua loquentium. Au
diat tamẽ ſuum Pluſquã Cõmentatorem, quem fortè melius intelliget, textu Com
menti trigeſimitertij ſuprà allegati, ita ſcribentem de cõcordia duorũ locorum, in
quibus Galenus agit de febre facta, fiente & futura, his uerbis: Huius autẽ loci ſi-
mile dicebat in principio octauæ particulæ Therapeuticæ, ubi ait: Si febris cauſa

C eius recedente firma permanſerit, una intentio erit in ea curanda, id eſt ſolummodo refrigerare. Hæc enim erat dyſcraſia quam hic factã uocat. Si autẽ febris nondum firma extiterit, ſed firmari iam paulatim & latenter incipiat, intentio noſtra erit, eius cauſam tantum auferre. Hæc enim erat dyſcraſia, quam hic uocat futurã fieri. Si autẽ febris partim ſit firma, & partim iam firmari incipiat, cõuenit ut prius cauſam nondum firmæ partis abijcias: deinde quod firmum eſt, refrigerando depellas. Hæc enim erat dyſcraſia, quam hic uocat fientẽ. Ex hoc ergo manifeſte innuitur, quod dyſcraſia facta nõ habet cauſam: dyſcraſia uero futura fieri habet antecedentem tantum: dyſcraſia uero fiens habet coniunctã. Hæc Pluſquam Commentator, qui recte & ſecundum ſentẽtiam autoris duorum locorum concordiã manifeſtauit: ſed in cauſis ſecundæ dyſcraſiæ & tertiæ à Galeno diſcrepat. Secunda enim quatenus habet eſſe in fieri, & ſua cauſa remota remouetur, ſicuti poſita ponitur, recte dicitur habere cauſam coniunctam ſui eſſe. Tertia uero ex ea parte qua facta eſt, nõ habet cauſam efficientem, ſed tantũmodo cõſeruantem: ex ea uero parte qua futura fieri, antecedentem. Sic enim eam Galenus (ut ſuprà diximus) nominat: & recte *nominat, quia ægritudinem futuram* non ſolum natura antecedit, ſed *etiam tempore:* Cuius ſignum eſt, quod ea cauſa remota, ægritudo futura *prohibetur fieri,* ut ait Galenus. Quãdo tamen non prohibetur fieri per remotionem cauſæ, ſed ad actum perducitur imperfectum, qui in trãſitu quodam & fluxu conſiſtit, hac ratione dicitur paſſio, & non ægritudo: Et ſic habet cauſam coniunctam. Eadem igitur cauſa febris putridæ, putredo ſcilicet, poteſt & conſeruans & antecedens & coniuncta, relata tamen ad diuerſa, nominari. Quia uero Galenus huiuſmodi fluxum & tranſitum non uult uocare ægritudinem, quum non ſit diſ-

D poſitio, ſed paſſio, ideo cauſas cõiunctas ita febribus ſicuti alijs ęgritudinibus abnegauit. Et hæc mihi uidetur uera ſolutio difficultatis tactæ à Pluſquam Commentatore. Quia uero meum fuit ab initio propoſitũ, nullo modo uelle cedere Sophiſtæ liberalitate, qui me ſpecie amicitiæ ſæpius docere uoluit contra ſuum Pluſquã Cõmentatorem argumentari, uolo ei uiciſſim beneficium rependere, oſtendẽdo locum, ubi Galenus cauſam coniunctam inter alias quas Medici primitiuas & antecedentes appellant, enumerat. Hæc ſunt eiuſdem autoris uerba libro qui inſcribitur Introductoriũ medicinæ, qui ad Galenum refertur autorẽ: Cauſarum aliæ procatarticæ, aliæ uero coniunctæ, aliæ uero operatiuæ, aliæ uero concauſæ, aliæ antecedentes. Procatarticæ quidem ſunt, quæcunq; præincipiunt, & facientes recedunt, ut infrigidatiua, labor, æſtuatio, indigeſtio. Coniuncta uero cauſa eſt, qua præſente adeſt ægritudo, & ablata ſoluiť, ut aculeus & ſagitta. Hæc definitio cauſæ cõiunctæ cum illa conuenit, quam etiam Pluſquã Cõmentator tertio libro Artis paruæ cõmento trigeſimotertio ex Ioannitij comprobat autoritate. In cõmento etiam Galeni in aphoriſmũ uigeſimumſecundũ ſecundę particulæ aphoriſmorum leguntur hæc uerba ſecundum ueterem translationem: Diſputatio tantũ noſtra erit in morbis ſequentibus ſuas cauſas, quos ceſſare mõſtrauimus, quum cauſa ipſorum per ſuum ceſſauerit contrarium. Illos ergo morbos quicũq; ceſſant ſua cauſa ceſſante, negare non poſſumus habere cauſam coniunctam, ut patet ex definitione cauſæ cõiunctæ. Si qua uia eſt Pluſquã Commentatorẽ defendẽdi, ne falſò uideatur cauſam cõiunctam Galeni dogmati inſeruiſſe, hæc una eſt, quam ego nunc Sophiſtæ monſtraui, quam tamen etiã ex ſuo Iacobo Forliuienſi, cui non minorem Sophiſta adhibet fidem q̃ Pluſquam Commentatori, potuit ipſe Sophiſta peruidere, ita in aphoriſmi paulò antea allegati expoſitione ſcribente: Secundo nota, repletionẽ poſſe cauſare ęgritudinẽ multipliciter, ut ſcilicet primitiua cauſa, antecedẽs

Cauſarum diuiſio.

A antecedens,& coniuncta:Exmplum primi, ut repletio ciborum:exemplũ ſecũdi, ut repletio humorum non putridorum reſpectu febris:exemplum tertij,ut repletio putridorũ.Hæc Iacobus. Ego uero nolo Sophiſtam cum ſuis autoribus barbaris decipi.Non equidem temere & ſuprà,quum de Introductorio medicinæ facerem mentionẽ, illa uerba ſubiunxi,& nunc etiam eadem repetij,qui ad Galenum refertur autorem. Hic enim liber nothus eſt, & non legitimus Galeni liber, quales ſunt plures alij, qui à medicis barbaris, in quorũ numero eſt Sophiſta primus, quotidie pro ueris Galeni libris allegantur. Quam rem poſſem multis probare argumẽtis,ſed unũ breuitatis cauſa ſufficiet ad eam aſſeuerandã efficaciſſimũ exemplum,uidelicet quo ille autor quiſquis fuerit,ſtuduit cauſam coniunctã notificare, quod nulli grauioris autoritatis medico,nedum Galeno medicorum principi congruit,quũ ſit in propatulo falſum,quod in eodem exemplo profertur. Quis enim neſciat,euulſa ſagitta infixum uulnus adhuc remanere:hoc eſt morbum communem, qui in ſimilaribus membris & diſſimilaribus ſolutio cõtinuitatis nominatur. Nollem autem hoc in loco medicũ Sophiſtã mihi errori tribuere, quod in utriſq; tam diſſimilaribus quàm ſimilaribus membris morbũ cõmunem cõmuni appellatione ſolutionem cõtinuitatis eſſe dixerim. Sic enim libuit nõ paruum Pluſquam Cõmentatoris errorem euitare, qui libro ſecũdo Artis Paruæ, Commento tertio, eundem morbũ in ſimilaribus quidem ſolutionẽ cõtinuitatis,in organicis uero ſolutionẽ contiguitatis appellat:& nõ animaduertit ſe hac diuerſa appellatione morbum communem de medio tollere, Auerroi magis q̃ Galeno conſentiens:Quorum alter Auerrois ſcilicet libro tertio Colliget, cõtra opinionem medicorũ probare nititur, talem morbum communem, qui per ſe adueniat, tam ſimilaribus, q̃

B diſſimilaribus nõ poſſe aſſignari:Alter uero medicorum princeps libro primo de differentijs morborum, huiuſcemodi morbũ,qui non magis ſit ſimilaribus,quàm diſſimilaribus proprius,& ideo utriſq; cõmunis nominetur,Methodo,inquit, diuiſionis oſtendi.Sed de hoc errore Pluſquam Cõmentatoris,qui non ſolum Galeno,ſed etiã ſibiipſi contradicit,forſan alio loco,ſi qua occaſio ſe obtulerit,agemus. Nunc ad propoſitũ noſtrũ,& ad id quod magis urget, reuertamur, ut Galenũ noſtrum à contradictione defendamus. Nam nimiũ forte Sophiſta ſuperbiret,ſi poſſet,uel me docente, probare Galenum in uarijs libris ſibiipſi repugnare:In altero quidẽ qui de cauſis cõtentiuis inſcribĩt,ullas eſſe morborũ cauſas cõiunctas pernegantem: In expoſitione aũt aphoriſmi ſuprà adducti eaſdẽ in morbis,qui ex repletione fiunt,introducentẽ per illa uerba etiã antea à nobis recitata,Diſputatio tantũ noſtra erit.& reliqua quæ in ueteri translatione ſcribũtur.Nolui enim citare nouã Nicolai Leoniceni præceptoris mei,quamuis ſit clarior atq; fidelior,quia eam Sophiſta nõ bene maſticaret,ſed lamberet.Libẽter enim utor metaphoris,quibus in ſua quæſtione Sophiſta utendũ cenſuit, ne me putet in omnibus eius doctrinã, & dicendi ſtylum aſpernari. Sciat autem Sophiſta,qui forte etiam ueterem Cõmenti dicti translationẽ propter eius aſperitatem nõ potuit manducare,in ſua expoſitione Galenum de his morbis fientibus loqui, de quibus etiam libro octauo Artis curatiuæ facit mentionẽ, qui nõ habent unam partem factam, alteram futuram fieri, ſed quorũ eſſe tantum cõſiſtit in fieri: ſicuti febris quum nondũ firma extiterit,ſed iam firmari paulatim & latenter incipit. De qua etiam Pluſquam Commentator libro tertio Artis paruæ Cõmento trigeſimotertio. Talem autẽ febrem,ſiue quemuis morbum ita fientem, nõ eſſe uerum morbũ ſecundũ Galenũ, ſi mihi non uult Sophiſta credere,ſaltem Gentili uni ex ſuis autoribus,quorũ ſæpe citat teſtimonia credat,cui idcirco nõ poteſt abnegare fidem. Gentilis enim in expoſitione quarti

C Canonis Auicennæ,capite primo,exponens uerba illa definitionis febris ab Aui cenna traditæ,Nō ſicuti caliditas iræ & laboris,quum nō ultimantur, ita ut retinea tur,ſcribit hæc uerba:In ſumma tamen uerus & proprius morbus eſt,qui eſt quali tas retenta in corpore,nō ſtans in dependentia à cauſa primitiua. Imò Galenus in tantum proceſſit, quod uerum morbū uocat ſolum morbū factū, qui à nulla cauſa pendet in fieri. Febris ergo fiens quæ habet cauſam actu efficientem, quam poſſu mus cauſam cōiunctam nominare, nō eſt uerus morbus, ſed paſſio in motu conſi ſtens. Et ita ſtat Galeni ſententia ægrarū diſpoſitionū, quæ ſunt ueri morbi, qualis eſt febris putrida,non dari cauſam cōiunctam. Quare errauit Pluſq̄ Cōmentator tertio Canonis,Cōmento trigeſimoquarto,ubi ait Galenū per cauſam anteceden tem intelligere cauſam cōiunctam. Poſſem equidem & plures alios Pluſquā Com mentatoris Galeni libros De arte medicinali male interpretātis, in lucem errores patefacere:Sed nolim uideri Nicolai Leoniceni præceptoris mei,de eiſdem erro ribus pridem inchoatū, ſed nondū cōpletum, præripere uelle tractatū. Hos ſatis habui in præſentiarū notare,ut admonerem Sophiſtā, quantus ei labor debeat ac creſcere,ſi in ſuſcepto Monachi patrocinio uoluerit perſeuerare.In hac ſanè mate ria,longe uires *Sophiſtæ* excedente, non puto Sophiſtam poſſe ſufficere,niſi huic oneri *Lodouicus* Charēſis homo doctus,& Monachi doctrinæ perſtudioſus,hu meros ſuos,Sophiſtam miſeratus, ſuppoſuerit:Quem ſi fortè Sophiſta antequam ſcriberet cōſuluiſſet, non tot falſa, neq; tam puerilia deliramenta in ſua quæſtione ſcripſiſſet.Sed omiſſo Toſſeto amico noſtro ad Sophiſtam redeamus,cuius eſt tan ta impudentia, ut quum neſciat aliter mea cōtra Pluſquam Cōmentatorem argu menta refellere, ita ut à me primū ſcripta, ac poſthac mille ferè impreſſa uolumini bus leguntur,ipſe nō uereatur corrūpere lectionē,& aliter illa pro ſuo arbitrio for

D mare,ut lectori perſuadeat,me nō de rebus ſed de uerbis potius cum Pluſq̄ Com mentatore contendere. Ego hunc autorē taxo in ſua expoſitione uolentem, Gale num ita doctrinas ordinarias per figuram Pleonaſmū dicere,ſicuti ſpondyles dor ſi, quoniam nō decuit tantæ eruditionis autorem ea figura in medicina uti,quæ ſo lis poëtis eſt licita.Quare ſicubi fortè Galenus ſpondylos dorſi in ſuis libris nomi nat,non eſſe figuratā locutionē,ut Pluſq̄ Cōmentator opinatur,neq; fruſtra adijci dorſi, ſed diſcretionis cauſa ab alijs, uel colli uel lumborū ſpondylis contra expoſi tionem Pluſq̄ Cōmentatoris, aſſerui.Præmonui tamē,me quum ſpondylos dico, illa oſſa ſpinæ intelligere, quæ corrupto uocabulo Pluſq̄ Cōmentator ſpondyles appellat. Libuit autē uti hac declaratione potius q̄ reprehenſione Pluſquā Com mentatoris,ut medicos, qualis eſt Sophiſta, barbaros qui uel latina, uel græca uo cabula ignorant, eo labore leuarem, de quo ſolent ſæpius & ipſi conqueri, inuſi tatum atq; ignotum ſibi nomen in Cornucopia inquirendi.Sed pro beneficio acce pto, Sophiſta ingratus & conuiciandi auidus,mihi calumniam ac contumeliam re pendit, & meam uerbi declarationē in malam accipit partem,de muſca faciens (ut in prouerbio dicitur)Elephantem.Nam per cauillū ita me argumentantem intro ducit:Monachus utitur uocabulo corrupto,non enim dicendū eſt,ſpondyles,ſed ſpondyli,ergo errat.Et ex huius argumenti,atq; aliorū, quæ ipſe pro ſua maligni tate cōfingit,occaſione, me tanq̄ grāmaticalibus fundamentis innitentem, doctri naliſtam uocat. Tanta eſt malignis hominibus calūniandi licentia. Sophiſta autem quamuis paruulus homo,tamen tantus quantus eſt,totus malicia eſt,totus maledi centia.Et nihilominus quod ſuum eſt uitiū præcipuū, mihi nō ueretur impingere, quum me nō tractatus,ſed inuectiuas ſcribentem,inſimulat. Non ſolum autem in ſpondylis ſiue ſpondylibus (ut Sophiſtæ barbaro barbariſmo ſatisfaciam) me So

phiſta

A phiſta mendaciter increpat. Sed plura etiam alia ſtatim ab initio ſuæ pro Monacho defenſionis ſuſceptæ de me medico Romano, quē etiam alio nomine, ignominiæ cauſa, bilinguem appellat, petulanter mētitur. Nam in tertia parte ſuæ quæſtionis, in qua ſe adducturū promittit argumenta noſtra contra illa quę à ſe ſecundum opinionem Pluſquam Cōmentatoris ſunt determinata, ſcribit in hunc modum: Contra primam cōcluſionem arguitur, & probatur argumento illius bilinguis uel mixti Romani, quod doctrina ſit ordo, & non uiæ, uel modi docendi, ſic: Galenus in prima propoſitione Artis paruæ dixit, omnes doctrinæ, quæ ordine habent̄, ſunt tres: in hac propoſitiōe Galeni poſt illam particulā, Omnes doctrinę, poſuit hanc, quæ ordine habentur, & non niſi ut per primam particulam intelligantur tres ordines: igitur per doctrinā ordinem, & per doctrinas ordines ſunt intelligendi. Hic poſſem Sophiſtæ barbari notare barbariſmum, qui caſum accuſatiuum pro nominatiuo poſuit: debuit enim dicere, Ergo per doctrinā ordo, per doctrinas ordines ſunt intelligendi. Sed quid agerem? darem rurſus Sophiſtæ de me obloquendi occaſionem, qui neſciam aliter, quàm ex fundamentis grāmaticalibus argumentari. Et ſi uelim toties quoties frangit Priſciano caput, Sophiſtam reprehendere, uereor ne illud mihi à Sophiſta accidat, quod cuidam patritio Romano à ſeruo Alemano contigit: Qui ita aliquando dominū interrogabat, Vbi eſt clauem: Et quum reprehenderetur, quod minus latine loqueretur, qui clauem pro clauis diceret, quaſi ſe corrigens, aliâs petebat à domino, da mihi clauis: Et quum rurſus malæ locutionis redargueretur, quia non dixiſſet, da mihi clauem: tandem crebra caſtigatione indignatus ſeruus, ita de hero cōqueſtus eſt: Modo clauis, modo clauem, nunquam uidi homo talem. Ne igitur Sophiſta habeat eandem de me conquerendi cauſam,

B do illi, ut ſpretis artis grammaticæ regulis, tot ſolœciſmos quot uerba pronunciet. Quandoquidē hæc meta ad quam diſputādo perduci, philoſophi ueteres ignominioſum putabant, apud Sophiſtas noſtræ ætatis deſijt eſſe meta: Et inter eos ille doctior habetur, qui minus latine uel qui ſcribit, uel loquit̄. Nō tamen Sophiſtæ permiſerim, ut tales nō modo ſermones, ſed etiā ſenſus barbaricos Galeno tribuat, & mihi medico Romano, Galeni ſectatori, quod facit Sophiſta in uerbis ſuprà recitatis. Nuſquam enim ego talia uerba, aut talem habentia ſententiā protuli: ſed quū uellem expoſitionem Pluſquā Cōmentatoris improbare, & aliorū, qui per doctrinas ordinarias apud Galenum intelligūt illas, ex quibus extrahitur quæſitum, uel per quas res eſſe certificatur, dixi propoſitionē illam Galeni, Tres ſunt omnes doctrinæ quæ ordini inhærent, ordines potius quàm modos nobis inſinuare: Denique (ut in proceſſu noſtrę diſputationis apparet) tantūdem ſignificare eandē propoſitionem, ac ſi diceretur: Tres ſunt omnes docendi ordines, & non plures, neq; pauciores. Ad quod probandū etiam illud adiūximus, quod ſi Galenus talem habuiſſet in eadem propoſitione intellectū, qualem ei tribuit Pluſquam Commentator, tunc ad doctrinas, quas innuebat, nō illa uerba addidiſſet, Ordinem habentes, ſed potius hæc, Scire facientes, uel extrahentes quæſitū, uel certificantes rem eſſe. Hæc enim omnia uerba eundem ſenſum habent, neq; uariant intellectum propoſitionis Galeni: Ex ea uero intellecta ut nos intelligimus, nō ſequitur id quod Sophiſta reſpondet, ſi doctrinæ habētur ordine, uel inhærēt ordini, quod diſtinguantur à tali ordine, qui ordo ſeipſo haberi nō poteſt. Vnde enim ô Sophiſta ſequitur, Tres ſunt omnes docēdi ordines, ergo ordo habetur ordine, uel ordo inhæret ordini? An tibi memoria excidit in publica diſputatione Ferrariæ habita, quum Nicolas Priſcianus adhuc adoleſcens, ſed ſuprà ætatem doctiſſimus, & in diſſerendo acutiſſimus, hanc opinionem noſtrā de tribus docendi ordinibus inter plures con

C cluſiones tam medicinales, quàm etiam philoſophicas, te præſente tueretur, & nõ haberes alia argumenta præter hæc quæ contra uerba tantummodo, & non contra ſenſum propoſitionis Galeni fruſtra iactarentur, te ab omnibus fuiſſe deriſum: Hoc puto te probe meminiſſe, atque ideo quum Nicolas Priſcianus frater maior natu Nicolai, ingenio acerrimo iuuenis, ac doctrina ſingulari, rurſus Venetijs ſimilem concluſionem, quæ noſtræ fauet opinioni, publice diſputandam unà cum pluribus alijs propoſuiſſet, noluiſſe intereſſe, ne alteram tibi ex ſecundo congreſſu quæreres ignominiam. Multo enim tutius exiſtimas, te priuatim tuis iactare diſcipulis, qui inopia melioris præceptoris te cogũtur audire, quàm in cœtu doctiſſimorum hominũ, qui ſolent publicis diſputationibus eſſe præſentes, tuam, quantulacunq; ſit, exiſtimationẽ periculo exponere. Ad confirmationẽ autem illius intellectus, quem nos propoſitioni Galeni tribuimus, reſpondet Sophiſta, quod ideo Galenus dixit, quæ ordine habentur, & non dixit, quæ faciunt ſcire: quia intentio eius erat nominare ac determinare de ordinarijs, & ex eis eligere illam quæ ſibi uideretur ad propoſitum ſuum, ſcilicet definitiuam, & excludere inordinarias, aut aphoriſticam. Hæc Sophiſtæ reſponſio non infringit noſtram cõfirmationem, qui dicimus, ideo Galenũ *adiunxiſſe, ordinem habentes*, ut oſtenderet plures eſſe docendi ordines, *ad minimum tres, & quem ex eis in* præſenti opere ſeruaturus eſſet, ſcilic*et definitiuum.* Quia uero doctrina definitiua non eſt proprie doctrina ſec*undum opinionem* Pluſquam Commentatoris, ſed ordinatio quædam capitu*lorum*, Sophiſta rudis non animaduertit ſe in ſua reſponſione noſtræ fauere expoſitioni, qui dicimus, ideo Galenum uoluiſſe ab hac propoſitione, Tres ſunt omnes doctrinæ ordines habentes, ſuum librũ De arte medicinali exordiri, ut oſtenderet,

D quo docendi ordine in eo uſurus eſſet, & nõ qua doctrina ordinaria: quũ doctrina definitiua quam elegit Monachus, non ſit doctrina ordinaria ſecundũ ipſum, quia ex ea non extrahitur quæſitum, ſiue quia non uidetur ex ea aliquod ignotũ per notum declarari, ſicuti ex concluſione (ut inquit idem Monachus) aſſignans rationẽ, ob quam Ariſtoteles nullam de hac doctrina definitiua, de qua Galenus loquitur, fecerit mentionem. Non ſatis fidens autem Sophiſta huic tam debili atq; inani reſponſioni, quæ magis facit contra Monachum, quàm pro Monacho, aliam ſubijcit non minus friuolam, & pariter damnantem eum quem defendere nititur Pluſquam Cõmentatorẽ. eſt autem talis: Præterea ſi ſcire accipitur proprie (ut definitur primo Poſteriorũ) quod eſt cognoſcere rem per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere: falſa erit illa, Omnes doctrinæ quæ faciunt ſcire ſunt tres: imò eſt unica doctrina reſolutiua, quæ faciat ſcire tale, quũ ſit ipſa demonſtratio propter quid, quo ad eius partẽ principalem: Nam cõpoſitiua quæ eſt demonſtratio Quia, quo ad eius partem principalem non facit illud ſcire, ſimiliter nec doctrina definitiua. Si uero ſcire accipitur ample ac improprie, quod eſt firmiter credere, quum hoc quod ita ſit ex parte rei, falſum eſt quod omnes doctrinæ quæ faciunt tale ſcire, ſunt tres, imò erunt plures: illa enim quæ eſt per circũſtantias, poteſt generare tale ſcire, quæ tamen nõ eſt aliqua illarũ trium. Iuriſtæ enim circumſtantijs accidentalibus ſæpe credunt de aliquo, quod ſit fur, & ita eſt, quod eſt fur, ideo ſciunt ipſum furem, ſcire ſumpto improprie. Patet igitur ex quo Galenus loquitur de doctrina cõpleta & perfecta ex omnibus eius partibus, qualis eſt ea quæ dicta eſt in quarta concluſione in quarto modo, decimiquarti Notabilis, & talis habet ordinem conditionatum, ut dictum eſt in tertia concluſione. Propter hoc dixit Galenus, Quæ ordine habentur, & non, quæ faciunt ſcire. In hac ſecunda reſponſione, ſicuti & ferè in omnibus alijs, nihil aliud Sophiſta ſtudet, niſi imprudẽtes &

notabilium

A notabilium & concluſionū ſuarum numero in ſui admirationem cōuertere. Pru-
dentium uero, quibus non tantum ſupereſt ocij ut uelint, aut poſſint per tot anfra
ctus et diuerticula uiarum fugientem Sophiſtam perſequi, longis ambagibus, atq;
ænigmatibus reprehenſionem conatur euitare: imitatus piſcem è genere ſepiarū,
qui imminente periculo ne, à piſcatoribus capiatur, atramento aquam infuſcat, at-
que ita tectus elabitur. Non tamen Sophiſta retia noſtra, quandoquidē Pluſquam
Cōmentatori patronū ſe facit, euadet. Neq; enim nos contra illa quæ ſunt à Sophi
ſta determinata, niſi quatenus idem ſentit quod Pluſq; Cōmentator, quicquā pri-
dem fuimus argumentati. Ipſum ergo Sophiſtam hoc pacto interrogabimus: An
ſecundum Monachū differat, dicere aliquam doctrinam eſſe ordinariam, & pro-
bantem aliquid ignotum per notius: Si differre dixerit, & non eſſe idem ordinariū
& probans ignotum per notius, tunc ſuum damnabit Pluſquam Commentato-
rem, qui hac potiſſimū ratione probare nititur, ideo Ariſtotelem de hac doctrina
definitiua, de qua Galenus loquitur in Arte parua, nullā in ſuis libris feciſſe men-
tionem, quia in ea non probatur aliquod ignotum per notius: & ſtatim ſubiungit,
quod ſubtiliter inſpiciendo poteſt dici, quod utimur ea ad memorandum, non ad
docendum, uel diſcendum. Ex quo rationabiliter nec ſibi uiſum eſt eſſe genus do
ctrinę. Nónne in hiſce uerbis Monachus apertiſſime inſinuat, rationabiliter, & ſi-
bi & Ariſtoteli uiſum eſſe doctrinā definitiuam nō eſſe doctrinā ordinariam, imò
ſimpliciter nō eſſe doctrinā, quia per eam nō extrahitur quæſitū, ſiue non certifica
tur res eſſe, uel non probatur aliquod ignotū per notius? Si ergo Sophiſta ſuum
uult ſequi Pluſq; Cōmentatorem, fateri oportet duas tantū eſſe doctrinas ordina-
rias probātes ignotū per notius, ſiue ſcire faciētes. Qui enim probat aliquod igno-
B tum per notius, ille facit ſcire, uel ſimpliciter, ſi ex prioribus et naturę notioribus ali
quid demonſtrat, uel ſecundū quid, ſi ex notioribus nobis, ad ea quæ ſunt naturæ
notiora, & nobis minus nota, probāda proceſſerit. Atq; ita argumentū quo cōtra
nos Sophiſta utitur, in ſuū Pluſquā Cōmentatorem retorquet. Et ex huius autoris
uerbis ſimul cōtra Sophiſtā oſtendit, quod nihil differt, ſiue dicamus doctrinas ali
quas eſſe ordinarias quotcunq; numero ſunt, ſiue faciētes ſcire. Vnde uolumus eſſe
cōcluſum: Quod ſi Galenus talem in ſua propoſitione, Tres ſunt omnes doctrinę
quæ ordine habent, habuiſſet intellectū, qualem illi tribuit Pluſq; Cōmentator, cla
rius & ſuæ eruditioni cōuenientius ita ſcripſiſſet: Tres ſunt omnes doctrinæ ſcire
facientes: & quæcunq; incōuenientia ad hæc uerba ſequūtur, eadem pariter ſequi
ad opinionem & modū loquendi Pluſq; Cōmentatoris. Siquidē apud hunc auto-
rem, ordinariū extrahens quæſitū, certificās rem eſſe, probans ignotū per notius,
omnes hi loquēdi modi idem ſignificāt, quod apud Ariſtotelē methodi, ſiue doctri
nę faciētes ſcire. Poſtmodū Sophiſta ſecūdo principaliter arguit, & dicit eſſe argu
mentū, quo quidam opinantur manifeſte Modernos erraſſe, & probatur, doctri-
nam eſſe ordinem docendi per dicta Galeni in libro De conſtitutione artis medici
nalis, qui docēs in eo libro qualiter medicinā doceri quis poſſit reſolutorie, primo
proponit corpus humanū tanquam finis cognitus: Secundo reſoluit ipſum in par
tes, uel membra organica, ac de eis determinat narrādo earū naturas, quæ & qua-
les & quot ſunt eorū naturæ, ac paſſiones eorū, ſanitateſq;, & operatiões: Quarto
reſoluit mēbra ſimplicia in quatuor elemēta, declarādo quæ, & qualia, & quot ſint,
& eorū alterationes, & qualiter ex illis ſequant̄ corporū noſtrorū alterationes, ac
paſſiones ſanitatis: Hic igit̄ ponit̄ ordo doctrinæ & non ordo uiæ uel modi, id eſt,
ponit̄ ordo docendi & nō ordo demonſtrādi, Quia, uel propter quid. Nam hic po
nitur talis ordo, quod primo proponūtur magis cōpoſita, id eſt corpus humanū,

C deinde minus cōpoſita, deinde adhuc minus compoſita cōtinue, reſoluenda ipſa, & de ipſis determinādo, donec ueniamus ad elementa ſimpliciſſima, quæ ſunt ultima à medico cognita. In tali enim proceſſu apparet ordo doctrinæ reſolutiuæ, quū prius determinetur de magis cōpoſitis uſq; ad ultima, & nō ponitur ordo demonſtrandi. Et hic exercemus artem reſolutoriā per Galenum ibi: igitur doctrina reſolutiua eſt ordo reſolutionis: & ſic doctrina reſolutiua, quā hic Galenus facit, eſt ordo reſolutionis, & non ordo demonſtrandi, ut dixerunt Monachus & Hali. Hæc ac plura alia Sophiſta, plena calumniarum, plena ignorantiæ, ac garrulitatis: quæ omnia me piget recitare. Quoniā etiam ſi uere atq; ſciēter de noſtræ opinionis fundamentis ab ipſo forent relata, illa tamen quæ contrà obijcit, noſtram de tribus docendi ordinibus aduerſus Monachum atq; Halin diſputationem nihil infringunt. Quum enim dicimus, Galenum per tres doctrinas, reſolutiuam ſcilicet, compoſitiuam, ac definitiuā, ordinem habentes, intelligere potius ordines illos quos ſeruat in docendo, quum facit earum doctrinarum ſingulos, quàm modos: quoniam modi quidem doctrinarum ſunt plures quàm tres, ad minimum quatuor: ordines uero numerum ternarium nō excedunt: Non tamen propterea negamus etiam modos demonſtrandi in eiſdem doctrinis cōprehendi, quin ſæpius idem in noſtra diſputatione repetimus, doctrinam reſolutiuam quatenus doctrina eſt, à uarijs modis, quibus in docēdo utitur, ſiue ſit demonſtratio Quia, ſiue propter quid, doctrinæ nomen nanciſci: Quatenus aūt reſolutiua eſt, ab ordine reſolutionis quem ſequitur, ita denominari. Reſolutio autem, cuius ordinem doctrina reſolutiua ſequitur, ſecūdum nos non eſt illa quam Sophiſta uel pro ſuo fingit arbitrio, ut habeat maiorem nos redarguendi facilitatem, uel pro inſcitia, quia credit doctrinam à Ga

D leno traditam in libro De cōſtitutione artis medicinalis à tali reſolutione corporis humani in partes organicas, & organicarū in ſimplices, & ſimplicium in quatuor elementa, reſolutiuam nominari: Et non aduertit, nō ſolum eam medicinę partem quam ex anatome acquirimus, ſed & alias ſe ordine quodam conſequentes, ſicuti therapeuticam, diagnoſticam, prognoſticam, ſalubrem ſeu conſeruatiuam ſanitatis, præſeruatiuam ac reſumptiuam propter ſanitatem, uel perditam recuperādam uel præſentem conſeruandam, quæ fuit notio finis, in eodem libro inueſtigari atq; doceri. Hæc autem eſt uera reſolutio ſeu methodus reſolutionis ſecundum Galenum, quū proponitur finis, deinde inquiruntur illa per quæ eundem finem poſſimus attingere, nunquam ceſſante inquiſitione, donec ad aliquid ultimum perueniamus, quod ſit actionis principium. Hac methodo reſolutionis uſus eſt Ariſtoteles ad inueniendas omnes logicæ partes ordine ſuo, ſcilicet reſolutiuo, quas deinde docuit ordine compoſitiuo: Vt pulchre declarat Simplicius in expoſitione libri Prædicamentorum. Videat ergo Sophiſta quid ad ſuam & Pluſq; Cōmentatoris poſitionem cōſequitur: Si doctrina reſolutiua eſt demonſtratio propter quid, tunc doctrina reſolutiua fuiſſet inuenta ex doctrina reſolutiua: & ſic eſſet progreſſus in infinitū. Sed quia Sophiſta barbarus, paruam adhibet fidem gręcis Ariſtotelis expoſitoribus, eiuſdem reſolutionis exemplum, quæ à fine propoſito ſumit initium, quærat apud Ariſtotelem & Auerroim eius Cōmentatorem libro ſeptimo de prima philoſophia, textu Cōmenti uigeſimitertij, ubi Cōmentator ſcribit hæc uerba: Et quū infirmus eſt modo ſanus, neceſſe eſt fluxus naturæ fuerit: & ſi fluxus naturæ fuerit, neceſſe calorē fuiſſe: & ſi calor eſt, neceſſe eſt laxatiuū potaſſe. Et hoc intendebat, quū dixit: Et ſi hoc eſt, iam fuit calor. Deinde dicit: Et ſecundū hunc modum dicemus unum poſt aliud ſecundū diſſolutionē. Et quāuis ſciam hunc locum apud Ariſtotelē in translatione arabica nō ſatis fideliter haberi interpretatū, & ob

eandem

A eandẽ cauſam male à Cõmentatore in pluribus uerbis ſuæ expoſitionis declarari:
ſatis tamen mihi eſt ex uerbis huius autoris, cui Sophiſta fidem non audet denega
re, probare Sophiſtæ talem uiam ſeu methodum, in qua propoſito fine unum poſt
aliud quæritur, per quod eundem finem poſſimus attingere, fieri ſecundũ reſolu=
tionem, ſeu diſſolutionẽ, ut loquitur Cõmentator, & non ſecundũ demonſtratio=
nem propter quid. Sed quid opus eſt ubi de Galeni opinione diſputatur, alijs ma
gis, quàm ex ipſo Galeno ſumptis arguere autoritatibus? ſicuti enim Ariſtoteles
ex Ariſtotele eſt intelligendus (ut pleriq; Peripateticæ ſectæ familiares philoſo=
phi ſentiunt) ita ex Galeno ipſo Galenus. Clarum eſt autem apud hunc autorẽ (ut
in prima ſtatim ſui De arte medicinali tractatus enunciatione manifeſtat) doctrinã
reſolutiuam præire doctrinæ compoſitiuæ: hæc enim, ut inquit, fit ex compoſitio=
ne ſecundum reſolutionem inuentorum. Rurſus ergo Sophiſta animaduertat ad
quod incõueniens, quo nihil poſſit abſurdius excogitari, cum ſuo Piuſq; Cõmen
tatore perducitur, ſi doctrina reſolutiua eſt demonſtratio propter quid, doctrina au=
tem cõpoſitiua eſt demõſtratio Quia, tunc erit neceſſariũ, ut ſemper incipiamus à
demonſtratione propter quid, anteq; faciamus demonſtrationẽ Quia. Hoc aũt eſt
contrarium ei quod fit in ſcientijs: nam ſi principia dubia ſunt & incerta, atq; ideo
demonſtrabilia, demonſtratio Quia antecedit demonſtrationẽ propter quid. Quẽ
ordinẽ uidemus ſeruaſſe Ariſtotelẽ circa initia primi libri De phyſica auſcultatio=
ne: ut in ſua Paraphraſi Themiſtius oſtẽdit, qui primũ dubitat, quomodo fieri poſ=
ſit, ut quicq; de principijs demonſtretur: Nam ſi demonſtratio ex prioribus exiſtit,
priora inueſtigantes principiorũ, principia inuenire uelle uidebimur. Soluit autẽ
Themiſtius hanc dubitationẽ hoc modo: Id quod prius eſt dupliciter ſolet referri,
B & ad nos, & ad naturã: Nobis ea priora uidentur eſſe, quę notiora ſunt nobis, quæq;
facilius poſſumus deprehendere, quemadmodum nomina & ſyllabæ manifeſtiora
q̃ literæ ſunt: Natura autẽ priora ſunt illa, quæ ex ſua ſubſtantia ſimpliciora quoq;
habentur, quemadmodũ literæ ſimpliciores ſunt quàm ſyllabę: Cõtrarius uero eſt
utrinq; proceſſus: Nos ex cõpoſitis ad ſimplicia, utpote naturę priora reſoluimus:
Natura cõtrà ex ſimplicibus cõpoſita fabricatur. Quum igitur cõpoſitorum ratio
nem exquirimus, ea ex naturæ prioribus indicare oportebit: Quũ uero de princi
pijs agimus, ex his quæ priora ſunt nobis: & eſt illa quidẽ propria demonſtratio:
hæc uero quanq; nõ propria, tamen ſufficiens ad demonſtrãda ea quæ uolumus.
Si uero Sophiſta barbarus nõ uult Themiſtio propter elegantiã orationis præſta=
re fidem, credat Auerroi eandẽ ſententiã ſermone barbaro, quẽ melius intelliget,
textu Cõmenti ſecũdi, in eodem lib. Phyſicæ auſcultationis, declarãti. Quia tamen
Sophiſta nõ adeò philoſophus quantũ etiã medicus uideri cupit, poſt multa notan
da, quæ uſq; ad quinariũ numerum extendit uere notanda, id eſt nota digna: licet
ipſe in alio accipiat hoc uerbũ ſignificato, ſcilicet à diſcipulis in memorię theſauris,
tanquam præcioſa recondenda, quæ tamen ego nõ tanti facio, ut uelim ſingula re=
fellendo tempus cõterere. Poſt inquam multa notanda, plura etiã ſua dicta Sophi
ſta ponit, quæ ait eſſe ad mentẽ Galeni, quæ etiã breuitati ſtudẽs, nolo recitare, uel
cõfutare: neq; enim tãtæ eſt Sophiſta autoritatis, ut debeamus ex ſuis notabilibus
quicq; aſſerenti credere: Solum ubi male Galenũ citat, ad ſuarũ nugarũ, quas dicta
uocat, corroborationẽ, ibi conabimur Sophiſtã garrientẽ, & fruſtra ſe Galeni au=
toritate munientẽ, demonſtrare. Vnũ dictũ, uel potius nugamentũ Sophiſtæ eſt,
quod doctrina, uel cognitio reſolutiua fit per demonſtrationẽ, propter quid: Et di
cit hoc probari per multas Galeni autoritates: ſed per unam præcipue in libro De
cõſtitutione artis medicinalis cap. tertio, ubi ita ſcribit: Sicuti igitur qui iam factam

C domum ſcire uolunt qualis ſit, ex eius reſolutione & diſſolutione ueniunt ad eius notitiam: ſecundũ eundem modũ & nos ex anatomia cognoſcimus corpus hominis. Super hac autoritate, inquit Sophiſta, fundo talem rationẽ: Ex reſolutione & diſſolutione domus, ego uenio in cognitionẽ eius qualis ſit. Ponatur quod talis cognitio ſit A, tunc ſic A eſt cognitio reſolutoria, habita ex reſolutione et diſſolutione intellectuali ipſius domus, ſed ipſa nõ fit ex his, ſcilicet ex reſolutione & diſſolutione, niſi quia per reſolutionẽ & diſſolutionẽ inueniunt̃ media, ut partes domus, uel hominis, quibus generat̃ A cognitio de domo, uel de homine. Sed omnia media collocãtur in aliquo antecedente alicuius uiæ, uel modi, uel diſcurſus: igitur à talibus medijs, uel propoſitionibus, in quibus collocant̃, diſcurro ſupra reſolutũ, ut à partibus ad totum, ſcilicet domũ, uel hominẽ: igitur facio demonſtrationem propter quid, quũ ſit à prioribus & propinquis, & cætera. Igitur cognitio reſolutoria & doctrina reſolutiua ſumpta, fit per demonſtrationem propter quid, in qua collocantur media inuenta per reſolutionẽ, à quibus ſupra reſolutũ me cõuerto. Hæc omnia Sophiſta ad literã: & mox ſubiungit, quod ex tali argumentatione ſic intellecta ſequunt̃ *illa ſeptem dicta, quæ ſuprà primo* poſuerat ad mentẽ Galeni, ut ipſe inquit. *Hęc ſophiſta* loquax, qui multa uerba ſcribit, ut quãto magis nugatur, *tanto plus* lectores imperitos in ſui admirationẽ cõuertat, qui putat ſcribentiũ *obſcuritatẽ* eſſe ſapientiam: nam hoc quoq; in loco Sophiſta more ſuo, ne ſua inſcitia deprehẽdatur, argumenta quædam Cimmerijs tenebris inuoluta proponit. Et ut ea magis obſcuret, terminis utitur nihil ſignificantibus, A ſcilicet & B. ut qui de Grammatica ſaltem didicerit alphabetũ. Non tamen latebit illos, qui ſciunt, quid ſit demonſtratio propter quid, qua uult Galenum Sophiſta uti in libro De conſti-

D tutione Artis medicinalis, ut probet opinionem Monachi de doctrina reſolutiua ſententiæ Galeni in eodem libro eſſe congruentem: ſed quàm bene probet, uideamus. Vis totius argumentationis (ut multa uerba Sophiſtæ in pauca conijciam) cõſiſtit in hoc: A partibus domus uel hominis, quæ ſunt inuentæ per reſolutionẽ, diſcurro ſupra reſolutũ, totam ſcilicet domum, uel hominẽ: & ex eis tanquam cauſis prioribus atq; propinquis facio demonſtrationem propter quid: igitur doctrina reſolutiua, uel cognitio reſolutoria fit per demonſtrationem propter quid. Primum hoc argumentum nihil contra nos, qui non negamus, ut ſæpe diximus, doctrinam reſolutiuam, docendo artem medicinalem, uti tam demonſtratione propter quid, q̃ demonſtratione Quia: Et in demonſtrandi modis nõ differre à duabus alijs doctrinis, cõpoſitiua ſcilicet & definitiua: ſed ordine tantũ, quem ſeruat reſolutiuũ, ſcilicet eſſe diuerſam. Si uero Sophiſta putat in doctrina reſolutiua unum tantum eſſe uſum demonſtrationis propter quid, magno eſt in errore. Prima enim demonſtratio quam Galenus facit poſt diſſolutionẽ hominis in partes proximiores & remotiores, eſt demonſtratio Quia: qua probat, autorẽ Hippocratẽ talis demonſtrationis ſecutus, hominẽ nõ eſſe corpus ſimplex, ſed ex quatuor elementis cõſtare, alioquin non doleret. Sophiſta igitur qui ubiq; ſe iactat ſcribere concluſiones ad Galeni mentem (ſic enim ipſe loquitur in omni expoſitione uerborum Galeni) Galenum lacerat, & ei ſenſus quos autor ille nunquam excogitauit, adſcribit. Quoties Sophiſta in ſua queſtione adducit uerba illa Galeni in proœmio libri Galeni De cõſtitutione artis medicinalis: Promitto tibi ô Pamphile methodum in demonſtrationibus oſtendere: Quæ tamẽ uerba Sophiſta mala recitat fide, & ad ſententiã lõge diuerſam ab ea, quã Galenus in eo proœmio habuit, extorquet. Galenus ſiquidẽ in eodẽ proœmio uolens Patrophili deſiderio ſatisfacere, qui omnia uolebat cum demonſtratione & methodo diſcere, pollicet̃ ſe ei oſtenſurum, quod

una

A una & eadem methodus, ſicuti alias artes uniuerſas, ita & medicatiuam conſtituit. Quod autem hoc ſit Galeno propoſitum in libro De conſtitutione artis medicinalis, docere ſcilicet amicum ſuum non demonſtrandi uiam ex prioribus ſecundum naturam, & propinquioribus, ut ſophiſta putat, patēre poteſt non ſolum ex his, quæ in proœmio libri De conſtitutione artis medicinalis à Galeno ſcribuntur, ſed etiam ex alijs, quæ circa finem operis ab ipſo ſubnectuntur, quodnam fuerit ſuum in eodem opere inſtitutum, luce clarius oſtendentia. Sunt autem hæc: Non oportet unumquodque tranſire ſermone propoſito, quem ſuppoſuimus, iam completo. Hoc in loco fatetur Galenus ſuum compleuiſſe propoſitum, & quodnam illud fuerit, ſtatim ſubiungit, ita ſcribens: Præiacet enim non de omnibus partibus medicatiuæ ſecundū exampliationē pertranſire, ſed oſtendere qualiter ex finis notione, ſicuti aliarum artium, ita & huius cōſtitutio fiat. Liquet ergo Sophiſtam ubiq; ex malo intellectu uerborū Galeni, leuia & inania argumenta fabricare. Clarum eſt etiam hunc hominem, qui magnus philoſophus, & in demonſtrandi ſcientia præcipuus haberi uult, etiam in hac parte pueriliter aberrare, ut qui logiculā tantum Pauli didicerit, Ariſtotelicæ autem diſciplinæ ſit penitus expers: putat enim ex partibus domus, aut hominis aliquid poſſe de totis demonſtratione concludere, & quidē potiſſima, ſeu propter quid. Si uero Ariſtotelem libro ſeptimo De prima philoſophia legiſſet, aut intellexiſſet (ſæpius enim hunc autorem in eodem libro, non tamen à ſe intellectū, in ſua quæſtione citat) in hunc errorē prolapſus non fuiſſet, ut putaret partes domus uel hominis eſſe natura totis ipſis priores. Nam ſummum philoſophum Ariſtotelem ſenſiſſe contrarium, patet ex his, quæ ab eo libro paulò ante allegato ſcribuntur, in hunc modum ſecūdum translationem græcam, quæ fidelior eſt, atq; ideo clarior arabica: Quoniā autem definitio ratio eſt, &
B omnis ratio partes habet, ut autem ratio ad rem, & pars rationis ad partem rei ſimiliter ſe habet: dubitatur iam, an oporteat rationem partiū eſſe in totius ratione, an non: in quibuſdam enim uidetur eſſe, in quibuſdam non. Nam circuli ratio nō habet eam, quæ inciſionum: quæ autem ſyllabæ, habet eam, quæ elementorum, & tamen diuiditur in inciſiones, ut ſyllaba in elementa. Amplius autem ſi priores ſunt partes toto, & recti acutus eſt pars, & digitus hominis, prior erit acutus recto & digitus homine. Videntur autem illa eſſe priora ſecūdum rationem, nanq; dicuntur ex illis & ineſſe ſine inuicem priora. Hæc Ariſtoteles ad literam libro allegato textu Commenti trigeſimitertij. Quem locum Sophiſta facile inueniet, quia tantum de Arithmetica didicit, quantum ei ſufficit ad numeranda Commenta Auerrois: ſed nō æque facile intelliget, quia Geometriæ eſt prorſus ignarus, ex qua diſciplina frequenter Ariſtoteles affert, ut hoc in loco uidemus, exempla. Sed quoniā ſophiſta in ſua quæſtione fingit, ſe uelle me amicitiæ cauſa non pauca docere, uolo ei nunc uicem tribuere, & etiā cum fœnore pro nugis ab ipſo acceptis, uberiorē ac ſolidiorē illi doctrinā rependere. In uerbis ſuprà adductis Ariſtoteles duas proponit dubitationes. Prima talis eſt: Quum definitio oratio quædā ſit, omnis autē oratio habeat partes, ſicuti autem tota oratio & definitio ad totum definitū, ita & partes definitionis ad partes definiti, dubitatur nunquid partes definitionis partiū, id eſt, partes ipſæ, etenim definitio partis ipſa pars eſt, inſint in definitione totius: ut ſiquis, uerbi gratia, dicat, definitionē hominis eſſe animal rationale habens manus & caput, aut non inſint. Cauſam aūt huius dubitationis apponit inquiens, quoniā in aliquibus uidentur ineſſe, & in aliquibus non: ſiquidē in circuli definitione non ineſt definitio ſectionū circuli, id eſt, ſectiones ipſæ: neq; enim dicimus, quod circulus eſt figura plana ab una linea contenta, à cuius centro omnes lineæ ductæ ad

C circunferentiam ſunt æquales, habens duas ſectiones. Et tamen in definitione ſyllabæ ineſt definitio literarum: Dicimus enim ſyllabam eſſe collectionem conſonantis cum uocali. Quare partes ſyllabæ inſunt in definitione ſyllabæ. Cur ergo non idem in circulo ſit, quum æque circulus in ſectiones diuidatur, ſicuti ſyllaba in literas? Huius primę dubitationis ſolutionem ſophiſta quærat apud Ariſtotelem, uel Auerroim eius expoſitorem: Neque enim minus digna eſt, ut in ea ſui ingenij acumen ſophiſta exerceat, quàm olim quũ logiculã Pauli doceret, in dato quod eſſet, fatigauerit in aſſignanda ratione, ob quam autor ille hanc quoq; particulã ſuæ terminorũ ſecundæ intentionis definitioni adiungendam iudicauerit. Nos ad ſecundam dubitationem properamus, atq; eius ſolutionem, quæ magis pertinet ad propoſitum noſtrum, quo probare intendimus cõtra ſophiſtam, ex partibus domus, aut hominis, tanquam ex prioribus & notioribus ſecũdum naturam, nullam fieri de ipſis totis demonſtrationem propter quid. Secũda ergo dubitatio apud Ariſtotelem (ut uerba etiã ipſius ſuperius adducta indicant) talis eſt: Nũquid partes priores ſint toto, uel non. Partes dico materiales integrantes aliquod totũ: de his enim noſtra eſt diſputatio. *Dicat enim aliquis, ut fortè ſophiſta, qui* ex his facit demonſtrationẽ pro*pter quid*, eas eſſe priores totis, tunc id ſequeſ abſurdũ, quod ex tali dicto *infert Ariſtoteles*: Si enim, inquit, partes ſunt priores toto, eſt autem angu*lus acutus* pars recti, & digitus hominis, tunc angulus acutus erit prior recto, et di*gitus* homine, hoc autem eſt falſum. Quæ enim ponuntur in definitione alicuius, priora ſunt ipſo definito: in definitione autem partiũ ponuntur tota, ergo tota ſunt priora partibus, & non contrà, ut ſophiſta innuit. Quod autẽ tota ponantur in definitione partium, ſi fortè ſophiſta neſcit, diſcat à Geometris, uel potius ab Ariſtotele, qui Geometras citat, qui angulum acutum ita definiunt: Angulus acutus eſt, qui recto minor eſt.

D Sic ſi philoſophus aut medicus digitum definiret, diceret: Digitus eſt talis pars hominis. Alia ratione probat Ariſtoteles, quod tota ſunt priora partibus. Illa enim quæ ita ſe habent, quod uno perempto perimitur alterum: non autem contrà: illud, quo perempto perimitur alterum, hoc autem abolito, ipſum nõ aboletur, prius eſt alio quod unà ſecum perimit, quia ergo perempto homine, perimitur digitus: perempto autem digito non perimitur homo, ideo dicimus hominem digito eſſe priorem. Primam rationem probantem partes nõ eſſe priores toto, nobis inſinuat Ariſtoteles per illa uerba: Amplius autem ſi priores ſunt partes toto, & reliqua. Secundam per illa alia: Et ineſſe ſine inuicem priora. Quam rationem tangit etiam Ariſtoteles libro quinto De prima philoſophia, ubi oſtendit unitatem eſſe priorem dualitate, quia unitas poteſt eſſe ſine dualitate: dualitas autem nõ poteſt eſſe ſine unitate. Et hoc eſt quod ait, ineſſe ſine inuicem, hoc eſt, alterum ſine altero oſtendere, prioritatẽ unius reſpectu alterius. Illud enim eſt prius quod poteſt eſſe ſine alio. Totum etiam prius eſt, quia perfectius, & ideo prius ſecundũ naturã. Nec obſtat, quod partes materiales ſint priores generatione, quod etiam teſtatur Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animaliũ, ubi ſecundũ tranſlationem Theodori ſcribit in hunc modum: Sed quum cõtrà in generatione atque eſſentia agatur, quæ enim p oſteriora ſunt generatione, hæc natura priora ſunt, & quod primum eſt natura, id eſt ultimum generatione: Nõ enim ædes laterum aut lapidum gratia ſunt, ſed hæc gratia ædium petuntur. Hactenus quidem Græcorũ autorũ atq; interpretum teſtimonijs, quorũ fidem ſophiſta habet ſuſpectam, contra hominem egimus. Verum homo barbarus nũquam acquieſcet, niſi Auerroim autorem barbarum aliquo textu Commenti numero appoſito idem cum Ariſtotele ſentiẽtem allegauero. Nam noſtri temporis philoſophia ad hoc perducta eſt, ut

ſine

A ſine autoritate Auerrois nihil probetur. In hac tamẽ dubitatione eam adducere ſu peruacuum uidetur, quum neminem lateat hoc eſſe præcipuũ Auerrois dogma, partes materiales non cõplere eſſentiam definiti, ſed formales tantũmodo: Et ideo has eſſe natura priores definito, illas uero poſteriores. Sicuti ergo ex his quæ ſunt natura poſteriora nõ fit uera definitio, ita neq; uera demõſtratio, ut ait Ariſtoteles libro ſexto Topicorũ. Et hoc eſt quod contra Sophiſtam probare intendebamus, non recte arguentẽ ex partibus, in quas uel domus uel hominis ſit facta reſolutio, fieri demonſtrationem propter quid, ut ex hoc cõfirmaret opinionem Monachi, uolentis doctrinam reſolutiuam, de qua Galenus loquitur, eſſe demonſtrationem propter quid. Fortè hæc Sophiſta legens, contrahet frontem, quoniam ægre feret ſe trahi à ſophiſmatibus & conſequentijs Strodi ad ueram logicam, & ueram Ariſtotelis philoſophiam. Mallet enim Sophiſta de tribus ſeruis geſtãtibus pileos, & de conſequentijs bonis, de materia atq; de forma, q̃ de definitionibus & demonſtrationibus, quarũ præcepta tradit Ariſtoteles, diſputare. Aliquando tamen Sophiſta fingit ſe neq; in his, neq; illis diſputationibus uelle immorari, quoniam nollet ſe à medicina (ut eius utar uerbo) abalienare. Fingere autem in hoc Sophiſtam diximus, quia in eius quæſtione de tribus doctrinis ordinatis, nullam uidi concluſionem uere medicinalem: Imò ubi occaſio dabatur de rebus non parui ad uitã humanam momenti, diſſerendi, ea prætermiſſa, ad uerba & garrulitatem ſe Sophiſta conuertit. Ego autem qui ſyncero animo, & nõ ſimulato tales abhorreo de nugis contentiones, quæ nullam afferũt ad finem artis medicinalis aſſequendum utilitatem, conatus ſum quoad potui, & deinceps magis enitar ab his retrahere pedem, & ad illa transferre ſermonem, quæ aliquam bonam frugem legentibus præbere
B poſſint, & diſpendium temporis euitare. Quæſtionẽ de ſpondylis, quæ potuit eſſe medicinalis, Sophiſta fecit grãmaticalem: & nihil mentiri ueritus, in me hanc culpam reiecit. Sed hanc impudentem Sophiſtæ calumniam ſuprà confutauimus, & nunc magis confutabimus, ipſam medicinaliter pertractantes: & ubi Sophiſta putat eſſe difficultatẽ, nullam eſſe difficultatẽ oſtendentes: ubi magna dubitandi datur occaſio, eas dubitationes quas Sophiſta non animaduertit, ſoluentes, & quod ab initio nos facturos polliciti ſumus, multiplicem illi doctrinã pro ſuis nugamentis referentes. Cõtrouerſia eſt inter me ac Monachũ, de ſpondylis dorſi: nõ utrum ſpondyles, uel ſpondylos dicere debeamus: nam barbaris autoribus libertatẽ concedimus, modò in rebus ipſis non decipiantur, loquendi ut uelint: ſed quot ſint numero ſpondyli, & in quot partes diuidantur. Præcipue autẽ de hoc fuit noſtra contentio, quum legimus ſpondylos dorſi apud Galenũ, an illud uerbum, dorſi, figurate adijciatur, an diſcretionis gratia: quum totius ſpinæ ſpondyli ſint numero uigintiquatuor, ſeptem colli, duodecim dorſi, quinq; lumborũ. Nos talem figuratam locutionem in Galeno non admittimus. Licet forte Hippocrates ea aliquãdo utatur, cui propter antiquitatem etiam ſolœciſmus à Galeno conceditur: Vt in illo aphoriſmo ſeptimę particulæ aphoriſmorum, Alyces, oſcitationes: quod orationis uitium licet in antiqua translatione aphoriſmorũ & Cõmentationum Galeni non appareat, ſecundum tamen interpretationem nouiſſimã Nicolai Leoniceni præceptoris mei, quem quidẽ interpretem & ipſe Sophiſta in ſua quæſtione probat, manifeſte deprehenditur, ipſo Galeno in ſua expoſitione teſtante, fuiſſe nõnullos qui antiquam ſcripturam in hoc aphoriſmo cõmutarunt, legendo alycem & oſcitationem, & rigorem, nõ caſu nominatiuo, ut in ueruſtis codicibus legebatur, uitandæ figuræ gratia, quæ ſolœcophanes nominatur. Hippocratem etiam uſum fuiſſe ſermonibus tropicis, & lingua apud alios medicos inuſitata, teſtatur Galenus in ex-

De ſpondylis controuerſia.

C poſitione libri De articulis eiuſdem autoris: adeò ut idem Galenus polliceatur ſe æditurum librum de modo loquēdi Hippocratis, tanquam ab aliorū medicorum elocutione diuerſo. Vtrum autē Hippocrates incaſſum apponat aliquando nomina, nullius diſcretionis gratia, & dicat, ſicuti Homerus apud Græcos, oleum humidum, lac album: quum omne lac ſit album, & oleum humidum: Et apud Latinos Virgilius, ſydera cœli, quum tamen ſydera nō ſint, niſi in cœlo: quiſpiam nō temere dubitauerit: Quoniā Galenus in libro De comate talia appoſita ſuperuacua, & ſolis poëtis, non autem oratoribus, ac multo minus philoſophis, medicisq́; cōceſſa, Hippocrati omnino adimit: & uult in libris huius autoris omne uocabulum, & omnem ſyllabā aliquid ſignificare, hoc eſt, non eſſe ſuperfluam dictionem, ſed alicuius ſignificantiæ gratia apponi. In quibuſdam autem aphoriſmorū expoſitionibus idem Galenus (ſi quis eius uerba rudius intelligat) uidetur ſentire cōtrarium: Quo rudiore intellectu Sophiſta ductus, multas nugationes medicis in ſua quæſtione non ueretur tribuere, tum ex Hippocratis, tum etiam Galeni, tum etiā Ioannis Alexandrini Hippocratem exponentium autoritatibus. Hæc ſunt Sophiſtæ uerba, Monachum nō eſſe reprehendendum arguentis, etiam ſi aſſeruiſſet hunc ſermonē ſpondylem *dorſi recte ab Hippocrate, atq; alijs* grauioris autoritatis medicis uſurpari: *quoniam*, ut inquit, non inconuenit duas dictiones inuicem iungi, quarū *una nihil im*portat, quod nō ſit incluſum in alia: ut in quarta particula aphoriſmorum, Commento quadrageſimooctauo, ubi dicit Hippocratem in libro De *iuncturis*, uel articulis uertebræ ſpinæ, non quod uertebræ ſint in aliqua alia parte corporis, ſed quia uertebris hoc eſt proprium, ut ſint in ſpina: Vel ſecundum antiquam & fidelem interpretationē Hippocratis, ibi dixit ſpondyles dorſi, ubi monſtrat ſpondyles nuſquā eſſe niſi in dorſo. Similiter hic in febribus deficientibus, in D quibus inferiora ardent, poſuit, Li, nō deficientibus, ad denotandū quod ſolum eis non deficientibus hoc ineſt, ut interiora ardeant. Demū Sophiſta ſubiūgit: Vnde, ſiue libri dicant Vertebræ, ſiue ſpondyles, ſiue dicant dorſi, ſiue ſpinæ, ſemper habeo intentum, duas ſcilicet dictiones inuicem iungi, quarum una nihil dicit quod nō ſit incluſum in altera. Non ſatis Sophiſtæ fuerat ſemel in principio ſui ſermonis erraſſe, niſi eundem errorē etiam in cōcluſione repeteret, ut magis ac magis ſuam inſcitiā manifeſtaret, qua omnes medicos nugaces facit, ſi nō ſit indecens eis duas dictiones inuicem iungere, quarum una nihil dicit quod nō ſit incluſum in altera: Licebit ergo eis dicere, hominem animal: Quod dictum nugatio ab Ariſtotele, in libro primo Elenchorum, & ſexto Topicorū, & ſeptimo De prima philoſophia iudicatur: In homine enim actu includitur animal. Vnde nonnulli logici maiorē nugationem fieri putant, quando ſpecies præponitur generi, q̄ quando genus præponitur ſpeciei: quæ maior nugatio in medicis admittiť à Sophiſta, nō exiſtimante fortaſſis, ſe illos, ſi ſui ſimiles in nugando faceret, infamare. Poſſem ego hoc maximum non ſolum in Dialectica, ſed uniuerſa philoſophia, & præcipue medicina nugationis uitiū pluribus rationibus ex Ariſtotele ſumptis in libris paulò antea allegatis, improbare, niſi fugerē prolixitatis faſtidiū: & illud etiam cauerem, ne uiderer materiam medicinalem, qualis eſt iſta de ſpondylis, contra promiſſum aliter q̄ medicinaliter pertractare. Redeo igitur ad aphoriſmos Hippocratis & Galeni Cōmentationes, ex quibus non ſanè intellectis Sophiſta ſuum Pluſq́; Cōmentatorem debiliter defendit. Neq; enim in quadrageſimooctauo aphoriſmo quartæ particulæ Galenus conſtanter aſſerit, quod in febribus nō deficientibus ſolis tales caſus appareant, ut ſcilicet exteriora frigeant, interiora ardeant: quinpotius ſtatim in principio ſuæ Cōmentationis dicit, diligentius cōſiderandū fore, an etiam in deficientibus

A cientibus iſtud poſſit cõtingere. Si enim foret poſſibile, nõ fruſtra in aphoriſmo diceretur, in nõ deficientibus febribus, ſed diſtinguẽdi gratia ab alijs febribus intermittẽtibus, in quibus caſus dicti nõ eſſent mortales. Quia uero Galenus fatetur ſe nunquam uidiſſe eos, niſi in febribus nullam intermiſſionẽ habẽtibus, ideo cum dubitatione tandem pronunciat, uideri illa uerba, in nõ deficientibus, nõ diſtinctionis gratia in aphoriſmo appoſita, ſed ſimplicẽ factam eſſe appoſitionẽ, ſimilem illi, quæ habetur in libro De iuncturis ubi ſcribit: Spondyli autem ſecundum ſpinam, non tanquam alibi ſint ſpondyli, quàm in ſpina. Sed ſicuti ita dixiſſet: Spondyli, ſeu uertebræ (ſi latine loqui uolumus) quibus ineſt ut ſint in ſpina. Hæc autem expoſitio Galeni in hoc loco non uult Hippocratem adieciſſe ſpondylis uerbum, ſpinæ, uel dorſi, alicuius utilitatis gratia ad rem, noſtrumque intellectũ attinentis, ut Sophiſta interpretatur: qui niſi nugari uolebat, nugationẽ defendendo dicere debuit, quæ utilitas nobis accreſcat, & in quo intellectus noſter magis illuminet, ſi quis dixerit ſpondylos ſpinæ, & nõ ſpondylos tantũ. Sanè intellectus bene diſpoſitus, qualis eſt in philoſopho, & nõ in Sophiſta, æque intelligit quid ſignificet ſpondylus, ſicuti quid ſignificet ſpondylus ſpinę. Recte aũt Ariſtoteles ait, lib. quinto Topicorũ, illa eſſe ſimpliciter notiora, non quæ uulgò notiora ſunt, ſed hominibus ſanam habentibus mentẽ: Sicuti & quod eſt ſalubre ſimpliciter, nõ ex corporibus male affectis, ſed integra ſanitate fruentibus, iudicatur. Si ergo Sophiſtæ deliro uidetur notiorem eſſe ſpondylum ſpinæ, quàm ſpondylum, ſapienti nõ uidetur. Audi hominis imperitiam: putat eſſe Pleonaſmũ, ſeu ſermonem ſuperuacuũ, ſi quis dixerit, uideo oculis, & ore loquor: quũ tamen defendi poſſit in his ſermonibus nullũ eſſe uitium, quia & acie mentis uidere dicimus, nõ ſolum oculis: & amantes nutibus lo

B qui, non ſolum lingua. Illa autẽ quæ ſunt apertiſſima nugamenta, nititur excuſare. Sed hæc Sophiſtæ deliramenta nõ audeo multũ refellere, ne ipſe magis uidear delirare. Ad Galenum noſtrum reuertamur, cuius neque uerba neque ſenſum Sophiſta fideliter recitat. Hic ſanè autor, Galenũ dico, ſermonũ Hippocratis fidelis expoſitor in loco ipſo, in quo Galenus talia uerba ſcribit, in libro uidelicet De articulis, duplicem affert eorundem uerborũ expoſitionẽ: Primam, quam etiam in aphoriſmo ſuprà memorato attulit, quæ (ut uerũ fatear) nõ omnino Hippocratem à uitio ſermonis liberat: & ideo fuit, ut dixi, cum quadam dubitatione à Galeno prolata, licet poſſit propter autoris antiquitatẽ ſicuti Solœcophanes tolerari. Alteram quæ ſermonem Hippocratis omnis uitij expertem facit, quam ubique ferè Galenus approbat, & primæ, ut mox docebimus, anteponit. Expoſitio quã dixi Galeni in loco proprio libri De iuncturis, & duplex, ita ſe habet: Spondylos ſpinæ, non tanquam etiam in aliqua alia parte corporis ſpondyli ſint, adiecit ſpinæ: ſiquidem omnium ſpondylorũ compoſitura ſpina nominatur: Verum ac ſi ita dixiſſet: Spondyli, quibus & illud ineſt, quod in ſpina ſunt. Hæc eſt prima expoſitio ſcripta etiam in commentatione aphoriſmi, ut dixi. Deinde ſubiungit ſecundã potiorem per hæc uerba: Quidam tamen ex his medicis recentioribus nolunt totam ſpondylorum compoſituram nominare ſpinam, ſed ſolum illorũ, qui ad thoracem pertinent, & lumbos, ſecũdum quos medicos nunc uidetur Hippocrates non de his ſpondylis qui ſunt in collo loqui, ſed de his tantũ, qui ad lumbos pertinent, & noton, id eſt, dorſum. Hæc ſecũda expoſitio miſerũ Sophiſtam deſtruit, qui in exponendo Hippocratem, dum uult plus Galeno ſapere, deſipit. Ex hac enim expoſitione manifeſtatur, non ideo appoſitum eſſe uerbum ſpinæ poſt uerbũ ſpondyli, ut nobis notificaretur, id quod importatur per unam dictionẽ eſſe incluſum in ſignificato alterius: Imò ut potius indicaretur oppoſitum, aliud ſignificare dictionem ſpondyli ſimpli-

C citer prolatam, aliud cum adiectione ſpinæ: Quum enim dicimus ſpondylos, plus ſignificamus, quàm dicendo ſpondylos ſpinæ: per ſpondylos enim omnes ſpondylos poſſumus intelligere, qui ſunt numero uigintiquatuor, ſeptē colli, duodecim dorſi ſeu thoracis, & quinque lumborū. Quum autem dicimus ſpondylos ſpinæ, excludimus ſpondylos colli, qui nō includūtur in ſpina, iuxta ſignificatū uerbi ſpinę apud medicos recentiores, quibus uidetur hoc in loco Hippocrates conſenſiſſe. Ex hac ſecunda Galeni expoſitione duo cōtra Sophiſtam demonſtrantur, quod quum dicimus ſpondylos ſpinæ ſecūdum Hippocratem & græcos medicos recentiores, qui fuere in eodē uerbi ſpinę ſignificato cōcordes, non illius utilitatis gratia, quam Sophiſta ſomniauit, ſed ſolū diſcretionis cauſa dicimus, ut diſtinguamus ſpondylos ſpinæ à ſpondylis colli: Et ita omne ſermonis uitiū euitatur, quod etiam docuit in alijs expoſitionibus aphoriſmorū, quas Sophiſta citat, euitare Galenus: licet Sophiſta uerba Galeni tanquam pica recitans, & non intelligens, eas adducit pro ſe, quæ tamen faciunt cōtra ipſum. Nam & Cōmentatio aphoriſmi uigeſiminoni, ſeu ſecundū aliū ordinem trigeſimi, duplici ratione Sophiſtæ aduerſatur: & ratione ſcilicet primæ expoſitionis *euidentius: & ratione etiam ſecūdæ, ſi* quis ſignificatū huius uerbi *ſimpliciter, ſiue* ſimplex apud Gręcos intelligat. Quod quidē multiplex eſt, ut *teſtat̄* Ammonius in expoſitione uerborū Porphyrij, quū dicit: Videtur aūt neque genus, neque ſpecies ſimpliciter dici: Verbum, ſimpliciter, inquit Ammonius, quadrupliciter dicitur, ſignificat enim uniuerſaliter, quo ſignificato utuntur Rhetores, quum ita loquuntur, ut ſimpliciter dixerim: Aliquando ſignificat proprie, ſecūdum quod ſignificatum Ariſtoteles nominat ſimplicem generationem, id eſt propriam. Aliquādo ſignificat fruſtra, & nullius cauſa, ſicuti dicimus aliquem ſim-

D pliciter fuiſſe uerberatum, id eſt, ſine cauſa. Aliquando ſignificat uno modo, ſicuti quum dicimus, ſimplicem eſſe ueritatem, id eſt, unius modi. Hanc multiplicē huius uocabuli, ſimplex, ſignificationem, neceſſarium fuit antea docere Sophiſtam, ut ſciat ſe allegare aphoriſmū, quem non intelligit: neque poteſt intelligere propter falſam cōmentationem quam ſequitur, & quæ illi eius erroris dedit occaſionem, quo putat licere medicos frequenter nugari, & dicere ſicuti poëtæ, Lac albū, oleū humidum, ad confirmandum naturalem lactis colorem, & propriam olei qualitatem. *Talem enim rationem innuit antiqua translatio* Cōmenti Galeni in aphoriſmum allegatū, quæ talis habetur: Conſueuit Hippocrates & omnes medici phlegma album uocare unam ſpeciem hydropiſis, quæ modo noſtro tempore hipoſarca uocatur: Phlegma autem dicit album, quia aliquando eſt liuidum, & ex aliorum cōmixtionibus humorū. Hæc quidē prima ratio uera eſt, & Galeno digna: oſtendit enim, cur Hippocrates dixerit phlegma albū, quia ſcilicet aliquādo mutat colorem ex aliorum humorū cōmixtione: additur ergo album diſcretionis gratia, & ſic euitatur nugatio. Hanc autem primā expoſitionē, quæ aufert uanæ locutionis ab Hippocrate uitium, & Galeno conſonat, qui libro De comate eidem Hippocrati adimit uanam & ſtultā appoſitionem nominū, Sophiſta nō admittit, ſed potius ſecundam, quæ fatua eſt, cæco iudicio ſequitur. Eſt autem talis: Et etiam omne phlegma naturaliter eſt album, dicens, ergo albū naturalem confirmauit colorē ſuum. Fatuā dixi hanc expoſitionē, quia nihil ſtultius excogitari poteſt, quàm ſi quis ſtudeat, id quod naturale eſt, alicui, etſi ſenſui ex ſe ſit manifeſtum, uana uerborū adiectione confirmare: ſicuti ignem eſſe calidum, lac album, & oleum humidū. Poſthabita ergo huius translationis falſitate, ueniamus ad ſecundam, quæ fidelior exiſtit, & duplici ratione, ut diximus, Sophiſtæ aduerſatur. Hæc ita ſe habet: Cōſueuere & alij medici quandā aquæ intercutis ſpeciem, albam pituitam nominare, quaſi

Phlegmatis uarij colores.

uidelicet

A uidelicet etiam ſit pituita liuida, uel tanquã ſit quidem ſui ratione ſemper alba, ſed propter cõmixtionem quorundam humorũ uerum mutet colorem. Poteſt autem ſicuti in libro De articulis ſcripſit, uertebræ quæ in ſpina ſunt, nõ tanquã ſint alibi uertebræ, uolẽs diſtinguere, ſed ſimplici utens adiectione, ita & eo loco albi feciſſe adiectionem. Ita hac Cõmentatione Galenus duplicem facit expoſitionem, unam quæ uult nõ eſſe fruſtra appoſitũ uerbum album pituitæ ſeu phlegmati, ſed diſtinctionis gratia ab alio phlegmate quod nõ eſt album ſed ſua natura liuidum, ſicuti phlegma quod etiam uitreũ nominatur, uel alio colore quàm albo coloratũ propter admixtionem aliorum humorũ. Alia expoſitio eſt, quod ſimplex ſit facta appoſitio albi, id eſt fruſtra, & nullius diſtinctionis gratia. Qualis modus loquẽdi ſecundum unam expoſitionem, inuenitur etiam in libro de Articulis apud Hippocratem, ubi ſcribit, ſpondyli ſpinæ: fruſtra enim & hic adiectũ uidetur ſpinæ, quũ ſpondyli in nulla alia parte corporis ſint, quàm in ſpina. Vtra harum expoſitio ſit eligibilior Galenus nõ determinat. Sed quis eſt tam imperitus, ac peruerſi homo iudicij, qui primam ſecundæ non præferat, quæ ſuam Hippocratis ſeruat grauitatem, qui nõ ſit aſſuetus dicere (ut ſæpius poëtæ ſolent) lac album, oleum humidũ. Altera expoſitio hanc licentiam poëticam cõdonat Hippocrati propter antiquitatem, quam tamen eidem in libro De comate detraxit. Quare niſi uelimus Galenũ ſibiipſi uarijs locis repugnare, dicendum eſt potius hanc ſecundam expoſitionem non tanquam ſuam, ſed tanquam aliorum ab ipſo Galeno in Commentationibus aphoriſmorum ex ſuperabundanti fuiſſe recitatam. Idem quoq; iudicium de ſimili expoſitione in Commentationibus libri De articulis ab eodem Galeno poſita faciendum, cui alterã annexuit, ut ſupra oſtendimus, potiorem. Si uero omnino So-
B phiſta uelit hanc etiam ſicuti primam à Galeno probari, non animaduertet ipſum ſibi parare laqueos. Albi enim ad phlegma ſecundũ hanc expoſitionẽ eſt ſimplex appoſitio, id eſt, nullius utilitatis cauſa facta: opponitur enim ei, quæ fit diſcretionis gratia: Et fortè antiqua tranſlatio, quæ dicit talem appoſitionẽ, naturalem colorẽ phlegmatis cõfirmare, hoc idem uoluit ſignificare, ipſam uidelicet eſſe uanã & nullam afferre utilitatẽ. Sicuti ſi quis uaniloquus, niuem diceret albam, ut naturalẽ niuis colorẽ, de quo niſi ab ortu naturæ cæcus nemo dubitauerit, cõfirmaret. Hanc mentis cæcitatẽ non in hoc loco tantũ, ſed ubiq; ferè in Sophiſta deprehendimus, præſertim ubi uult ſenſus uerborũ Galeni, quæ tamen ſunt manifeſta, declarare. Volens enim quandam apparentẽ in Galeni expoſitionibus cõtradictionem, de qua etiã nos paulò ante mentionẽ fecimus, excuſare, non ſemel aut bis, ſed ter, aut quater in eundem errorẽ præcipitat. Reſpondens enim ad Galeni autoritatẽ libro De comate dicentis, nõ eſſe morem Hippocratis, ut poëtæ faciũt, uerba incaſſum apponere, ait, hanc & alias ſecũdo aphoriſmorũ à ſe notatas pro Monacho facere, quia per illas dicitur Hippocratẽ nulla dictione fruſtra uſum fuiſſe: Ideo quũ Hippocrates & alij medici ſæpe utantur duabus dictionibus, quarũ ſignificatũ unius cõprehenſum eſt in alia, hoc nõ fit fruſtra, ſed alicuius utilitatis gratia, ſcilicet gratia explicationis alicuius proprietatis, quæ licet importetur per unam illarũ dictionũ, non tamen clare, aut manifeſte, aut ratione ſequelæ unius ex alia, aut ratione cõfirmationis, aut alterius utilitatis ad rem, noſtrumq; intellectũ attinentis. Poëtę uero, ut Homerus hoc facit ſolũ gratia cõplementi ſermonis, ut carminis. Hæc ſunt Sophiſtæ deliramenta totiens ab ipſo repetita: nunc uero maiore cum riſu audienda, uel legenda, quoniã tandem fatetur eodem modo loquendi uti medicos atq; poëtas: utriq; enim dicunt, & phlegma album, & lac albũ, ſed propter fines diuerſos: Medici propter aliquã utilitatẽ, poëtæ fruſtra, ueluti Homerus propter cõplemen

C tum carminis. Verum aliquis è ſchola puerorum hæc fortè audiens, aut legens, ita Sophiſtam interrogabit: Quî tu homo nimiũ nugator noſti, an Homerus etiam alicuius utilitatis gratia dixerit, Lac album, ad confirmandum ſcilicet naturalem colorem lactis: ſicuti medicus Phlegma album, ad confirmandum colorem naturalem phlegmatis? Quum eandem figuram ſermonis utrique concedas, & medico, & poëtæ. Si uana eſt apud unum, uana eſt apud alterum: Si apud medicum alicuius utilitatis gratia fit, etiam apud Poëtam. Ego uero, inquiet puer Sophiſtam redarguens, à Quintiliano libri De inſtitutione oratoria uolumine ſeptimo quid de hoc ſit ſentiendum multo antea didici, ubi de Tropis qui non ſignificandi gratia, ſed ad ornandam orationem aſſumuntur, ſcribit in hunc modum: Ornat enim epitheton, quod rectè dicimus appoſitum, à nonnullis ſequens dicitur: Eo poëtæ & frequentius & liberius utuntur, nanque illis ſatis eſt conuenire uerbo cui apponitur: itaq; & dentes albi, & humida uina, in his nõ reprehendimus: Apud oratorem, niſi aliquid efficit, redundat. Audi Sophiſta quid de epithetis, id eſt, appoſitis Quintilianus ſtatuat. Illa quidem quæ non ſignificandi gratia, ſed ad ornandam orationem aſſum*untur, ſicuti dentes albi, & humida uina*, in poëtis, quibus omnia ſunt *liberiora, etiam* ſi frequẽtius eis utantur, nõ reprehendi: In oratoribus autem, *niſi aliquid* efficitur, tanquam ſuperflua damnari. Tunc autem aliquid ef*ficitur* (*ut* poſtea exemplis idem Quintilianus oſtendit) quum rei exaggerandæ gratia hiſce appoſitis utũtur: ut, ô ſcelus infandum, ô libidinem deformem. A pueris ergo in ſchola ſedentibus Sophiſta diſcat, ea quæ non decent oratores, niſi augendæ rei de qua loquuntur, gratia, multo minus decere medicos, qui hæc uel ornamenta uel augmenta orationis non quærunt, ſed tantum ſtudent in libris ſuis in

D corruptam exprimere ueritatem: A me uero, ut antea edoctus fuit ex Commentatione Galeni in aphoriſmum ſeptimæ pariculæ, quem pro ſe Sophiſta citauit, quæ tamen penitus eius opinionem deſtruebat, ita nunc etiam magis, ac magis edoceatur ex altero loco libri de Comate, quem non eſſe contra ſe, ac Monachum fruſtra conatur Sophiſta defendere, falſam eſſe utriuſque defenſionem demonſtrari. Si enim Monachus & id quod ei Sophiſta tribuit, opinatur Galenũ in procœmio Artis paruæ ordinariam doctrinæ apponere, nõ gratia diſtinctionis à quibuſdam doctrinis, quæ nullum ſeruant ordinem, de quarum numero eſt doctrina aphoriſtica: Ipſe Monachus unà cum Sophiſta non animaduertũt, ſe Galenum principem medicorum, eidem uitio facere obnoxium, quod ipſe uel in Hippocrate autore antiquiſſimo minime tolerãdum iudicauit. In libro ſiquidem De comate idem Galenus conatur oſtendere, Hippocratem, quũ in Epidemijs Cataphoram pigram dicit, non temere uerbum pigram Cataphoræ adijcere, ſed alicuius determinationis, id eſt diſtinctionis, gratia ab alia cataphora, quæ non eſt pigra. Duplex ſiquidem Cataphora eſt (ut eodem in loco Galenus declarat) una ſomnolenta, quæ lethargicis, alia inſomnis ſeu peruigil, quæ phreneticis accidit. Verum Sophiſta, qui nomen cataphora quid ſignificet ignorat, non poteſt etiam quomodo differat cataphora pigra, id eſt ſomnolenta, & non pigra, id eſt peruigil, intelligere: ideo putat tantundem importare cataphoram, & cataphoram pigram: Verbum tamen pigram apponi non determinationis, id eſt diſtinctionis gratia, ut ego declaraui, ſed gratia explicationis alicuius proprietatis quæ includitur in cataphora, non tamen clare: Quæ tamen ſit illa proprietas, neſciuit Sophiſta explicare, qui, ut ſæpe dixi, tanquam pica uocabula græca, quæ in tranſlatione Galeni legũtur, quæ nõ intelligit, loquitur. Sed ſi me audiet rectè conſulentem, nulla alia uerba græca deinceps præter Categorematicũ, Syncategorematicum in ſuis ſcriptis ponere curabit, ne

à pueris

A à pueris alphabetum græcum diſcentibus irrideatur. Sed uideamus, an minus ridicule Ioannem Alexandrinum Sophiſta alleget, in cuius expoſitione Epidemiarum uerba græca pauciora leguntur. Sed maior licentia nugandi conceditur medicis, ueluti Sophiſta exeodem autore teſtatur: Quando & primo Epidemiarum, Commento ſecũdo, ſpondyles nuchæ, dicitur: Et tertio Epidemiarum Commento ſexto, lac album, ſpondyles ſpinæ, mel rubeum, Coryza à capite. Et ſexto Epidemiarum, Commento ſeptimo, ſplen ſiniſtrum, lac album, ſpondyles ſpinæ: Et octauo Epidemiarum, Commento ſextodecimo, lac album, ſomnia in ſomnijs. Et (ut Sophiſta ait) idem Ioannes Alexandrinus ſeptimo Epidemiarum, Commento primo, aliquid fortius conceſſit, duas dictiones ſynonymas idem importantes, ſimul iungi, ut labor & dolor. Hæc omnia Sophiſta ad literam, qui ex tam multis unius autoris barbari autoritatibus iam putat ſe magnum de medico Romano triumphum reportaſſe, qui omnem ademit grauioris autoritatis medicis nugandi libertatem. Ego uero Ioanni Alexandrino poſſum duplici ratione occurrere: Vna, omnem ipſi fidem detrahendo, qui ſe illarum Epidemiarum Hippocratis expoſitorem profitetur, quæ tamen nõ ſunt uerę Hippocratis Epidemiæ, ut ſciunt medici qui latinam tenent & græcam pariter literaturam. Alia etiam uia poſſum Sophiſtæ reſiſtere, quia non ſatis fidelem autorem, ipſe etiam infidelius recitat: neq; enim Ioannes Alexandrinus tam male de Hippocrate ſenſit, ut indubitanter ſit auſus aſſerere, tam crebrò ipſum tales ſermones uſurpaſſe, quales neque oratoribus conceduntur. Imò in omnibus ferè locis quos Sophiſta adducit, duplicem ponit Hippocrates intellectum, quemadmodum & Galenus in ſuis expoſitionibus (ut ſuprà oſtendimus) factitauit, meliorẽ permittens perſpicere potentibus ueritatem

B eligendum: licet Sophiſta cæcutiens ſemper capiat deteriorem. Prima quidem autoritas ex Ioanne Alexandrino à Sophiſta adducta, nihil aliud probat, niſi autorẽ barbarum male ſententiam Galeni de ſpondylis recitare: qui, ut ait Galenus libro ſecundo Artis paruæ, tanti ſunt ſecundum magnitudinem, quanta & ſpinalis medulla. Sed quod paucis uerbis & recto ordine græcus autor explicat, id pluribus barbarus, atque conuerſim conatur exponere, in hunc modum ſcribens: Si enim magni fuerint ſpondyles nuchæ, manifeſtum eſt quod & ipſa nucha magna eſt. Contrà Galenus uult, non magnitudinem nuchæ ſequi magnitudinem ſpondylium, ſed magnitudinem ſpondylium ſequi magnitudinem nuchæ. & rectius ſentit: Nam ſpondyles propter nucham, nõ nucham propter ſpondylos natura fabricauit. Quod & ipſum ueritate cogente Alexandrinus fatetur, qui ſtatim poſt uerba priora ſubiungit hæc alia: Semper enim ſecundum proportionem nuchæ, natura operatur ſpondyles. Quare non ſolum Galeno, ſed etiam ſibijpſi hic autor repugnat. Et minor eſt in eo error quo dixit, ſpondyles nuchæ: quod dictũ non eſt ſimile (ut Sophiſta putat) illi alteri, de quo diſputamus, ſpondyles dorſi. Spondyli enim in dorſo ſunt, non autem in nucha: Imò nucha in ſpondylis cõtinetur. Hæc ergo autoritas, quia non facit ad propoſitum, omittatur. Veniamus ad ſecundam, in qua magis Sophiſta ſe iactat: Sed quanto maior iactantia, tanto maior eius ignorantia deprehenditur. Ioannes Alexandrinus exponens uerba illa tertiæ particulæ Epidemiarum, Commento ſexto, A capite coryzantibus: non temere dubitat, cur à capite dixerit, quaſi extra caput fiat coryza. Soluit autem dubitationem dupliciter, ita ſcribens: Aut dicimus, quod eſt conſequens ex neceſſitate, dixit, ſicuti & lac album, quemadmodum & Galenus dicit: Spondyles qui ſunt iuxta ſpinam: nõ quod in alio loco ſint ſpondyles ſed quia ex neceſſitate, dixit. Sic & mel rubeũ dicimus: Aut hoc igitur intellige, aut quoniam aliter ſuperuenit coryza, & huiuſ-

C modi paſſiones aut à cauſa primitiua, aut cauſa antecedente. A primitiua quidem cauſa fit Coryza, quum aër frigidior fit in hyeme, aut calidior ſicuti in æſtate: Ab antecedente uero cauſa, ſicuti quoties multoties ipſum cerebrũ per ſe patitur aut calidam, aut frigidam dyſcraſiã. Hæc omnia recte Alexandrinus, qui, ſicuti etiam Galenus, uerbis autoris quem exponit, ſiue ſit Hippocrates, ſiue alter, duplicem tribuit intellectum, & liberum lectori relinquit capiendi meliorem. Primus intellectus eſt, quod ideo Coryzantibus additum ſit uerbum illud, à capite, non alicuius diſcretionis gratia, ſed ſolum tanquam ex neceſſitate ſequens, atq; ideo ſuperflue: ſicuti poëtæ ſolent dicere, lac album, mel rubeum. Quem etiam intellectum dat aliquando Galenus uerbis illis Hippocratis in libro De iũcturis, ſpondyli ſpinæ, licet alterum approbet meliorem, de quo ſatis ſuperius. Secundus intellectus eſt, qui multo uerior, ideo appoſitum fuiſſe à capite Coryzantibus, ut oſtenderet quod duplex ſit Coryza: Vna quæ fit à capite, id eſt, à cauſa antecedente in capite exiſtẽte: Altera à cauſa primitiua, ab aëre ſcilicet uel calido, uel frigido: Vt oſtenderet inquam, atque diſtingueret de qua Coryza uerba faceret, de illa ſcilicet quæ fit à capite, ſeu *cauſa antecedente*, & nõ *altera*. Hunc ſecundũ intellectũ Sophiſta neglexit, *quia non intellexit*: uel ſi intellexit, gallũ Aeſopi imitatur, qui dum rimatur terrã, gemmas reſpuit, & quiſquilias ſequit̃. Eadẽ inſcitia, uel iudicij peruerſitate *Sophiſta* ductus ſexta particula Epidemiarũ, Splenem ſiniſtrum dici putat, non *ſecũdum* alteram expoſitionem, quæ uitium uitat uerbi ſuperflui, per ſplenem ſiniſtrum intelligendo ſiniſtras partes ſplenis: Sed ſecundũ alteram deteriorẽ, quæ donat medicis poëticam libertatem dicendi, ſplenem ſiniſtrum, ſicuti illi dicunt, lac album. Non aliter particula octaua Cõmento decimoſexto ubi ſcribitur, Quæ in ſomno ſomnia, ex duabus expoſitionibus, quarũ altera ſeparat ſomnum à ſomnio,

D & omne excludit orationis uitiũ, quã Sophiſta poſthabet, & alterã quę nugationẽ admittit, amplectitur. In ſeptima autem particula Commento primo eundem Alexandrinum Sophiſta inquit, fortius alibi concedere, duas ſcilicet dictiones ſynonymas ſimul iungi, labor & dolor. Neq; ueretur autori, & ſuo & aliorum iudicio, probatiſſimo tot nugamenta, magnus & ipſe nugator, adſcribere. Laborem ſanè ſeu laſſitudinem Hippocrates atq; Galenus à dolore diſtinguunt, & ſpecie diuerſas utriq; differentias aſſignant: ut ex duobus aphoriſmis Hippocratis in ſecunda particula aphoriſmorũ, & Galeni Cõmentationibus patẽre poteſt. Primus aphoriſmus eſt: Laſſitudines ſpontaneæ morbos pronunciant. Secundus: Quicunq; aliqua parte corporis plurimũ dolorem nõ ſentiunt, his mens ægrotat. Verbum autem græcum πόνος, quo Hippocrates utitur in ſecundo aphoriſmo, duo ſignificat apud Græcos dolorẽ ſcilicet atq; laborem: κόπος autem, id eſt labor uel laſſitudo, unam tantum habet ſignificationem. Quare labor & dolor non poſſunt eſſe nomina ſynonyma, ut male Sophiſta ex Alexandrini arguit autoritate: Alioquin ſi unũ nomen multipliciter, diceretur etiam alterũ. Quanq; uero omni laſſitudini aliquis annectitur dolor, nõ tamen hoc eſt principale eius ſignificatũ. πόνος uero in lingua gręcorum, in qua ſcripſit Hippocrates, æque primo ſignificat dolorem, ſicuti laborem: Differũt ergo hæc duo nomina non ſolum uoce, ſed etiam ſignificatione. Sed neq; ex uerbis Alexãdrini poteſt quiſpiã recte colligere dolorẽ atq; laborem eſſe nomina ſynonyma, ſunt autem hæc: Quoniã enim labor & dolor dolorem ſignificant, ad dolorem inſpexit, & dixit, duriſſimi uero & fortiſſimi. Audiat falſus Sophiſta recitator, non dicit Alexandrinus quod labor & dolor idem ſignificant, ſed quod ſignificant dolorem. Et ideo Hippocrates inſpexit ad dolorem, & dixit, duriſſimi uero & fortiſſimi: ſi utrunque nomen idem ſignificat, ut Sophiſta uult, cur

magis

A magis autor inſpexit ad dolorem quàm ad laborem? Et ſi ad unum tantum inſpexit, cur numero plurali uſus eſt, dicens, duriſſimi & fortiſſimi? Exponat obſecro Sophiſta, niſi tanquam pica loquitur quę nō intelligit, quiſnam ſit ſenſus horū uerborum Alexandrini, & quomodo ex ipſis probetur, laborem atq; dolorē eſſe nomina ſynonyma. Hunc ſi ſcierit explicare, eum nō amplius Sophiſtam, ſed præſtantē medicum, & dignum Hippocratica diſciplina iudicabo. Si uero mihi Sophiſta inuidet hoc Alexandrinæ doctrinæ ſecretum, ſaltem ſuos diſcipulos doceat, quomodo Hippocrates duas dictiones ſynonymas uel idem importantes, ſeptimo Epidemiarum cōiunxerit. De quo tamen autore teſtat̃ Galenus libro De comate, quod non fuit ex numero eorū qui uerba in uanum apponūt: & quod unumquodq; uocabulū & ſyllaba omnis aliquid ſignificat apud ipſum. Qui etiā Galenus conatur oſtendere eundem Hippocratem in libro de articulis nō appoſuiſſe fruſtra, ſpondylis ſecundū ſpinam, quoniam eo in loco loqueretur ſecundum medicos, qui initium ſpinæ faciūt poſt ſeptimū ſpondylum colli: Et ſpinam uolunt cōſtare ex duodecim ſpondylis noti, id eſt dorſi, & quinq; lumborū. Sed hinc tota prior diſputatio habuit originem inter me *uolentem, ubi in libris medicorū*, & præcipue Galeni, legit̃ ſpondyli dorſi, illud uerbū, dorſi, non fruſtra apponi, ſed diſtinctionis gratia à ſpōdylis alijs, qui nō ſunt in noto, id eſt, in dorſo, uel in ſcapulis, ut habet tranſlatio libri De utilitate partiū: & ex alia parte, Sophiſtam cōtendentem, per ſpondylos dorſi omnes ſpondylos eſſe intelligendos: & ideo adijci ſpondylis uerbū, dorſi, nō diſtinctionis gratia, ſed alterius utilitatis, quam nos ſatis ſuperq; in præcedentibus cōfutauimus. Antequam tamen hanc ſecundam diſputationē aggrediamur, illud Sophiſtam admonendum cenſuimus, hoc uerbum notum apud Græcos, &

B dorſum apud Latinos, multiplex habere ſignificatū: aliquando enim ſignificat totam ſpinam, unde & notieos, id eſt ſpinalis medulla, græco uocabulo dici? corrupto autē nucha: Aliquando uero eam partem ſpinæ quæ alio nomine à Græcis metaphrenum nominatur: aliquando aliud, ut etiam Sophiſta fatetur. Qua multiplici ſignificatione conſtante, & ueritate cogente, ab ipſo tandem Sophiſta conceſſa, ſicubi uerbū id, noton aut dorſum, apud aliquem grauioris autoritatis medicū legitur, in eo ſignificato debemus accipere, in quo nulla autori nugatio tribuatur: quod in ſuis in Hippocratis libros Cōmentationibus ubiq; Galenus conatur facere. Contrarium Sophiſta nititur demonſtrare, uolens tueri Monachū, qui doctrinam ordinariā ita à Galeno dici, ſicuti ſpondyles dorſi ab Hippocrate, in una ſuarum expoſitionū oſtendit. In prima autem huius malæ expoſitionis defenſione Sophiſta ueræ, id eſt Ariſtotelicæ, logicæ imperitus, cōtra huius diſciplinæ præcepta id quod multipliciter dicit̃, ſcilicet dorſum, uoluit definire: & nō aduertens, nomē æquiuocū ſua definitione fecit uniuocū. De qua definitione, quot præterea alia errata contineat, poſtea uidebimus. Primū, ſi fieri poteſt, Sophiſtam bonarū ignarū literarū, & tamen de uocabulis græcis, atq; latinis tanquā cæcum de coloribus diſputantem, refellamus: & tandem ſuos fateri errores compellamus. Sed ne hominem indicta cauſa accuſare uideamur, ultima eius uerba, quæ poſt definitionē male (ut diximus) aſſignatā, ueluti cōcluſionis loco apponūtur, in mediū adducemus. Sunt autem hæc: Apparet enim Monachū in re nō decipi, neq; etiā in uocabulo. Quod enim dorſum accipitur, ut nunc definitū eſt, ut ſcilicet eſt illud compoſitum cōprehendens xxiiij. ſpondyles, patet ex autoritatibus ſuprà allegatis, & ex Galeni xij. libro De utilitate partiū ferè in omnibus capitulis: necnon ex Auicennæ lib. primo, Fen prima, doctrina quinta, ſumma prima, cap. vi. Similiter ex autoritatibus exponētibus uocabula linguæ latinę, diuerſas uirorū eloquentiū autoritates

C adducentiũ. Similiter ex interprete libri De utilitate partium in fine, ubi exponit uocabula illius libri. Exponit enim eo loco dorſum pro tota illa parte comprehendente omnes ſpondyles. Nec eſt uerũ, ſi iſta dictio Notio, in lingua grҿca ſignificat cõpoſitum ex ſpondylibus pectori correſpondentibus, quod ipſa interpretari debeat latine per hanc dictionem, dorſum, quҿ ut dictum eſt importat cõpoſitum ex omnibus ſpondylibus: ſed per aliam uel ſimplicẽ uel cõpoſitam. Si nõ habetur ſimplex, puta per hoc cõpoſitum ex ſpondylibus pectoris, uel thoracis, ut in decimotertio libro De utilitate partiũ, uel cõpoſitum ex ſpondylibus quæ ſunt poſt præcordia, intelligendo per præcordia ea quæ à pectore uel thorace cõtinentur. Neq; eſt uerũ quod ſpondyles diuidantur in ſeptem colli, & duodecim dorſi, & quinq; lumborũ, ex quo dorſum omnes cõtinet: ſed diuiduntur ut narratur decimotertio De utilitate partium in ſeptem colli, duodecim thoracis uel pectoris, & quinque lumborũ. Hæc eſt ſœcũda Sophiſtæ doctrina, Arithmeticã, Grammaticã, medicinam cõplectens: In his enim omnibus diſciplinis ſe iactat. In Arithmetica quidem libros Fen, doctrinas, ſummas, & capita Auicennҿ numerãdo. In Grãmatica autoritates exponentiũ uocabula linguæ latinæ allegando: quamuis in hac allegatione ſuam oſtendat inſcitiã, qui neminem nominatim citat. In medicina uero Galenum atq; Auicennã medicinæ principes nominando. Nos uero Sophiſtã ijſdem autoribus, quos contra nos adduxit, redarguemus, ut magis pereat, ſi ſuis armis peribit. Primũ apud Galenũ, Dorſum non accipi lib. decimotertio De utilitate partiũ, pro tota illa parte, quæ cõprehendit omnes ſpondyles, neq; ita exponi dorſum ab interprete libri De utilitate partium, oſtendamus: Nam ſi hoc Galenus diceret libro decimotertio, dictis ſuis in libro duodecimo repugnaret: ubi uult non totam illam

D partem ſolam, quæ cõprehendit uigintiquatuor ſpondyles, nominari dorſum, ſed præter hanc etiã illam, quæ cõtinet os ſacrũ, unam ex quatuor partibus dorſi effatu dignam. Diuiditur enim totũ dorſum, à Galeno ſecundũ unam ſignificationẽ huius uocabuli dorſum, in quatuor partes: In ſeptem ſpondylos colli, duodecim thoracis, & quinq; lumborũ, & os amplum ſiue ſacrum. Hæc ſunt uerba Galeni, libro duodecimo De utilitate partiũ, cap. decimotertio: Nec propter quid quatuor eſſe maximas partes totius dicebamus, immanifeſtũ eſt: In medio enim exiſtente thorace, cõtinentibus uero tum ex alterutra parte, deſurſum quidem collo, ab inferius lumbo: cõmuniter uero omnibus prædictis ſubfirmato amplo oſſe, quatuor maxime partes totius dorſi ex neceſſitate efficiunt. Cur ergo Sophiſta ex quatuor partibus dorſi, unam uel maximã partem ex eo ſubtraxit? An forte ipſe breuis ſtaturҿ homo, ea deficit parte? At non oportet prodigioſæ naturæ hominũ, ſed integrorũ ſcribere ſectionem, uel (ut uerbo utamur quod Sophiſta intelligat) Anatomiam. Eandem diuiſionẽ totius dorſi etiã idem Galenus facit eodem lib. De utilitate partium, cap. x. ubi cauſam aſſignat, ob quã natura dorſum ex pluribus oſſibus cõſtare uoluit, in hunc modũ ſcribens: Propter quid autẽ nõ ex duobus, uel tribus oſſibus, ſicuti in manu ulna & brachiũ, in pedibus autem coxa & tibia, ſed ex uigintiquatuor quidem in hominibus abſq; ſubiacente inſint amplo oſſe: ſecundum uero reliqua animalia ex pluribus? Ego quidem docebo & oſtendam hic artem naturæ ad tria capita uniuerſum ſermonem adducens: Vnum quidem quo maxime opus eſt ad præſentia, Oportere omnino multos & paruos fieri ſpondylos dorſi. Secundum uero, quatuor maximas eius fieri particulas, ſcilicet collum, ſcapulam, & lumbum, & uocatum ab aliquibus ſacrum os, ab aliquibus amplum. Et tertium, quoniam ſecũdum collum ſeptem quidem ſpondyli: ſecundum uero metaphrenum, quod & ſcapula dicitur, duodecim; ſecundũ lumbos autem quinq;: Et etiam quoniam

Dorſi in quatuor partes diuiſio.

A nam ſacrum os ex quatuor cōponi melius erat. Ex hac quoq; ſerie uerborum Sophiſta diſce, dorſum diuidi in plura oſſa quàm uigintiquatuor, quæ ſpondyli nominantur. Et de quo tantū cōtendiſti, tandem intellige quo nomine uel græce uel latine uocetur illa pars dorſi, quæ cōſtat ex duodecim ſpondylis, quam tu dicis nominari ab interprete libro decimotertio De utilitate partiū cōpoſitum ex ſpondylibus pectoris, uel thoracis, & cōpoſitum ex ſpondylibus poſt præcordia: Quæ appellationes ſibi inuicem repugnant: cōpoſitum enim ex ſpondylibus pectoris uel thoracis eſt ſuper præcordia, & nō poſt. Si per dictionē, poſt, intelligis locum inferiorem: ſi per poſt, intelligis retro, cur falſò citas libros De utilitate partium, præcipue duodecimū & decimumtertiū, in quibus non ſemel, aut bis, ſed frequenter habetur nomen eius partis, de qua diſputamus? Quæ uidelicet eſt poſt ſeptem ſpondylos colli, & uſq; ad locum terminatur in quo diaphragma, ſeu phrenes (utrunq; enim nomē Græci habent, quod Latini præcordia interpretanť) cōiungitur poſterius dorſo. Et ideo hæc tota pars cōſtans ex duodecim ſpondylis ſimplici nomine, ut dixi, aliquando metaphrenon, aliquando noton nominať. Quod uerbū noton, ubicunq; legitur in libris De utilitate partium, interpres latine ſcapulam interpretatur, quemadmodū ex loco Galeni, libro duodecimo De utilitate partium ſuprà allegato, luce clarius apparet: ubi Galenus ait, quatuor maximas eſſe dorſi particulas, collum, ſcapulam, & lumbū, & os amplum. Et paulò poſt euidentius, quum dicit: Metaphrenum, quod & ſcapula dicitur. Per quæ uerba uult nobis inſinuare Galenus partem ſpinæ poſteriorem, ad quam cōiungitur thorax, nō ſolum metaphrenon, ſed etiam noton, uel (ut uertit interpres) ſcapulam nominari. Scapula autem & dorſum apud Latinos idem ſignificant, ſcilicet tergum. Neq; poteſt hoc Sophiſta negare, ſi uelit ſtare autoritatibus uocabula linguæ latinæ exponentium: à quorū ſententia non poteſt prouocare, qui ſemel ipſos ſponte iudices fecerit in uocabuli dorſum ſignificatione. Dorſum, id eſt tergum, inquit Sipontinus, inter eos expoſitores autor probatiſſimus. Item deſcribēs ſcapulas, ſcribit hæc uerba: Quippe ſcapulæ ſunt, quæ ueluti mollibus iugis à ceruice demittuntur. Quæ ſunt uerba Lactantij in libro De opificio hominis, ſtatim poſt rigidū collum ac teretes ſcapulas deſcribentis. Quemadmodū & Galenus partes enumerās totius dorſi, primo loco ponit collum ex ſeptem ſpondylis conſtans, ſecundo metaphrenum quod & ſcapula dicitur duodecim ſpondylos continens: quos ob eandē metaphreni apud Græcos, & ſcapularum apud Latinos ſignificationem, Marcellus Florentinus uir græce & latine doctiſſimus, in quodā corollario ſuæ Diſcoridis tranſlationis à ſcapulis ſcapularios denominare non dubitauit: Potuit autē & dorſales dicere, ſi dorſum apud Latinos duo ſignificet, ſicuti & noton apud Græcos: Quod uerbū apud Galenū aliquādo accipitur pro tota ſpina, quatuor maximas partes habente, quā interpres libri De utilitate partiū nominat dorſum: Aliquando pro una tantū, pro illa ſcilicet, quæ alio nomine græce dicitur metaphrenū. In cuius partis ſimplici nomine inueniendo Sophiſta rudis miſerabiliter laborauit. Ignoſcendū tamen eſt ei, quoniā & ille quē ſequiť atq; defendit Pluſq; Cōmentator, quid ſit metaphrenon apud Galenū, & reliquos Græcos autores, qui ſectiones ſcripſerūt, ignorauit: Putauit enim metaphrenū idem ſignificare, quod phrenes, id eſt diaphragma: ſeu (ſi uolumus latine loqui) prçcordia. Deceptū autem fuiſſe in hac parte Pluſquā Commentatorē apparet ex ea expoſitione, quam facit libro ſecūdo Artis paruæ, Commento trigeſimoſexto, expoſitione, inquam, illorū uerborū: Cōiungitur uero thorax ad poſteriorem partem: ſecundum longitudinem quidem æqualis metaphreno. Per quæ uerba uult nobis Galenus inſinuare tantā eſſe longitudinē thoracis

Scapula et dorſum apud Latinos.

B

Marcellus Flórentinus.

C in parte poſteriori,quantum occupant in eadem parte duodecim ſpondyli,qui ob
eandem cauſam,nō ſolum ſpondyli metaphreni, ſed etiam thoracis, cui à parte po
ſteriore reſpondent, à Galeno libro duodecimo De utilitate partium nominātur.
Verba autē Galeni dicta tam facilem habentia intellectū, obſcuriora reddit ſua ma
la expoſitione Monachus hoc modo:Coniungitur uero,id eſt,thorax cōiungitur
ad partem poſteriorem,id eſt ſpinam ſeu dorſum, exiſtens in longitudine æqualis
metaphreno,id eſt,habens longitudinem uſqꝫ ad phrenon:quicquid enim eſt ſub
ceruice uſqꝫ ad phrenum,thorax eſt.Hoc poſtremum Monachi dictum uerū qui-
dem eſt,quod quicquid eſt ſub ceruice uſqꝫ ad diaphragma, thorax eſt: Extēditur
enim longitudo thoracis tam in parte anteriore,quàm poſteriore,uſqꝫ ad diaphra
gma:nō tamen eſt eadem longitudo in utraqꝫ parte, ſi quis uir anatomicus diligen
tius metiatur. Galenus autem de ea tantum thoracis longitudine, quæ eſt in parte
poſteriore,mentionem fecit,quæ eſt æqualis metaphreno. Expoſitio autem Mo-
nachi ambas cōplectitur. Sed quàm ſit extorta ac uiolenta hæc Monachi expoſi-
tio,eſtiment illi,qui in primis diſciplinis ſunt eruditi.Dicat Sophiſta,diametrū eſſe
æqualem ſecundum longitudinem circūferentiæ circuli:putabit autem ſe uere di-
cere,confiſus hac barbara Monachi expoſitione,quia diameter habet longitudinē
uſqꝫ ad circūferentiam:Omnes tamen philoſophi,præſertim Geometræ,hunc im
peritum Sophiſtam dicent ineptire: quia ſciunt lineam rectam lineæ curuæ non
eſſe comparabilem,ideo neqꝫ æqualem.Atqꝫ ideo,ſicuti homo non expers bona-
rum diſciplinarū,tales abſurdas propoſitiones non admittet, ita docti medici Mo-
nachum dicentem thoracem eſſe æqualem ſecūdum longitudinem diaphragma-
ti:uel talem ſermonem Galeno uiro in ſua lingua eloquentiſſimo tribuentem, nō
D patientur audire. Sermonē autem de diametro circuli, quem expoſitio Pluſquam
Cōmentatoris acceptat,ſimilem eſſe illi quem eadem expoſitio Galeno tribuit, ne
mo inficiabitur, qui nouerit metaphreni rectitudinem & ſitum,atque figuram dia
phragmatis, partes ſpirationi deputatas orbiculariter ſubcingētis, atqꝫ à membris
naturalibus ſeparantis. Nō ſolum autem hunc errorem huius expoſitionis Sophi
ſta ſecutus errauit, ſed etiam alterum ex eodem Cōmento acceptum imitatus deli
quit,quum uoluit Dorſum apud Galenum accipi pro illa parte tantummodo quæ
comprehendit omnes ſpondylos:quem Sophiſtæ errorem etiam ſuprà improba-
uimus. Monachum autem eodem errore lapſitare liquet ex ſpinæ,id eſt, dorſi defi
nitione,quam in dicto Cōmento aſſignat his uerbis:Nihil enim aliud eſt ſpina to-
ta,quàm omnium ſpondylium ſimul unitio. Quæ ſi ſit uera definitio,os amplum,
uel ſacrum nō erit una ex maximis partibus, quæ complent totam ſpinæ ſubſtan-
tiam. Cui definitioni tam Sophiſtæ, quàm Monachi aperte cōtradicunt uerba Ga
leni libro duodecimo De Vtilitate partium ſuprà à nobis in duobus locis recitata.
Poſſum ergo bono periculo dicere:Quum cæcus cæcū ducit,ambo in foueam ca-
dunt. Neque poteſt in ſui & Monachi defenſionem Sophiſta uti illa diſtinctione,
quod duplices ſint ſpondyli, aliqui ueri,aliqui nothi,ſiue mendoſi,ut Sophiſta in-
telligat.Hæc enim diſtinctio non poteſt tueri Sophiſtam,qui ſemel numerū ſpon-
dylis in ſua quæſtione præfiniuit, ubi ſecūdam aſſignat dorſi definitionem his uer
bis: Dorſum eſt corpus oſſuoſum,in medio partis poſterioris collocatum,à capite
uſqꝫ ad caudā protenſum,in uigintiquatuor ſpondylos diuiſum. Quæ definitio ſi-
milis eſt illi, qua quiſpiā totius hominis uolens aſſignare definitionē materialem,
diceret hominem eſſe corpus conſtans ex capite,collo,& thorace,& lumbis:omit
tens partes inferiores, quæ ſunt ſuperiorū fundamenta. Et quod magis arguit So
phiſtæ inſcitiam, uult alteram definitionem huic poſſe annecti, quæ tamen priori
repugnat.

A repugnat. Talis eſt Sophiſtæ dialectica, ex duabus definitionibus inuicem contra
dicentibus unam conſtituentis. Eſt autem altera definitio hæc: Dorſum eſt locus
uel capſula, uel ſemita nuchæ, uel medullæ ſpinalis, ei adæquatus. Si dorſum eſt lo
cus ſpinali medullæ adæquatus, ut ait Sophiſta, falſa erit alia definitio quæ dicit,
dorſum eſſe corpus oſſuoſum, in uigintiquatuor ſpondylos diuiſum, uſq; ad cau=
dam protenſum. Si enim caudam intelligat os ſacrum, quod eſt terminus uſq; ad
quem uigintiquatuor ſpondyli protenduntur, hoc termino poſito, dorſum nō erit
locus adæquatus ſpinali medullæ, quæ & in tribus oſſibus componentibus os am
plum collocatur, ac præterea in alijs tribus ſequentibus, quæ ſunt cartilagineæ na
turæ uiciniora, quæ Galenus coccynga, Auicenna alhoſos nominat. Si uero per
caudam ultimum os alhoſos Sophiſta intelligit, adhuc eſt imperfecta dorſi defini=
tio. Oportuit enim ita definire: Dorſum eſt corpus oſſuoſum, in medio partis po=
ſterioris collocatum, à capite uſq; ad caudam protenſum, in uigintiquatuor ſpon=
dylos & os ſacrum diuiſum. Cur enim omnia alia oſſa dorſi nominatim expreſſit,
ſolum os ſacrū, quod, ut ſæpe dixi, eſt una ex quatuor maximis partibus dorſi, inta
ctum prætermiſit? Quænam hæc exhæredatio? Illi etiam definitioni quam primo
loco Sophiſta ponit, repugnat tertia definitio, quæ dicit, Dorſum eſſe illud compo
ſitum comprehendens uigintiquatuor ſpondylos. Quas tamen omnes definitio=
nes quantumuis incompletas, & dorſum mutilum facientes, falſò tribuit Sophiſta
Galeno: quas etiā nititur confirmare autoritate interpretis libri De utilitate partiū
ita uocabulum Dorſum exponentis: Dorſum eſt tota illa pars, quæ comprehen=
dit omnes ſpondylos. Vſqueadeò Sophiſta non ſemel aut bis ſuum errorem ma=
nifeſtat, nullum relinquens ſibi defenſionis ſuffugium. Hæ enim ultimæ dorſi de=
B finitiones palàm faciunt dorſum à Sophiſta definitum uigintiquatuor ſpondylos
cōprehendere, & oſſe amplo, quod ab ipſo cauda uocatur, terminari. Multo pro=
babilius poſſet ſe tueri Monachus, ſi diceret ſe per omnes ſpondylos in ſua defini
tione intellexiſſe, tam ueros quàm mendoſos: atq; ita ſe omnes illas quatuor maxi
mas dorſi ſeu ſpinæ partes, quas Galenus numerat, ſua definitione comprehen=
diſſe: quæ dicit, quod ſpina tota nihil aliud eſt, quàm omnium ſpondylium unitio,
qui ſunt numero triginta, ſi ſex oſſa poſtrema ſuprà nominata inter ſpondylos cō=
putentur. Hæc tamen defenſio non ſatisfacit: Oportuit enim Monachū hoc in lo=
co Galenum exponentem eo modo loqui de ſpondylis, quo Galenus loquitur in
omnibus libris ſuis, in quibus de oſſibus ſpinæ facit mentionem: quorum tantū=
modo uigintiquatuor, ſeptem colli, duodecim metaphreni, quinq; lumborū ſpon
dylos nominauit. Neq; etiam poteſt quiſpiā pro Monacho reſpondere, quod per
ſpinam quam definiuit, illam partem dorſi tantūmodo intelligit, quam complent
uigintiquatuor ſpondyli: Quandoquidem libro ſecundo Artis paruæ, cōmento
decimoquinto, uult tantum duobus modis accipi ſpinam: uel pro quodam gene=
re oſſis quod eſt additamentum dorſi, uel pro toto dorſo, quemadmodum hoc in
loco accipit, de quo nunc diſputamus. Poſtquā ſatis oſtendimus dorſum pro tota
ſpina acceptū male & à Monacho & à Sophiſta definiri: nunc contra Sophiſtam
ſeorſum demonſtremus dorſum ſæpiſſime apud autores græcos & Arabes pro
parte ſpinæ accipi, quæ ab octauo ſpondylo poſt ſeptem colli ſpondylos ſumit ini
tium. Et primum illum locum adducamus, quem gratia amicitiæ, liberaliter mecū
Sophiſta agens, mihi primū monſtraſſe gloriatur, ut mihi præſtaret maiorem con
tra ipſum arguendi occaſionem: Quem & ipſe fatetur, præter alias argumentatio=
nes habere difficultatem. Eſt autem, ut Sophiſta allegat, textus Galeni in libro de
Voce & anhelitu, capite quarto in principio, ſic dicentis: Si nucha abſcindatur in

C initio pectoris et fine colli,& in initio dorſi ubi ſeptimũ ſpondyle occurrit octauo, deſtruetur exufflatio totaliter. Poſt hanc allegationem Sophiſta iactabundus, hæc inania ac planè uentoſa uerba ſubiungit: Has autoritates citaui in corroborationem ſuorũ, tum quia mihi amicus eſt, tum ut ſciat alios non ex fundamentis grammaticalibus, quæ adducere eſt dedecus in Philoſophia & Medicina ſecundũ Galenum, ſed acutius, ſcilicet ex Galeni autoritatibus poſſe argumentari contra Monachum. Hæc omnia Sophiſta nõ minus iniurioſus quàm glorioſus, qui altera manu fert lapidem, altera panem oſtendit. Mihi uero licet exclamare: O inopem Sophiſtæ doctrinam, ô uanam iactantiam, qui ex una tantum Galeni autoritate, qua probatur initium dorſi aliquando ſumi non à primo ſpondylo colli, ſed ab octauo thoracis, tam pueriliter exultat. Eſt enim mos puerorum etiam in re parua triumphare. Ego autem, ut cum amico quantumuis ficto liberalius agam quàm ipſe mecum, pro una quã me docere uoluit, multas illi monſtrabo autoritates, idem quod textus ex libro de Voce ab ipſo citatus, & multo clarius oſtendentes, ad quas tam male ſciet reſpondere, quàm male ad primam à ſe allegatam Sophiſta reſpondet. Eſt enim reſponſio ita ridicula, ut non ex fundamentis grammaticalibus, ſed Maticalibus, ſi ita loqui fas eſſet, uideatur accepta. Quid enim ſtultius excogitari poteſt, quàm illud quod in Monachi defenſionem Sophiſta reſpondet, Galenum in libro de Voce, ubi ita ſcribit: Si nucha abſcindatur in initio pectoris & fine colli, et in initio dorſi, ubi ſeptimũ ſpondyle occurrit octauo: Ideo addidiſſe uerba illa, In initio dorſi, ut declararet de quo initio pectoris loqueretur: an de initio anteriori pectoris ubi eſt furcula, an de initio poſteriori, ubi ſeptimũ ſpondyle occurrit octa-

D uo, quod initium eſt in ipſo dorſo: non quod dorſum ibi incipiat: ſicuti initium brachij Antonij eſt Antonij, & non alterius hominis. Hoc in loco rurſus libet exclamare: O tribus Antyciris caput inſanabile Sophiſtæ, putãris aliquem eſſe adeò inſenſatum ut poſſit ambigere, an nucha abſcindatur in parte anteriore pectoris, id eſt thoracis, uel in poſteriore. Atq; ideo fuerit neceſſarium Galenum declarare in quo loco pectoris nucha abſcindatur, an anterius, an poſterius. Quænam hæc ſunt Sophiſtæ monſtra, aliquando fingentis hominẽ ſine maxima parte dorſi: aliquando nucham non in parte thoracis poſteriore tantum, ſed etiam in anteriori locari poſſe exiſtimantis? Exemplũ quoq; de brachio Antonij ridiculum eſt. Quis enim, niſi dementiſſimus, dubitauerit, an caput Antonij ſit initium brachij Antonij, uel humerus? Tandem Sophiſta ſentiens hanc primam reſponſionẽ ſuam pro Monacho eſſe ridiculam, fateri cogitur dorſum non ſimpliciter, ſed tripliciter dici apud Medicos: Primo pro tota ſpina, quæ cõprehendit totam nucham: & ſic ait accipere Monachum, & Auicennam, atq; Galenum locis allegatis. Secundo accipi pro illa parte poſteriore, quæ continet omnes ſpondyles, quæ ſunt à capite uſq; ad lumbos: & ſic uideri accipere interpretem Introductorij Galeni capite duodecimo, dicentis: Media certiſſima pars totius tergi deſuper uſq; ad glutum, eſt dorſum. Glutum autem diſtinguit metaphrenum & lumbos, quod Acruſtam uocabat Homerus. Quoties dixi Sophiſtam uerba ueterum Medicorũ quæ non intelligit, tanquam Picam recitare? Nam hoc in loco manifeſte deprehenditur falſò citari Galenum in Introductorio Medicinæ, ſiue eius interpretem, accipientẽ dorſum pro parte illa poſteriore quæ continet omnes ſpondylos uſq; ad lumbos. Neque enim hoc ſignificant illa uerba interpretis: Media certiſſima pars totius tergi deſuper uſq; ad glutum eſt dorſum. Quin potius ex eis habetur contrarium, initium dorſi non eſſe primum ſpondylum colli, ſed poſt ſeptem colli, octauum. Et ſecundum hoc ſignificatum dorſi, non omnes ſpondylos, ſed tantum decem & ſeptem

Ab Horatio uſurpatum adagium.

Dorſi ſignificatum apud Medicos.

A ptem in dorſo contineri. Secundum quod ſignificatũ etiam uidetur accepiſſe Hippocrates ſpinam, ſeu dorſum in libro de Articulis, ubi dixit, Spondylos dorſi, ut declararet ſe intelligere de ſpondylis thoracis atque lumborũ, qui ſunt decem & ſeptem: & excluderet ſeptem ſuperioris colli, qui non ſunt dorſi ſecundũ opinionem nõnullorum Medicorum. Et hæc eſt uera expoſitio illius loci libri de Articulis quam Galenus approbat, ut ſuprà oſtendimus. Errauit ergo Monachus, quum per dorſum ubi legitur, Spondylos dorſi, intellexit totam uigintiquatuor ſpondylorum compoſitionem: Nam ſecundum hanc intellectionem non poteſt effugere in uerbis Hippocratis & aliorum Medicorũ nugationem. Quod autem etiam in libro qui inſcribitur Introductorium Galeni, dorſum capiatur in eodem ſignificato, in quo in libro de Articulis, patet legentibus & intelligentibus interpretis uerba, in hunc modum ſcripta: Pars uero quę eſt poſt collum, ex poſterioribus talem habet poſitionem & nominationẽ: Tota quidem tergum dicitur. Sed quæ incipit poſt collum ex alterutra eius parte, homoplate. Quæ uero eſt in medio earũ, metaphrenum: cui & ſtomachus intus ſubiacet. Media uero certiſſime pars totius tergi dorſum uocatur. Hæc omnia interpres: ad quæ uelim Sophiſta reſpondeat. Si tota pars, quæ ſtatim & ſine medio ſequitur collum, uocatur tergum: media uero certiſſime pars totius tergi nominatur dorſum: quomodo iuxta ſecundam acceptionem dorſi, in dorſo cõtinentur omnes ſpondyli, qui ſunt à capite uſq; ad lumbos? Spondyli enim qui à fine capitis ortum habent, ſunt in collo, & non poſt collum. Quomodo etiam dorſum extenditur à capite uſque ad lumbos, ut uult Sophiſta, quum extendatur uſque ad glutum, ut ſcribit interpres. Quæ ſunt hæc monſtra, quæ in corpore humano Sophiſta fingit, qui collum ponit in tergo, & lumbos in

B natibus? Nam γλουτὸς græce, latine ſignificat nates. Cauſa omnium iſtorum errorum eſt ignorantia Grammaticæ, & anatomicæ contemplationis imperitia. Quarum duarum facultatum primam omnino Sophiſta deſpicit, in ſecunda uero multoties ſe temere oſtentat, quum hæc non poſſit haberi ſine prima, ut patêre poteſt ex uerbis interpretis ſuprà recitatis, ubi ait: Pars uero poſterior quæ eſt poſt collũ, talem habet poſitionem & nominationem. Cognitionem etiam nominum ſignificantium partes corporis humani, eſſe neceſſariam ad habendam ſectionum ſcientiam, ſicuti & ad quamcunque aliam ſiue contemplatiuam, ſiue factiuam, uel actiuam, teſtatur Ruffus in libro ſuo, cui titulum fecit de Nominatione partiũ humani corporis. Tacebo Themiſtium philoſophũ, idem cum Ruffo ſentientem: quoniam ſi uerba eius allegarem in paraphraſi libri poſteriorum Ariſtotelis ſtatim in principio docentis, oportere in qualibet non ſolum doctrina diſciplinaq;, ſed etiã arte, præcedere nominum cognitionem: Veluti in Geometria quid punctum, quid linea: In architectura quid lapides, quid intritum, quid maceries: In ſutoria quid culter, quid ſubula: cogeretur Sophiſta ſi uellet iſta uocabula eius auribus inſueta intelligere, ad Cornucopias confugere, uel quod melius apprehenderet, uocabularium Catholiconis. Quare ut amicum Sophiſtam hoc labore liberem, contentus ero ſolis autoritatibus Medicorum. Galenus in libro de Conſtitutione artis medicinalis capite quarto, ubi partes organicas proprijs diſtinguit nominibus, ita ſcribit: Tales autem ſunt pes, manus, digitus, oculus, lingua, pulmo, hepar, & quæcunque aliæ eiuſmodi. Idem Galenus libro primo Anatomicarum aggreſſionũ dicit, oportere diſcipulum ſcientiæ anatomicæ ſtudioſum, libri ſui quem de oſſibus ſcripſit, non ſolum rerum, ſed etiam nominum in promptu habere memoriam. Hunc librũ Galeni de oſſibus ſi Sophiſta legiſſet, atq; intellexiſſet, neq; tergum cum collo confunderet, neque lumbos cum natibus cõmiſceret, quos oſſe

Errorũ Sophiſtæ cauſæ.

C amplo inuicem natura ſeparauit. Neq; illas nugas ſcripſiſſet, quas ſuperioribus annexuit. Nam poſt definitionē dorſi, male (ut diximus) ab eo expoſitā, cuius terminum facit & lumbos & glutum, ſubiungit uerba textus: Glutum autem diſtinguit metaphrenum, & lumbos, quod Acruſtam uocabat Homerus. Et quāuis Sophiſta quid ſibi uelint hæc uerba penitus ignoret, animos tamen ab ignorantia ſumens, contra Grammaticos, uel potius Medicos bonarū literarū profeſſores, euomit hæc uerba: Ecce qualiter & apud Græcos Medici habent uocabula diſtincta à uocabulis Poëtarum. Quod tamen nō faciunt iſti Grammatici latini, qui nihil in medicina credere uolunt, niſi illud inueniant uocabulis Poëtarū traditum: & hoc tum propter conſuetudinem, ut ſecūdo Metaphyſicę textu cōmenti decimiquinti: tum quod immediate ex Grāmaticis fiunt Medici abſq; logica & philoſophia, & ſic in tota uita nihil ſciunt. Iam legentes æſtiment, quo pacto Sophiſta ex ſua inſcitia aliorum carpit inſcitiam. Vnde enim ex uerbis Introductorij ab eo allegatis colligit, q̄d Medici græci habent diſtincta uocabula à uocabulis Poëtarū? Quodnam eſt illud uocabulum in uerbis dictis, quo Poëtæ utuntur, Medici autem non utunt̄? Si metaphrenum *reſponderit, caueat ne à pueris qui* Homerum legerunt, audiatur. Et à *ſummo* poëta idem uocabulū Metaphrenon quo Medici frequenter *utuntur, uſurpari* non ignorant, qui etiam Iulio Polluce grammatico docente, *didicerunt* aliud ſignificare apud Homerum uocabulum Achneſten, quod corruptum eſt & transformatum in Acruſtam apud Latinos, aliud metaphrenū. Quoties admonui Sophiſtam, ut ſi uult de nominibus græcis diſputare, ſupra terminū categorematicum & ſyncategorematicū non aſcendat? Nunc uero rurſus ei aliud conſilium do, ut ſi uult omnino de ſignificationibus proprijs tam uocabulorū græ-

D corum quàm etiam latinorū acutius differere, nō pudeat ipſum adire ſcholas puerorū, hunc abſconſura pudorem corporis breuitate, ob quā non dedecebit ipſum inter pueros etiam in ætate grandiore uerſari. Tertio accipitur dorſum, inquit Sophiſta, pro parte poſteriori continente ſpondyles pectoris, ut accipit ille arguens Romanus. Et ſic uidetur accepiſſe interpres libri de Voce & anhelitu. Et ne uideatur omnino à Muſis alienus, alioquin tamen omnis in literis elegātiæ inimicus, addit quartum modum quo Vergilius utitur. Sed de hoc cum ludi magiſtris uiderit, à quibus fortè didicerit. De tertio modo nunc à Medico Romano diſcat, non uno in loco tantum, ſed pluribus apud Medicos tam græcos atq; latinos, ꝙ etiam barbaros haberi talis ſignificatus exempla, quæ ſi non omnia, ſaltem numero multa non grauabor adducere in mediū, ut ſuæ uanæ ac pauperis doctrinæ Sophiſtā pœniteat, qui pro uno Galeni loco tantopere ſit gloriatus, quem Medicū Romanum ad ſuam de dorſo opinionem cōmuniendā docuerit: nunc uero uberioris diſciplinæ fructus magno cum fœnore, centum pro uno ſcilicet, ut lex amicitiæ uult, & fidei Chriſtianæ præceptum, ſit ab eodem recepturus. Nolo tamen in hac remuneratione computare locos illos, in quibus Galeni interpres in libris de Vtilitate partium noton, ſeu metaphrenū ſcapulas interpretatur, qui libro & xij. & xiij. tam ſunt frequentes, ut me pigeat omnes recenſere. Fortè enim Sophiſta diceret, ſe nō de uocabulo ſcapulæ, ſed de dorſo pro Monacho certare. Quamuis nō ſatis ſuprà hanc reſpōſionē repulerimus illorū quos Sophiſta citauit, autoritate, exponentiū uocabula linguæ latinæ, quibus etiam interpretem libri de Vtilitate partium annumerauit, qui tamen & ipſe unà cum reliquis non differre dorſum à ſcapulis, niſi uoce tantum, ſua expoſitione cōfirmet. quæ talis eſt: Dorſum dicitur pars poſterior corporis, quæ eſt in medio humerorū uſq; inferius. Hæc etiā definitio ſiue deſcriptio dorſi ſcapulis congruit, quæ poſt collū inter humeros in parte poſteriore

ſunt

A ſunt poſitæ,& uerſus inferiora tendunt. Nō puto autem Sophiſtam ita delirare,ut uelit etiā collum in ſcapulis collocare,quod ſupereminet humeros,inter quos dorſum,uel ſcapulæ ſitum habent. Sed ueniamus ad locos illos in quibus oſtenditur, tam medicos græcos quàm barbaros non à ſpondylis colli,ſed primo thoracis,aliquando dorſi principium facere. Omitto locū illum Galeni in libro De uoce,quia nolo Sophiſtā ſuæ inuentionis gloria defraudare. Primum citabo autorem Introductorij medicinæ, qui ita ſcribit:Media certiſſime pars totius tergi deſuper uſque ad glutum eſt dorſum. Tergum (ut ſuprà Sophiſtæ cæcutienti monſtraui)& media eius pars eſt poſt collum:Quare nolim de me tanquam fure cōqueratur,qui autoritatem primū à ſe allegatā adduxerim. Sed mihi gratias habeat, qui ipſum quomodo eadem autoritas ſit intelligenda,docuerim.Ego uero cumulandæ remunerationis gratia,uolo etiam aliud Sophiſtā in prima autoritate libri De uoce à ſe adducta docere, quæ maiorē habet difficultatem, quàm illa, quam Sophiſta tentauit ſoluere:& ſatis ridiculam attulit ſolutionē : de hac enim autoritate dubitari poteſt, an liber in quo ſcribitur, ſit uerus Galeni liber , tum quia ſtatim in principio eiuſdem libri ſcribitur : Dixit Galenus,& cætera.Non ſolet autem Galenus de ſe, tan quā de tertia perſona loqui:Tum quoniā ſi illa ſunt Galeni uerba,quæ ex libro De uoce Sophiſta allegauit, alio in loco Galenus ipſe ſibi contradicit. Verba libri De uoce ſunt hæc : Si nucha abſcindat̄ in initio pectoris ex fine colli, & in initio dorſi ubi ſeptimū ſpondyle occurrit octauo,deſtruit̄ exufflatio totaliter,et uox omnino. Contraria ſententia à Galeno ſcribitur libro quarto De accidenti & morbo, capite quinto, his uerbis : Si uocem quis amittat,fit ex paſſione medullæ ſpondyliū colli: Nam paſſio ſpondylium nihil nocet uoci.Sed in libro De uoce determinaui quot

B paſſiones uoci contingant ex unaquaq; ſpondyle . In his uerbis Galeni duplex eſt contrarietas: Vna, quia aliter ſentit in libro De uoce,amitti ſcilicet uocē ex paſſione,ſeu abſciſſione medullę in fine colli,& in initio thoracis : Hic aūt eandem uocis amiſſionem fieri dicit ex paſſione medullæ ſpondylium colli,ſi ex alto quis ceciderit,& mutus repente fiat . Quid tu Sophiſta facies, qui in alta cathedra te in medicina iactas,& in artis operibus neſcis quid agas,ac miſerorum animas,qui tibi credunt mittis ad tartara ? Quid inquam in hoc caſu Sophiſta facies, quibus ſpondylis appones remedia ? An in principio colli,an thoracis? Viden'ut quæſtionem de ſpondylis, quā tu conatus es facere grammaticalem, ego tranſtuli ad medicinā? In qua quæſtione ſoluenda nihil te logicula Pauli,uel conſequentiæ Strodi poterunt adiuuare,ſed bonæ literæ, quas tu inimiciter perſequeris. Altera eſt in uerbis ipſis loci allegati De accidenti & morbo cōtrarietas : quam certe ſcio nunquā Sophiſta ſoluet,niſi prius à me didicerit ſolutionem. Inquit Galenus in loco allegato, paſſio ſpondylium nihil nocet uoci.Et paulò poſt ſubiūgit:Sed in libro De uoce titulato, determinaui quot paſſiones uoci contingant ex unaquaq; ſpondyli . Hanc in uno & eodem uerborum contextu Galeni contradictionem Sophiſta ſoluat:uel ſi neſcit ſoluere , caueat poſthac ſe illorū , quos ſibi dixit eſſe amicos in rebus quas ipſe ignorat,facere præceptorem : Sed ſatis habeat ſi eum dignū putauerint ſuum eſſe in medicina diſcipulum . Ego tamē Sophiſtæ quantumuis homini de bonis literis male merenti,quod ſemel promiſi,impræſentiarum perſoluam : & ſcrupos in uerbis Galeni in uarijs locis,& uno & eodem apparētes,enodabo. Hæ duæ quas antea notaui,non ſunt ipſius Galeni contrarietates,ſed male Galeni ſenſus interpretantium:qui tales exiſtunt,ſi recte eius uerba in libro De accidenti & morbo paulò antea allegata,transferātur : Deſtruitur quidem uox in quibus ſpinalis medulla

C in collo patitur: Nõ tamen in omnibus dorſi ſpondylis. Sed quantũ in ſingulis pa-
tiatur in libro De uoce determinaui. Ex hac interpretatione uerborũ Galeni duo
poteſt (ſi docilis ſit) Sophiſta diſcere, & collum à dorſo hoc in loco diſtingui, & nul
lam uerborũ Galeni, uel in uno loco uel pluribus, cõtrarietatem. Senſus enim eſt,
quod ſpinali medulla, uel eius ſpondylis in collo patientibus, deſtruitur uox. Poſt
ſeptem autẽ ſpondylos colli, ſi alij ſpondyli qui dorſi ſunt, uel medulla in ipſis con-
tenta, patiantur: non omnes quidem, ſed in initio dorſi, ubi ſeptimum ſpondyle oc
currit octauo, idem caſus, ſcilicet amiſſio uocis, conſequitur. Et ſic in ſcriptis Gale-
ni omnia conſonant, & de initio dorſi, & de uocis amiſſione. Sic quoque habemus
duas Sophiſtam redarguentes Galeni autoritates, ſi liber Introductorij ſit Galeni
liber, ut ferè ab omnibus, & ab ipſo præſertim Sophiſta putatur. Nihil autẽ refert
ad præſentem diſputationem, an dorſum tale habens initiũ, octauũ uidelicet ſpon
dylum, pro termino habeat lumbos, uel glutum, id eſt nates, utcunq; enim ſit, col-
lo ſemel excluſo, ſi dicamus ſpondylos dorſi, nulla nugatio committitur. Tertia au
toritas Galeni eſt in Commento libri de articulis, de qua etiam ante feci mentio-
nem, noton, id eſt dorſum, à ſpina tanquam partẽ à toto diſtinguentis. Quarta au-
toritas eſt libro duodecimo *De utilitate partium*, capite decimo, ſecundum ordi-
nem libri, quem habeo, ubi Galenus loquitur de motu qui fit ſecundum dorſum,
qui dicitur inclinatio & reclinatio, in hæc uerba, ut uertit Interpres: Animali uero
debenti uti ſuis membris, & ambulare quidem pedibus, apprehendere uero mani
bus, inclinari & etiam ſupernuere ſecundum dorſum, non erat melius neq; in pe-
dibus neque in manibus unum habere os, neq; ſecundum totum dorſum. In pri-
D mo loco in græco codice pro uerbo latino, dorſo, habetur Noton: In ſecundo lo-
co, Rachis, quod uerbum græce ſignificat ſpinam diuiſam, ſecũdum Galenum, ut
ſæpius dictum eſt, in ſex maximas partes, quarũ una eſt Notum, in quo fit talis mo
tus inclinationis & reclinationis, de quo motu ſecundũ Noton etiam Galenus ſe-
quenti capite facit mentionẽ. Interpres autem, uitandæ æquiuocationis gratia, non
motum ſecundum dorſum, ſed ſecundum ſcapulam dixit, ubi ait Galenus qua-
tuor eſſe utilitates dorſi, primam quidem ueluti ſedis alicuius, ſecundam uero ue-
luti uiæ alicuius dorſalis, & tertiam cuſtodiæ uitæ, & quartam organi motus ſecun
dum ſcapulas. Hic quoque in græco codice pro ſcapulis habetur Nota, pro dorſo
rachis. Motum autem ſecundum dorſum uel ſcapulas, à motu facto ſecundũ ſpon
dylos colli, eſſe diuerſum, uel eo patet argumẽto, quoniam de ambobus Galenus
diuerſis capitibus tractat, & ſecundum diuerſos ſpondyles fiunt: Alter colli com-
munis capiti, ſecundum primum & ſequentem ſpondylum: Alter dorſi circa de-
cimum metaphreni, id eſt dorſi ipſius, ſpondylum. Quinta Galeni autoritas habe
tur libro ſeptimo De iuuamentis membrorũ, capite primo, in hunc modum ſcri-
bentis ſecundũ arabicã translationẽ, cui ſolet aliquãdo Sophiſta plus fidei adhibe-
re q̃ græcæ, ueluti in Cõmentis aphoriſmorũ ſuperius ab ipſo pro Monacho alle-
gatis. Translatio aũt ita ſe habet: Dicamus igitur quod pectus dicitᷣ à medicis illud
ſimile clibano, quod continetur à coſtis, & continent ipſum, & circũdant ipſum ex
duobus lateribus, & ſecãt ipſum diaphragma, et furcula pectoris à parte anteriori,
& dorſum ex poſteriori. Hic autẽ non poſſumus per dorſum intelligere totam ſpi
nam, ſed illam partem tantũ, quæ alio nomine græce uocatᷣ metaphrenũ: & à parte
poſteriori ſecat, id eſt terminat pectus, id eſt thoracẽ. Has tamẽ rationes meas par
tim ex græcis, partim ex latinis uoluminibus erutas, ſcio Sophiſtam nõ intellectu-
rum: Nihil enim aſello cũ fidibus. Verũ à me hæc ita ſcribuntᷣ, quaſi etiã ad aliorũ

Doctorum

A Doctorum manus ſint peruentura, qui de his omnibus multo quàm Sophiſta melius poterunt iudicare. Sed ueniamus ad barbaros autores, qui ſunt magis quàm Græci à Sophiſta probati: Apud quos non minus, imò etiam frequentius, dorſum accipitur non pro tota ſpina, ſed pro parte illa totius ſpinæ, quæ ab octauo ſpondylio capit initium. Et primo loco Auicenna adducatur, quem contra me Sophiſta citauit, ut ſuorum autorum iudicio condemnetur. Auicenna Fen prima primi, capite octauo Summæ primæ doctrinæ quintæ De iuuamento colli & oſſium eius, ſcribit hæc uerba: Et propterea quod ſpondyles colli & ad ſummum ſuperiores ſunt delatæ ſuper eas, quæ quũ ſint dorſi, ſunt ſub eis, oportuit ut fuiſſent minores. Hoc in loco Auicenna loquitur de ſpondylis colli, quos natura minores fecit alijs inferioribus, qui ſunt dorſi, quoniam portantur à dorſo. Oportet autem corpus delatum eſſe leuius deferente. Et quum Auicenna dicit, qui ſunt dorſi, non ideo dicit, quaſi alibi ſint ſpondyles, quàm in dorſo: ſi dorſum hoc loco accipiatur pro tota ſpina. Neque appoſuit dorſi, ut magis explicaret aliquam utilitatem, talem qualem Sophiſta ſomniat: Sed ideo dixit, Qui ſunt dorſi, ut denotaret per dorſum partem poſteriorem, quæ eſt in directo pectoris. Et ita exponit Iacobus De partibus nouus expoſitor Auicennæ, à quo *Sophiſta didicit* hoc uerbum ſpondyle, eſſe & neutri & maſculini & fœminini generis, quæ eſt grammatica barbara. A quo utilius potuit diſcere, id quod pertinet ad medicinalem ſcientiam, quot modis capiatur dorſum apud Auicennã, quem Sophiſta falſò in ſua quæſtione citauit, tanquam uno tantũ modo dorſum accipientem. Quod autem apud hunc autorẽ hoc nomen dorſum multipliciter capiatur, colligere poſſumus ex uerbis eius in eadẽ Fen, Summa atque doctrina, cap. decimotertio, De iuuamento dorſi. In quo capite ſtatim conatur

B Auicẽna aſſignare cauſam, cur in duobus capitibus longo interuallo diſtinctis, ſcilicet cap. ſexto & decimotertio, de eadem re, ſcilicet de iuuamento dorſi, tractauerit. Et hæc ſanè nõ eſt parui momẽti in doctrina Auicennæ, quæ nullibi debet eſſe ſuperflua dubitatio, quã etiam Ioannes De partibus tetigit, & tentauit ſoluere. Verum ſolutio non ſatisfacit. Verba Ioannis primum Auicennam exponentis, deinde dubitãtis, poſtremo ſoluentis, hæc ſunt: In prima parte dicit, quod locutus eſt prius uerba moderata, id eſt, ſufficientia ſine exceſſu de partibus dorſi, nũc autem loquetur ſummatim de toto dorſo. Sed inſtabit aliquis, quia prius actum eſt de toto dorſo, capite ſexto, Summæ præſentis: uidetur ergo capitulum præſens ſuperfluum, uel ibidem inſerendum: Dic quod illic actum eſt De quatuor iuuamentis, quorum notitia poterat haberi non præhabita notitia partium eius. Sed hic agitur de figura dorſi, & adaptatione partium eius ad ipſam, & ad motum: ideo prærequiritur notitia partium dorſi. Mihi autem neque expoſitio, neque ſolutio probatur: nam uerba Auicennæ in hoc capite decimotertio uidentur ſignificare, quod prius ſcilicet capite ſexto & ſequentibus, locutus fuerit de oſſibus dorſi tantũmodo: In hoc uero loco ſcilicet capite decimotertio, loqui uelit de toto dorſo: ac ſi dorſum aliquando accipiatur pro oſſibus tantum, aliquando pro toto dorſo: Et de dorſo accepto pro oſſibus tractauerit capite ſexto, de toto uero dorſo, capite decimotertio. Solutio uero nõ ſatisfacit, quia de figura dorſi ita poterat agere capite ſexto, inter alia quatuor iuuamẽta dorſi, quæ ibidem explicat, ſicuti capite decimotertio: Habere enim unam figuram alijs figuris meliorem, quæ ſit circularis: ſi dorſum talem habeat figuram, eſt iuuamentũ dorſi, partim ad motum, partim ad alia, nõ mediocre. De iuuamento autem dorſi ad motũ, cuius tamen perfecta cognitio haberi non poteſt ſine notitia ſpondylorum, quæ capite ſeptimo traditur, egit Auicenna capite ſexto: quare & eodem capite ſimul agere potuit de iuuamento dorſi ad mo-

C tum, quod habetur ex figura circulari. Sed & de hac figura circulari, quam dorſo tribuit Auicenna, non parum dubitari poteſt. Hæc enim ſententia eſt omniũ ſcholarum, poëtarum, oratorum, philoſophorum, theologorum, ac medicorum iudicijs condemnata: Tacebo poëtas atq; oratores ne ſim prolixus, néue etiam ſi eos citauero, Sophiſta me accuſet tanquam doctrinaliſtã ex fundamentis grammaticalibus contra principem medicorum arguentem. Ioannes tamen de Partibus, huius Fen atq; ſummæ Auicennæ copioſus expoſitor, tangens hanc eandem dubitationem, citat Naſonẽ poëtam in libro Metamorphoſeos de recta ſtatura hominis, atque eius cauſa, ita ſcribentem:

Pronaq; quum ſpectent animalia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere uultus.

In eandem ſententiam ſcribit Lactantius in hunc modum: Quum igitur ſtatuiſſet deus ex omnibus animalibus ſolum hominẽ facere cœleſtem, cætera uniuerſa terrena: hunc ad cœli cõtemplationem rigidũ erexit, bipedemq; conſtituit, ſcilicet ut eadem ſpectaret, unde habuit originẽ. Verum & huius theologi, quia fluuius eſt Tullianæ eloquentiæ, *Sophiſta* barbarus *reſpuet autoritatẽ*. Quid ſi citauero Ariſtotelem, pau*cis uerbis*, ſed magna cum fide, libro ſecundo De partibus animaliũ, ſolum ho*minem* ex omni genere animaliũ rectum eſſe teſtantẽ. Quid ſi etiam Galen*um* adduxero libro tertio De utilitate partiũ, eadem ferè cum Ariſtotele, Naſo*ne*, & Lactantio ſcribentem his uerbis: Sed bipedes quidẽ ſunt & aues: rectus autem ſolus animaliũ homo. Soli enim ei ſecundũ rectitudinem tibiarũ eſt dorſum. Si uero id, palàm quod & totum reliquũ corpus, quod ad uitam eſt neceſſariũ: Ve-
D luti enim quædã carina eſt dorſum totius corporis, & cum hoc tibiæ, auibus quidem ſicuti & quadrupedibus angulũ rectum operãtur, ſolis autem hominibus ſuper una rectitudine extendũtur: talem figurationẽ tibiæ ad dorſum habẽt in quadrupedibus & uolatilibus animalibus ambulantibus, qualis eſt in hominibus ſedentibus: Et propterea inuentũ eſt nullum eorũ unquam ſtare rectum. Quid inquam Sophiſta ad hæc, tanta oppreſſus mole autoritatũ reſpondebit? An etiã his duobus autoribus, alteri philoſophorũ, alteri medicorũ principi, Auicennã, quia hic barbarus, illi græci fuerũt, uel ſaltem lingua græca ſcripſerũt, audebit anteponere? Atqui Auicenna in hac materia, de qua nũc diſputamus, primas cedit Galeno partes: Nam Fen prima primi, cap. ſecũdo, ſumma prima, doctrina quinta, ubi agit de figuris naturalibus, & nõ naturalibus capitis, bis Galenũ ſummũ medicorum nominat: & eius approbat de figura humani capitis dicta, tanq; ab Hippocratica accepta diſciplina. Iacobus uero (quem dixi) in eodem loco expoſitor Auicennæ, non ſolum cõfirmat eiuſdẽ Auicennæ, de Galeno iudiciũ, ſed hunc autorẽ maioribus inſuper cumulat laudibus, ita de eo ſcribẽs: Attẽde quod Princeps, & hic & in præcedenti parte uocat Galenũ ſummũ medicorũ, non immeritò, quia reuera fuit ueluti lucerna ueritatis ſcientiæ medicinalis, tam ſpeculatiuæ quàm practicæ: Cuius libros ſi legeris attente, ſanam, & ſecuram medicinæ doctrinã adipiſceris. Hæc Iacobus de partibus. Qui licet tantũ Galeno tribuat, conatur tamen Auicennam de humani dorſi figura Galeno cõtraria loco retro allegato ſcribentẽ, uarijs reſponſionibus ſuſtentare. Prima reſpõſio eſt hæc, quod dorſum hominis comparatione ad alia animalia, & homo totus dicit̃ rectæ figuræ, & erecti capitis. Hæc autem reſponſio non ſatisfacit, neq; Galenum, neq; Auicennam cõcordes reddit. Quæ enim inuicem in rectitudine cõparantur, utraq; debent eſſe recta: ſed alterũ altero rectius: Brutorũ uero animalium nullum unquam inuentũ eſt ſtare rectũ,

A ut uerba Galeni antea recitata demonſtrant: Hominem autē ſtare rectū, præter id quod ſenſus oſtendit, etiam Auicenna capite ſexto confirmat, qui in quarto Iuuamento dorſi ſcribit, iuncturas dorſi factas eſſe nō laxas, quia ſtandi potentiam debilitarent: neq; ualde ſtrictas, quoniam prohiberent inclinare. Si uero figura dorſi eſſet ſua natura circularis, ut capite tertiodecimo eiuſdē Fen ſcribit Auicēna, recte ſtandi potentia ita in homine, ſicuti brutis omnino tolleretur. Secunda reſponſio Ioannis eſt, quod dorſum hominis nō habet figurā omnino circularem, niſi ſecundum circūferentias intrinſecas foraminū ſpondylium continentium nucham. Hæc ſecunda reſponſio uerbis Auicennę in eodem capite cōtradicit, quæ ſunt hæc: Dicemus igitur quod totū dorſum eſt ſicuti res una, propriā habens figurā, alijs figuris meliorē, quæ eſt circularis: Hæc ergo figura de qua loquit̄, nō eſt foraminū intrinſecorū ſpondyliū, ſed totius dorſi. Tertia reſponſio eſt, quod figura dorſi eſt arcualis declinās ad circularē dupliciter: primo, ſecundū ſitum ſimeniorū ſpondyliū. Hæc quoq; reſponſio idem peccat quod ſecunda, quoniā Auicenna profitetur ſe totius dorſi figurā circularem deſignare, & non ſimeniorū tantummodo: Quæ etſi ipſa habeant figurā arcualem, nō tamen faciunt dorſum totum ita figuratum. Alterum ſignū quo Ioannes nititur perſuadere figuram dorſi declinare ad figurā circularem, ita debile eſt ut ſua ſe imbecillitate proſternat. Nam partiū humani corporis figura naturalis ea eſt, quæ in corporibus integra ſanitate fruentibus cernit̄: Corpora autem ſenum uel ſunt ægra, uel neutra, uel ſi ſana ſunt, ſenilem habent ſanitatem. Propter quid autē ea ætate homines magis ad partem curuentur anteriorē, q̄ ad poſteriorē, problema eſt propria indigens inquiſitione. Nos uero hanc de figura humani dorſi ideo in hoc loco dubitationē tangendā duximus, ut oſtēderemus
B hoc uerbū, dorſum, apud Auicennā multipliciter dici: Et de dorſo recto, cuius iuuamenta deſcribit cap. ſexto: & de circulari, de quo agit cap. xiij. cōtra Sophiſtam in ſua quæſtione uolentem dorſum apud Auicennā eſſe nomen uniuocū, atq; recte à ſe fuiſſe definitū. Quod in æquiuocis poſſe fieri negat Ariſtoteles libro ſexto Topicorū. Dorſum etiam æquiuoce dici, & de tota ſpina, & de parte eius, quæ Noton à Græcis ac metaphrenū nūcupatur, ex eodem capite decimotertio apud Auicennam demonſtratur, in quo ſe de dorſo toto uerba facturū pollicetur: In eodem enim capite loquit̄ de decima ſpondyle, quā fatetur, ſicuti etiam Galenus, eſſe decimam numero: non tamen ſecundum hoc eſſe mediam totius dorſi, ſed ſecūdum longitudinē. Quod & nos concedimus, nam ita eſſe Galenus aſſerit, & uiſu etiam iudice comprobatur. Sed de numero à Sophiſta quærimus, an ſit decima ſpondylis dorſi, ut dorſum ipſe uult accipi apud Auicēnam pro tota ſpina, uidelicet an ſit decima dorſi, ut dorſum Galenus aliquando capit, pro parte ſcilicet illa ſpinæ, quę ſumit initium ab octauo ſpondylo, & uſque ad phrenas, id eſt diaphragma, terminatur: Vnde & illi metaphrenum à Græcis inditum nomen. Si primum dixerit, tunc neque ſecundum numerum, neq; ſecundum longitudinem decima ſpondylis media erit totius dorſi: Si ſecundum conceſſerit, hoc eſt quod uolumus contra Sophiſtam cōuincere, dorſum accipi apud Auicennam, & pro toto dorſo, & pro parte. Sed manifeſtiora exempla afferamus, quæ cogant Sophiſtam uelit nolit, fateri dorſum apud præcipuos medicinæ autores idem quod apud Galenum ſignificare: & quod male fuit ab ipſo pernegatum, omnes ſpondylos eſſe numero uigintiquatuor, ſeptem colli, duodecim dorſi, & quinque lumborum, potuiſſe nos mille bonorum autorum teſtimonijs, in noſtro de tribus doctrinis tractatu confirmare, ſi illum Sophiſtis medicinam ignorantibus, & non medicis doctis ſcrip-

C ſiſſemus. Aliabas fidus Galeni interpres, ut etiam fatetur Conciliator libro nono Theoricæ, capite quarto, de oſſium ſpinæ & dorſi aſſignatione ſcribit hæc uerba: Et collum ex ſeptem ſpondylis compoſitū eſt: at uero dorſum duodecim: renum os ex quinque. Idem in eo capite ita ſcribit: At uero in dorſi ſpondylibus ſingulis duo ſunt augumenta ab eo ſurſum aſcendentia, & duo inferius tendentia. Et paulò poſt: Quinq; autem colli ſpondyles, & renum ſimiliter aliter ſunt. In ſequenti autem capite ſtatim in principio dicit, pectus poſitū eſſe ſuper dorſum. Quod dictū falſum eſſet, ſi per dorſum intelligeret totam ſpinam, & non metaphrenum, cui in parte poſteriore coniungitur pectus, quod metaphrenum Aliabas dorſum interpretatur: & recte quidem, quoniam etiam Galenus hanc ſpinæ partem ex duodecim ſpondylis cōpoſitam Noton, id eſt dorſum, in ſuis libris De utilitate partium ſolet nominare. Raſis etiā libro primo Almanſoris, capite quarto, ab octauo ſpondylo poſt ſeptem colli, dorſi ponit initium, ita ſcribens: A nucha uero uiginti paria neruorum oriuntur, & unus qui neruus caret pari, quorū ſeptem à ſpondylis colli oriuntur, duodecim uero paria à dorſi ſpondylibus uſq; ubi dorſo opponitur pectus. Hæc poterant eſſe ſatis ad refellendum Sophiſtam in prima ſua reſponſione contendentem non eſſe uerū, quod ſpondyles diuidantur in ſeptem colli, & duodecim dorſi, & quinq; lumborū: quoniā, ut inquit, omnes ſunt dorſi: Putans apud autores medicinæ, hoc uerbum, dorſum, unum tantum ſignificare: Vnde ex ignorantia uocabuli magnus error in operibus artis poſſit accidere, ut ſatis ſuperq; in præcedentibus demonſtraui. Quia tamē tam apud medicos, quàm apud philoſophos huius ætatis maxima eſt Auerrois autoritas, ut qui nō minor penè medicus, quàm etiā philoſophus à pluribus iudicetur: hæc uero diſputatio de partibus humani corporis, partim philoſophica eſt, partim medicinalis, Auerroim quoq; contra Sophiſtam adducemus, idem nobiſcum atq; aliȷs autoribus, quos ſuprà citauimus, de dorſo ſentientem: niſi quod dorſum corrupto uocabulo greco, Noton, ſæpius nominat nucham, & ei aſſignat decem & ſeptem ſpondylos, qui ſequūtur ſeptem priores colli, quot etiā dorſo tribuit autor Introductoriȷ medicinæ. Quod autem Auerrois per nucham nō intelligit medullam ſpinalem, ut medici ferè omnes recentiores intelligūt, ex eo probatur, quia ſi eſſent tantum decem & ſeptem ſpondyli nuchæ, id eſt medullæ, à qua nerui dantes toti corpori motum oriuntur, tunc ſeptem ſpondyli colli, quos Auerrois diſtinguit à decem & ſeptem ſpondylis nuchæ, non haberent medullam, neque neruos ab ea ad multas partes corporis diſtributos, quod eſt his quæ ex ſectionibus apparent cōtrarium. Verba Auerrois primo libro Colliget, capite quarto, ſunt hæc: Et coniunguntur, ſupple oſſa capitis (de eis enim loquitur) in capite apud foramen, quod eſt in ipſo in poſteriori parte ſpondylis colli, & ſunt ſpondylia ſeptem, & ſunt perforata ex utroque latere, & ſpondylia nuchæ coniunguntur cum ipſis, & ſunt decem & ſeptem. Ex hoc numero etiam colligitur, Auerroim per nucham intelligere illud quod diximus. Spondyli enim totius ſpinæ ſunt uigintiquatuor, à quibus ſi demas ſeptem colli, reliqui ſunt decem & ſeptem, qui ſunt dorſi. Quod autē Auerrois per nucham intelligat dorſum, ex ſeptimo capite eiuſdem libri primi euidētius oſtenditur: ubi loquitur de ortu neruorum noni paris, ſcribens in hunc modum: Et par nonum exit inter ſpondyle octauum & nonum, & illud eſt principium dorſi. Hoc idem eſſe principium nuchæ, id eſt dorſi, ſi nucha continet decē & ſeptē ſpondylos ſecundū Auerroim, qui huius autoris commenta tam bene numerat bonus Sophiſta arithmeticus facile colliget, & ſuam (modo uelit reſipiſcere) uel ignorantiam, uel iactantiā, agnoſcet:

Aliabas fidus Galeni interpres.

D

A agnoſcet: Ignorantiam, qui putauerit dorſum apud medicos atq; philoſophos ſimpliciter accipi, atq; unum tantum habere principiũ: Iactantiam, qui tam exigua doctrina ſit gloriatus, qua me docuit uno tantũ in loco librum Galeni De uoce contra Monachum allegare. Ex quo loco apparet, inter ſeptimum & octauum ſpondylum, dorſi eſſe principium. Nos uero iam centum ferè pro uno retulimus, præceptum Heſiodi poëtæ ſecuti, beneficium ab amico acceptum, æqua menſura aut etiam maiore (ſi adſit facultas) remetiendo. Plura alia etiam in ſcientia medicinali Sophiſtam docere potuiſſem, ſi modo me in meis libellis quampluribus de eadem arte æditis, inceſſuiſſet: Sed illos Sophiſta ſuæ ſibi inſcitiæ in ea arte conſcius, tanquam ſcopulos euitauit, & ad materiam quæ neque phyſica eſt, neque medicinalis, ſed potius logica, ſponte ſe tranſtulit, ſperans in ea ex logicula Pauli, & conſequentijs Strodi ſe poſſe oſtentare, & tanquam in media Baſiliſcus arena dominari. In ſua tamẽ præfatione mentitus, ſe à quibuſdam diſcipulis ſuis fuiſſe rogatum, ut de tribus doctrinis ordinarijs cõtra medicum Romanum, in Monachi & aliorum uirorum excellentiam, in quos ille inuehitur, defenſionem ſcriberet. Quidam tamen ex illis diſcipulis à Sophiſta nominatus, Ioannes Baptiſta Montanus Vero nenſis, cuius ingenium atq; doctrinam ſatis perſpectam habebam, mihi admiranti, atq; ideo interroganti, quidnam boni in ea quæſtione didiciſſet, quam tam caro precio, precibus ſcilicet, emiſſet: Reſpondit, ſe non modo nõ rogaſſe Sophiſtam, ſed potius ab eo fuiſſe rogatum, ut eandem quæſtionem excriberet, ac lectitaret, quia bella eſſet: Se uero, ut homini glorioſo, & ſe in ſuis nugis admiranti morẽ gereret, cœpiſſe ſcribere: tandem quũ in eo ſcribendi labore nihil nouũ, aut ſcitu dignum, quod nõ eſſet multo antea ab alijs dictum, reperiret, plurima autem inuentionis propriæ, Sophiſtæ deliramenta, duplicem pleonaſmum, duplicem hypal-
B lagen eorundem uerborum Galeni, multiplicem ſecundum modos decem expoſitionem, quinque grammaticas, autorum græcorum à quorum fontibus omnis ſapientia emanauit, uituperationem, quæ neque Galeno neque ipſi parcit Ariſto teli. Tanta eſt Sophiſtæ in detrahendo priſcis autoribus arrogantia, quibus etiam barbaros recentiores, quaſi melius illorum ſcripta, quàm illi ipſi qui ſcripſere, intellexerint, ſtulto iudicio non ueretur præferre: Et pleraque alia quæ eum pigebat narrare, ſuam Sophiſtæ quęſtionem remiſiſſe ab alijs legendam uel excribendam, quoniam nollet ipſe tantũ diſpendiũ temporis facere, aut tot miſeras perdere chartas. Sic iſte mihi ſcholaſticus retulit, cui non potuit Sophiſta glandes pro frugibus uendere. Tale fuiſſe iuuenis eruditi reſponſum haudquaquã à me, ut forte Sophiſta obijciet, cõfictum, teſtatur epiſtola eiuſdem ad amicum, poſt finem operis ſubſcribenda. Nos uero iure gloriari poſſumus, noſtrã de tribus doctrinis ordinatis opinionem, non modo à ſcholaſticis, ſed etiam ab eorum præceptoribus, uiris doctiſſimis, fuiſſe approbatam. Primus eam Marcus Antonius Turianus Veronenſis Hieronymi filius, uirtutis paternæ atq; doctrinæ haudquaquam degener, cum magna ſui laude Patauij diſputando defendit, præſentibus uiris doctrinæ ſingularis, & fama celeberrimis Antonio Fauentino, & Petro Trapolino Patauino. Poſtmodum Papiam accitus ad exponẽdam theoricã medicinæ, eadem opinione antea inaudita, recitata tantũ ſuis diſcipulis placuit, ut alterũ ſua dogmata exponentem Galenũ audire uiderẽtur. Eidem parti medicinæ theoricæ exponendæ in gymnaſio Bononienſi præfectus uir excellentiſſimus Lodouicus Leonis, hãc ipſam opinionẽ duabus alijs de eadem materia, quæ pridem fuere celebratæ, anteponendam iudicauit. Nouiſſime autẽ Petrus Pomponacius Mantuanus, qui in eodẽ gy

c mnaſio primum inter philoſophos obtinet locum, & propter eminentiſſimam doctrinam maiora ſtipendia quàm ullus unquam alius eius ſcientię profeſſor in Italia meruit. Primũ huius nouæ opinionis autorem, à quo me fateor multa bona acce=piſſe, licet me furti Sophiſta accuſauerit, miris extulit laudibus, atq; Hali melius & Cõciliatore, ac Pluſquam Commen-tore, mentem Galeni de tribus doctrinis ordinatis declaraſſe teſtificatur: quod uiri doctiſſimi teſtimonium adhuc apparet in quibuſdã dictatis, ſeu (ut uulgò dicitur) recollectis, quæ ab eius diſcipulis circum=feruntur. Taceo Nicolam, ac Nicolaum Priſcianos geminos fratres, acerrimo ingenio iuuenes, de quibus antea fecimus mentionem: qui & ipſi Ferrariæ inter multas alias & philoſophicas & medicinales concluſiones, unam quæ noſtram aſſerit opinionem, ipſo Sophiſta præſente, ac fruſtra reclamãte, in publica diſputatione pro uera retinuerunt. Poſſumus ergo tantorum uirorum iudicio contenti, ne opus in immenſum excreſcat, receptui canere: Et ſiqua ſuperſunt, ſpectantia ad logicam, uel potius ſophiſticam confutanda, iſtud negotium iuuenibus ei ſtudio uacantibus peragendum relinquere. Satis mihi fuerit, ubi occaſio ſe obtulit, demonſtraſſe Sophiſtam ueræ *logicæ ac philoſophiæ Ariſtotelis eſſe penitus* expertem, & ſola fretũ *ſophiſtica* garrulitate, auſum fuiſſe inter tot ſtrepere anſerem olores. Hoc *eſt illam* damnare opinionem, quam tot celebris nominis uiri ſua autoritate aſſeueraſſent. Quare Sophiſta nihil aliud contra eam blaterando fecit, niſi quod uetus prouerbium ſua temeritate confirmauit: Ex omnibus plauſtri rotis eam quæ fragilior ſit, ſuo ſtrepitu reliquis eſſe ſemper moleſtiorem.

MEDICI ROMANI, NICOLAI LEONICENI DISCIPVLI, ANTISOPHISTAE FINIS.

PETRVS PALAESTINVS GAIETANVS
Io. Baptiſtæ Montano Veronenſi Salutem.

A PERVENIT nuper ad manus noſtras, Montane chariſſime, noua quæſtio de tribus doctrinis ſecundum Galenum, quam Medicus quidam Sophiſta ſomnians, ut puto, cõpoſuit. Adeò enim inſulſus eſt, adeò deſipit contra bonos uiros, ut facile conijci poſſit talem fœturã ex ſomnolento ueternoſoq; cerebro prodijſſe. Illud tamen non tantum admiratus ſum, par enim fuerat ex malo ouo malam oriri auem, ut in prouerbio Græcorum dicitur, quantum dolui te, quem ſemper bonarum literarum cultorem noueram, in eam hæreſim delapſum, ut crederes aliam Galeni mentem fuiſſe, quàm quæ pridem à doctiſſimo uiro Nicolao Leoniceno inuenta & monſtrata fuerat, poſtea à Medico Romano eius diſcipulo repetita. Vnde & duplici errore damnandus es, tum quod procul à ueritate aberraueris, tum quod ducem tuum Leonicenum, quem non tantum ducem tuum, ſed Herculem Medicinæ, quaſi monſtrorum domitorem, quidam alter doctiſſimus Medicus appellare non dubitat: quod inquã Leonicenum tuum ſpreto militari ſacramento ueluti transfuga dereliqueris. Igitur uel utriuſq; erroris cauſam redde, uel iudicis cenſuram expecta: neque enim rationis uincula effugies. Vale. Romæ, Nonis Septemb. M. D. XIX

IO. BAPTISTA MONTANVS VERONENSIS
Petro Palæſtino Gaietano Salutem.


B NON eſt Palæſtine quod demireris, ſi hoc ipſum quod demiraris eo quo cætera ſoles iudicio recte perpendas: Perpendêris autem recte, ſi hinc ardorem meum quo ſemper & politiorum literarum, & indagandæ ueritatis ſtudio ab incunabulis uſque flagraui, inde fallacias, dolos, aſtum Sophiſtæ Medici ponderaueris, quæ omnia tam ſcribendo quàm diſputando comminiſcitur: tunc enim facile iudicabis, an ego in bonis libris utriuſq; linguæ enutritus iam & adultus, uereq; antiquorum Philoſophiæ & Medicinæ toto animo incumbens, repente nunc tanquã furioſus effugerim, meq; ſomnijs & portentis cuiuſdam Sophiſtæ addixerim: an Sophiſta ille potius quemadmodum ueritatis claritatem ueluti ſepia quædam importuna turbauerit, ita & nomina bonorum iuuenum in defenſionem cõmiſſæ fraudis adduxerit: neq; illum puduerit nõnullos in epiſtola ſua referre, quorũ precibus extortam ſibi quæſtionem teſtatur. Equidem de alijs neſcio, me certe inter cæteros falſò retulit, quem tamen non Montanũ nomine gentis, ſed Mariotum nomine aui uocat, haud ſanè mihi aſpernando nomine, fuit enim Mariotus Montanus auus meus uir illuſtris, bello ac pace utiliſſimus magnæq; apud Venetos autoritatis, ſummos magiſtratus honorifice adeptus, ut ſcias me nouum hoc cognomen nequaquã refutare, ſed oſtendere hominem in rebus ipſis aſſuetũ perturbare ueritatem, nõ poſſe etiam in nominibus non mentiri. Meliora igitur ominare, & palinodiã cane, ac tandem cognoſcas eum qui tot mendacia in tota quæſtione confudit, dedecere in epiſtola quam præmiſit profiteri ueritatem. Atq; animum potius conuertas ad libellum utiliſſimum quem contra Sophiſtam Medicus Romanus nuper excudit, qui talis eſt, ut in eo Nicolai Leoniceni diſcipulum facile poſſis agnoſcere. Gaudebis ſi legeris, uel potius perlegeris.

Plurima enim in medica materia, præſertim in Parua Galeni arte ſubtiliſſime declarantur: Vt iam uenenum illud Sophiſtæ expetendum fuerit, contra quod tam efficax atque utile alexipharmacum à prudentiſſimo Medico fuit excogitatum. Vale. Ferrariæ Calendis Octobris, M. D. XIX

CHARTARVM SERIES.

α a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z
A B C D E F. Omnes terniones, præter a quod conſtat ſeptem paginis, & F quaternionem.

BASILEAE APVD AND. CRATANDRVM,
ET IO. BEBELIVM, ANNO
M. D. XXXII


PALMA
BEB.